Princeton University Library
32101 077882072

Digitized by Google

GOERTZ
3729
LIBRARY OF PRINCETON UNIVERSITY
36x

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# JACOBI THOMASII,

Professoris Lipsiensis

# DISSERTATIONES LXIII.

VARII ARGUMENTI MAGNAM PARTEM AD HISTORIAM PHILOSOPHICAM & ECCLESIASTICAM PERTINENTES,

Antea à Beato Autore in Academiâ Lipsiensi intra qvadraginta circiter annos per modum Programmatum separatis foliis publicatæ,

Nunc conjunctim editæ

a Filio

CHRISTIANO THOMASIO,

JCto & Consil. Electorali Brandenburg.

HALÆ MAGDEBURGICÆ

Impensis JOHANNIS FRIDERICI ZEITLERI.

ANNO M DC XCIII.

Princeton University Library

Digitized by Google

PERILLUSTRI & EXCELLENTISSIMO DOMINO

# SAMUELI de PUFENDORF,

SERENISSIMI ac POTENTISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI CONSILIARIO INTIMO,

Domino meo ac Patrono maxime suspiciendo.

Digitized by Google

PERILLUSTRIS & EXCELLENTISSIME DOMINE,

Patrone maximoperè suspiciende.

OCtennium est & qvod excurrit, ex qvo commercio literario hucusqve svaviter continuato Tu Favorem erga me & Benevolentiam, Tibi ego observantiam perennem affectumqve sincerum, Uterqve utriqve amicitiam infucatam mutuò declaravimus, qvam uti occasione subinde enâtâ, Tu beneficiis multis, voto insuper mihi exhibuisti, ita ego deficiente occasione voto magis qvàm reipsâ de meâ Tibi inserviendi promtitudine certiorem Te reddere potui. Atqve eò magis Tibi obstrictum me esse profiteor publicè, qvod Te Duce ac Præceptore cœperim prima qvasi fundamen-

Digitized by Google

damenta in genuina veritatis indagatione jacere, nobilioremqve mei partem, animum à præjudiciis purgare. Eram imbutus Philosophiæ Scholastico-Aristotelicæ principiis, potissimum qvod Ethicam seu Philosophiam moralem attinet; incipiebam mihi placere, qvòd nossem controversias de Summo Bono, de Undecim Virtutibus, de Justitiâ Universali & Particulari, commutativâ & distributivâ, de Republicâ simplici & mixta, & si qvæ sunt similes, cùm ecce Commentarius Tuus de Jure Naturæ & Gentium prodiret in lucem, qvem magnâ cum delectatione perlegebam, non tam eum in finem, ut hypothesin Tuam seqverer, qvàm ut ea, qvæ in Grotio non intelligebam, explicatione Tuâ perciperem distinctius. Non enim legebam eundem sponte aut ex meo arbitrio, sed ex aliorum commendatione, qvi sedulò simul inculcabant, ut cum cautione legerem, neqve sententiam aliqvam admitterem S.S. Theologiæ adversam. Nesciebam adhuc, qvid esset S.S. Theologia, & qvòd in solo verbo Dei sit qværenda; sed putabam cum aliis, omnes assertiones, qvæ in libris singulorum Theologorum deprehenderentur, pertinere ad Theologiam,

atqve

Digitized by Google

atqve eò cum majore metu tractabam Systema Tuum, qvò sæpius jam perceperam, vapulare Grotium ob non reverenter satis habitas Sententias istas Theologicas. In conclusionibus plerisq; mihi placebas egregiè, placuisses etiam in reliqvis & in principiis, qvæ fundamenti loco posuisti, nisi præjudicium illud jam altas satis radices apud me egisset, v. gr. Communionem primævam, Actus suâ naturâ & antecedenter ad voluntatem divinam indifferentes, Obligationis omnis ex voluntate Superioris deductionem, &c. repugnare directè articulis Fidei & principiis Christianismi. O qvàm sæpè deplorabam, qvòd Vir tam perspicax & sapiens in tam excellenti opere recessisset ab opinione hactenus tam salutariter receptâ, qvam pro salvificâ tum temporis habebam. Non diffiteor eqvidem, qvod perspicuitas rationum Tuarum me statim ita constrinxerit etiam in his, qvæ hæretica arbitrabar, ut nescirem qvid ad illas regererem, sed eò magis suspectæ mihi erant eædem, qvòd inculcatum mihi jam esset, in rebus Theologicis debere hominem γνησίως Lutheranum omnem rationem captivare & Dominis Theologis eandem subjicere.



Digitized by Google

Unde habebam inclinationem intellectûs mei ad evidentiam rationum Tuarum pro tentationibus Diabolicis, & mihi firmiter persvadebam, qvòd sententiæ communis defensores melioribus adhuc rationibus essent instructi, qvas stupiditas fortè mea non caperet. Movebantur interim non pauca Tibi hinc inde Controversiæ, de qvo valde gaudebam, sperans forè ut ad agnitionem errorum Tuorum adigereris, & ita opus Tuum omnibns numeris absolutum redderes. Percurrebam avidè scripta, qvæ contra Te edebantur: sed ò qvam confundebar, cùm deprehenderem ubiqve vel Sophisticas disceptationes, vel malitiosas technas, vel apertas adversariorum Tuorum, vilissimis & ridiculis affectibus abreptorum, prostitutiones. Indignabar, &, qvamvis invitus, tandem veritati victas dabam manus Excutiebam jugum illud autoritatis humanæ. Pudebat, tot annos me consumsisse in credendis sententiis adeò ineptis. Impellebat me sincerum gaudium agnitæ veritatis, ut eandem etiam aliis communicare allaborarem. Ignorabam adhuc, qvàm periculosum esset, Veritatem agnitam profiteri publicè. Experientia vero subortarum mox ad-

Digitized by Google

adversitatum me id docebat. Ego contrà partim amore Veritatis, partim etiam nativo qvodam periculorum contemtu, in re justâ, qvæ fortè aliqvid audaciæ admixtum habebat, ibam audentiùs. Qvæ inde gesta sunt, nosti. Igitur prima causa, si verum fateri volo, adversitatum, qvæ mihi contigerunt, qvamvis innoxia, est doctrina Tua, simul verò eadem prima causa omnis felicitatis meæ extitit. Periissem haud dubiè & ad agnitionem mei nunqvam pervenissem, si leviter cognitis veritatibus istis res omnis ex voto mihi succesisset. Produxisset certè secunda fortuna magis noxia præjudicia voluntatis, qvàm illa fuerant, qvæ ex intellectu ejecerat doctrina Tua. Abripuissent me & fortè totum deglutiissent pestes duæ humani generis, Ambitio & Voluptas, nisi vexatio me eò adegisset, ut magis circumspectè agerem, ne calumniandi causam ipsemet adversariis præberem. Ita pedetentim ad mei cognitionem adductus sum, ad unicam videlicet portam, per qvam ad veram Sapientiam, hoc est, ad cognitionem Dei & Creaturarum itur. Et qvæ ibi non vidi errorum monstra? qvæ totum penè humanum genus miris modis in stultitiæ



Digitized by Google

& furoris ſemitam ſeduxerunt; qvas non detexi & adhuc qvotidiè detego proprii cordis malitias ſe ſub larvâ rectæ rationis occultè inſinuantes? Simul verò qvod intra nos eſt Summum Bonum veramqve & immobilem tranqvillitatem, qvamvis adhuc è longinqvo, conſpicio. Qvæ omnia uti ſingulari Dei providentiæ humillimè adſcribo, ita tamen ſimul ſemper recordabor, qvòd Divina Sapientia libro Tuo, tanqvam inſtrumento me ab inſanientis ſapientiæ deviis revocandi, uſa fuerit; ſimul ſingularem hanc inter reliqvas, qvibus gaudes, Virtutem prædicabo, qvòd, cùm in Inſtitutionibus meis Jurisprudentiæ Divinæ qvandoqve à Te in paucis Concluſionibus diſſenſerim, adeò libertas iſta amorem Tuum non diminuerit, ut potiùs ab illo tempore majora amicitiæ Tuæ æſtimatisſimæ teſtimonia fuerim expertus. Qvo ipſo declaraſti, qvòd à communi vitio Philoſophorum antiqvorum, aliàs celeberrimorum, Pythagoræ, Platonis, Zenonis, Epicuri, Ariſtotelis, aliorumqve ſis immunis, qvi libertatem, qvâ ipſimet uſi erant, in diſcipulis ſuis ferre neqvibant, Philoſophiam Eclecticam ſectantes, mox verò eandem transformantes ite-

Digitized by Google

iterum in Sectariam. Qvæsivi hactenus plus unâ vice occasionem, ut Excellentiæ Tuæ gratitudinem meam opere aliqvo vel operâ declarare valerem. Sed frustrà, cùm per Dei gratiam eâ conditione sis positus, ut beneficia à Te qvidem accipere, nullum vero Tibi reddere mihi licuerit. Ergò diutius committere nolui, qvo minùs saltem publicè declararem, qvantum Tibi deberem, & vel sic, si non gratus existerem, saltem ab ingratitudinis notâ me liberarem. Qvemadmodum verò hucusqve non ægrè tulisti, qvando meos libellos ad Te transmisi, censuramqve Tuam super iisdem expetii, ita, spero qvoqve, graviter non feres, qvòd Patris mei Programmata, qvæ conjunctim hîc edo, Perillustri Tuo nomini inscripserim, sed serenâ fronte, munusculum hoc suscipies hominis eò redacti, ut, cùm de propriis bonis liberalis esse neqveat, de alieno talis apparere tentet. DEUS TE SERVET.

PERILLUSTRIS EXCELLENTIÆ TUÆ

*Fidelissimus & observantissimus Cultor*

Halis Magdeburgicis
Mense April. 1693.

C. THOMASIUS.

Digitized by Google

# Benevolo Lectori

S. P. D.

## CHRISTIANUS THOMASIUS.

ERat Jacobus Thomasius, Pater meus, Philosophus in Aristotelicâ Philosophiâ educatus in eâqve versatissimus, sed qvi simul hypotheses Sectarum reliqvarum Paganismi, si qvisqvam alius nostratium, callebat, casqve inter se tum & ad normam Christianismi conferre studebat. Loqvuntur id publicati ab eo, dum viveret, Tractatus non pauci, potissimum Schediasma historicum de antiqvâ Philosophiæ definitione, Dissertatio de Exustione Mundi Stoica cum adjunctis Dissertationibus Philosophiam Stoicam Sectarumq; reliqvarum illustrantibus, Præfationes Disputationibus præmissæ, aliiqve. Parabat doctrina hæc ipsi aditum ad distinctius, qvam vulgò fieri consvevit, cognoscendam Historiam Ecclesiasticam, cùm pleræqve hæreses ex Sectis Philosophiæ Paganicæ ortum sumserint, & pervenisset haud dubiè Vir beatè defunctus ad propiorem Philosophiæ veræ & unicæ Scientiam, cùm præter indefessam diligentiam etiam singulari animi sinceritate esset præditus, si tem-

pus,

Digitized by Google

pus, qvo scribendò floruit, illum libertatis gradum, qvo per DEI gratiam, ringentibus licèt Sophistis, fruimur, perferre potuisset, siqve firma persvasio, Aristotelem fuisse optimum Philosophum, neqve ferendos esse, qvi adversus ejus dogmata aut alias doctrinas longo usu receptas aliqvid auderent; tum & metus rixarum & periculorum, qvæ videbat qvotidiè iis parari, qvi ultra tradita veterum Magistrorum aliqvid sapere allaborarent, Virum optimum non in hâc Veritatis semita ulterius progredi impediissent. Interim imbecillitas ista magis loco & tempori, qvàm ipsius intentioni, adscribi mererur, & mirandum magis, atqve singularis DEI clementia inde agnoscenda, qvòd eo tempore, qvo scripsit; eoqve in loco, ubi scripsit; in tantum ex vano autoritatis præjudicio se elevaverit, ac subinde defectûs Philosophiæ Aristotelico-Scholasticæ annotaverit, unde facilè cordatus Lector nævos, qvi hinc inde fortè occurrant, condonabit. Eorum, qvæ hactenus dixi, exempla etiam deprehendet Lector in præsentibus B. Patris Programmatibus ab ipso dum viveret collectis, ac mundiùs descriptis, multisqve in locis auctis. Uti enim plura ibi sunt, qvæ ad illustrationem Philosophicæ & Ecclesiasticæ Historiæ non parum conducunt, ita fortè aliqva etiam erunt intermixta, qvæ, si jam viveret, & pugnam impietatis ac stultitiæ cum pietate & sapientiâ ipse coràm intueretur, pro nativa inge-

Digitized by Google

ingenuitate haud dubiè aliter doceret. Non est opus, ut ad singula digitus intendatur, cùm eruditus Lector facile perspicere possit, qvæ annotationem hanc mereantur, & ea à me eum in finem fuerit apposita, ne qvis pro meis sententiis in universum habeat, qvæ nunc publici juris facio. Cæterum uti variæ adhuc supersunt Observationes B. Patris ad veritatis indagationem facientes, ita non deero, & illas orbi erudito communicare, si præsentis voluminis publicationem non ingratam fuisse sensero. Tu vero B. L. vale & hisce fruere.

INDEX

Digitized by Google

# INDEX
## Disſertationum.

I. DE utilitate Declamationum pag. 1.
II. De Intellectûs humani comparatione cum tabulâ raſâ p. 11.
III. De Studiorum Academicorum comparatione cum Mercaturâ p. 19.
IV. Myſterium SS. Trinitatis & in eo Spiritum S. Gentilibus ignotum fuiſſe p. 30.
V. De Laudibus Joh. Georgii I. Electoris Saxoniæ p. 42.
VI. De Laudibus Diligentiæ ejusqve Exemplis p. 48.
VII. De primis Rerumpublicarum originibus p. 60.
VIII. De Florum laude ſeriâ & vituperio jocoſo p. 72.
IX. De Comitiis p. 82.
X. De triplici hominis patriâ, Cœlo, Terrâ Locoqve Natali p. 86.
XI. De origine cultûs Angelorum ſuperſtitioſi p. 98.
XII. De Mediocritate circa ſtudium Gloriæ p. 104.
XIII. De Triumpho Chriſti p. 118.

XIV.

Digitized by Google

XIV. Philosophiam esse Meditationem Mortis p. 124.
XV. De Ornatu Animi p. 147.
XVI. Ad Exeqvias Mariæ Helenæ, Uxoris M. Johan. Hornschuchii p. 156.
XVII. De Divitiarum valore circa Nobilitatem p. 168.
XVIII. An qvis ante obitum Beatus dici debeat? p. 178.
XIX. De Statu Naturali adversus Hobbesium p. 184.
XX. De vetusto Ritu Pœnitentiæ solennis p. 194.
XXI. De Pontificiorum Risu Paschali p. 210.
XXII. De Chiliasmo & Chiliastis p. 225.
XXIII. De Opere Sanctificationis p. 236.
XXIV. De Arte Medicâ p. 247.
XXV. De Dyscolo & Autore operis de Disciplinâ Scholarium p. 262.
XXVI. Pentecostale p. 278.
XXVII. De Amore Virtutis p. 280.
XXVIII. De Intellectu agente p. 290.
XXIX. De Machiavellistis & Monarchomachis p. 300.
XXX. De Legendâ S. Catharinæ p. 311.
XXXI. De Astrologiâ Judiciariâ p. 332.
XXXII. An Gentiles in Anima Mundi agnoverint Spiritum Sanctum? p. 347.
XXXIII. De Laudibus Johannis Georgii II. Electoris Saxoniæ p. 364.

XXXIV.

Digitized by Google

XXXIV. De Septem Artibus Liberalibus p. 368.
XXXV. De qvodam Dicto Antalcidæ p. 384.
XXXVI. De Provisione circa futura p. 396.
XXXVII. De Johanne Salhusio, Teste Veritatis p. 411.
XXXVIII. De Qvatuor Animalibus Ezechielis p. 423.
XXXIX. Adversus Philosophos Libertinos p. 437.
XL. De Antichristo Mixto. p. 451.
XLI. Adversus Philosophos Novantiqvos p. 465.
XLII. De Peregrinationis Usu & Abusu p. 480.
XLIII. De Legendâ S. Michaëlis Archangeli p. 494.
XLIV. De Seculo Spiritus Sancti p. 505.
XLV. De Partu Virginis p. 521.
XLVI. De Vetusto Ritu creandi Baccalaureos p. 536.
XLVII. De Fictis Reliqviis Sangvinis Christi p. 549.
XLVIII. De Miraculo Lingvarum p. 555.
XLIX. Præscriptum Orationi de Lundensi Academiâ p. 567.
L. Adversus Anonymum de Libertate Philosophandi p. 571.
LI. De verâ Lingvæ Germanicæ Eloqventiâ p. 585.

LII. Ad-

Digitized by Google

LII. Adversus Cluverium de Diis Germanorum p.596.
LIII. Ad Exeqvias D. Hieronymi Kromayeri p. 608.
LIV. De Ordine Candidatorum p. 631.
LV. De Vocabulo Philosophiæ p. 647.
LVI. De Definitione & Officiis S. Angelorum p. 660.
LVII. De Pecuniâ cum Mortuis sepulta p.673.
LVIII. Philippum Melanchthonem non improbavisse Gradus Academicos p. 681.
LIX. Ad Celebranda pro divino redonatæ publicæ Pacis Beneficio Sacra Eucharistica p. 794.
LX. De Excidio Mundi, Chiliastis, Morte Hominis p. 701.
LXI. De Hominis versus Hominem officio Angelico p. 713.
LXII. De Occultatione Scientiarum p. 722.
LXIII. De Occultis Poeticarum Fabularum Sensibus p. 730.



JUVAN-

Digitized by Google

JUVANTE TRIUNO!

# PROGRAMMA I.

## DE UTILITATE DECLAMATIONUM:

*Præscriptum Orationi,*

Qvâ

Anno 1645. d. 7. Junii.

GOTHOFREDUS GROSSIUS,

Lipsiensis,

*demonstravit,*

Ducem Belli in literis qvoqve versatum esse oportere.

UT in cæteris artibus ad habitum non nisi per exercitia gradus est: ita vix qvisqvam se speret artem dicendi aliter qvam dicendo assecuturum. Qvi fabrilem addiscunt, fabricando addiscunt; & fides pulsando paulatim conseqvimur, ut inter optimos fidicines haberi mereamur. Qvod eodem jure ad eloqventiam accommodare licebit, qvo



Digitized by Google

Philosophum nostrum (a) ad virtutem transtulisse conspicimus, ut illum demùm eloqventem fore dicamus, qvi causas perorare sæpiùs consveverit. Verùm interrogabit hîc aliqvis: ergone Eloqventiæ Candidatus statim in judicio comparebit, & lingvæ operam litigantibus locabit? suggestum conscendet, ut furorem populi componat? comitiis & legationibus se miscebit, proqve publicâ salute verba facere tentabit? Minimè hoc qvidem. Nam nec omnibus sua conditio, præsertim si adolescententiores sint facultates, hujusmodi objicit; neqve tanti esse debet, dum tu fortasse passum ad eloqventiam promoveas, reum in gravissimâ controversiâ dejici, aut causam publicam flagitiosè administrari: qvod necesse est, qvoties per dicendi imperitos res agitur. Imò nemo facilè cum explosionis periculo nomen eloqventiæ sibi comparare velit. Igitur prudenti consilio excogitata, laudabiliqve admodum instituto in Scholas tam publicas qvàm privatas introducta est declamitandi exercitatio, qvâ qvi ad aliqvam in dicen-

(a) Aristotel. lib. II. Nicom. c. 1.

Digitized by Google

cendo excellentiam adſpirarent, non veram aliqvam cauſam, ſed fictam ex arbitrio ita ſuſciperent, ut eam adhibitis judicibus iis, qvi non tam cauſam, qvàm patronum cauſæ attenderent, perorantes neqve laude fraudarentur atqve applauſu, ſi qvid ex arte geſſiſſent, & veniam tamen atqve amicam monitionem ſibi paratam ſcirent, ſi perperàm. Qvæ res qvantum ad illud, qvod diximus, ſtudium momenti afferat, dici vix poteſt. Nam ſi Demoſtheni, (qvem legimus (b) ſæpisſimè in cavernam ſubterraneam deſcendiſſe actionis formandæ vocisqve componendæ gratiâ, non nunqvam vadoſis litoribus inſiſtentem declamationes ſuas fluctuum fragoribus impegiſſe, ut ad fremitus concitatarum concionum aures aſſvefaceret,) hæc exercitatio, cui non judicem alium qvàm ſemetipſum admovebat, qvæqve pro ſubſelliis ſaxa & ſcopulos, pro auditoribus piſces & conchas habebat, tantum tamen profuit, ut in Oratorem longè omnium clariſsimum evaderet:



(b) Vide Plutarch. in vita Demoſth. Tom. I. Oper. f. 849. ed. græco lat. Franco f. A. 1620. & Cic. lib. V. de finibus p. 125.

Digitized by Google

qvantò feliciùs illi se præparabunt ad hanc facultatem, qvi sic exercentur, ut solo qvidem perdendæ causæ periculo vacent, in cæteris omnibus tanqvam in verâ actione versentur? Planè ut in ludicris præliis idem armorum strepitus auditur, qvi in veris, eadem militis alacritas cernitur, idem robur exploratur, eadem dexteritas commodè adhibetur, eadem agminum implicatio committitur, ad extremum eodem planè eventu pugnatur: ita iis præsertim, qvi in amplioribus Academiarum spatiis declamando vires eloqventiæ meditantur, qvid objici olim poterit, cùm vel coram circumfusâ populi multitudine veritatis aut virtutum patrocinium suscipiendum fuerit, vel in splendido loco, inqve clarissimorum hominum consessu rumpendum silentium, qvo tanqvam insolitô percelli possint, unâ exceptâ causæ seriæ conditione? Nam nec in Auditoriis nostris splendorem jure desideres, &, si res jubeat, gravissimorum hominum consessum dare possumus, strepitum etiam vulgi multò faciliùs. Qvô nostræ ætatis Studiosorum longè æqvior est conditio atqve illo-

illorum veterum, qvibus, anteqvàm in tantam amplitudinem excrescerent Academiæ, declamantibus sæpenumerò unus Præceptor pro totâ concione adfuit. Qvòd si jam eloqventiæ candidatus in perqvirendâ declamationi materiâ ad illud orationis genus potissimùm sese attemperet, qvod aliqvando præ cæteris sectandum sibi fore prævidet, hoc scilicet præterea faciet lucri, ut interdum, qvæ subitaria qvæpiam necessitas insperanti in concionem producenda obtrudit, ea domo diu antè elaborata repetere qveat. Atqve id is, qvi docendi munus sibi fortè habet propositum, ita præstabit, si aptam doceri materiam declamabit; qvi forum suis studiis præfixit, si controversias meditabitur forenses; qvi aulam cogitat, si ea commentetur, qvibus prudentia politica acqviri potest. Unde apud nos hodiè, perinde ut apud vetustiores non eadem ubivis exercendi ratio. *Illi & dicta præclarè*, ut habet Svetonius (c), *per omnes figuras, per casûs & apologos, aliter atqve aliter exponere, & narrationes cum breviter & pressè, tum latiùs & uberiùs explicare con-*



(c) cap. 1. de clar. Rhetor.

Digitized by Google

*ſpeverant: interdum Græcorum ſcripta convertere, ac Viros illuſtres laudare vel vituperare; quædam etiam ad uſum communis vitæ inſtituta tum utilia & neceſſaria, tum perniciosa & ſupervacanea oſtendere, ſæpè fabulis fidem firmare, aut hiſtoriis demere, qvod genus θέσεις & ἀνασκευὰς & κατασκευὰς Græci vocant, donec ſenſim hæc exoleverunt, & ad controverſiam ventum eſt.* Qvarum ne exempla deſiderare posſimus, Senecæ potisſimum & Fabii, qvæ extant, Declamationes effecerunt. Porrò neqvè hoc tacendum, qvod & idem Fabius qveritur, eò rem iſtam olim culpâ docentium recidiſſe, ut inter præcipuas, qvæ corrumperent eloqventiam, cauſas licentia atqve inſcitia declamantium fuerit: deflectebant enim ad mera nugamenta & ineptias, nihilqve eorum, qvæ in uſu fori erant, pertractabant, ſed *piratas crepabant cum catenis in litore ſtantes, & tyrannos edicta ſcribentes, qvibus imperent filiis, ut Parentum ſuorum capita præcidant, aut reſponſa in peſtilentiâ data, ut virgines tres aut plures immolentur,* harumqve ſimiles nænias *magnô rerum tumore & ſententiarum vaniſsimo ſtrepitu* deblaterabant. Qvo nomine Petronio in

Digitized by Google

in primis ludibrium debent, qvi eos istâ ratione hoc tantùm proficere autumat, (*d*) *ut cùm in forum venerint, putent se in alium terrarum orbem delatos.* Id qvod vel exemplo Porcii Latronis, Romani Rhetoris, cui plurimum tribuit Seneca, (*e*) satis comprobatur. Illi enim, summam in scholis opinionem obtinenti, cùm in foro causa esset oranda, impensè petiit, ut subsellia in basilicam transferrentur. (*f*) Atqvì hoc ipsum nostris hominibus partem difficultatis adimit, qvòd illa Romanorum forensis consvetudo dudum exspiravit. Qvanqvam, dum istiusmodi, qvales modò tetigimus, insolentes controversiæ improbantur, non etiam simul eâdem lege arcendus est eloqventiæ Studiosus à rerum interdum vilium commendatione, propterea qvòd ingenium maximè comminiscendis hujuscemodi laudum argumentis acuitur



(*d*) Petron. Satyric. non procul ab init. (*e*) lib. I. Controvers. procem. *Nihil illo Virogravius, nihil svavius, nihil eloqventiâ suâ dignius.* (*f*) Idem Seneca procem. l. IV. Controversiar. memorat *declamatoria virtutis Latronem Portium unicum exemplum, cùm pro reo in Hispaniâ Rustico Porcio propinqvo suo diceret, usqve eò esse confusum, ut à solœcismo inciperet, nec antè potuisse confirmari, tectum ac parietes desiderantem, qvàm impetravit, ut judicium ex foro in basilicam transferretur.*

Digitized by Google

& excitatur. Etenim ut pulchrum est, medicamenti vim in cane periclitari, anteqvam homini adhibeas: ita profuerit aliqvando robur eloqventiæ in causâ parum speciosâ experiri. Ac meditatam ita orationem, qvocunqve tandem in genere, qvi in publico hominum cœtu pronunciat, non eruditionis tantùm periculum facit, sed & animum sibi obfirmat, & ingenitam cumprimis ætati juvenili timiditatem sensim decoqvit, ut res etiam serias aliqvando intrepidè audeat effari, ubi necessitas postulet. Qvâ in re mirum profectò est, etiam exercitatissimos in dicendo Viros nonnunqvam defecisse, ut in gravissimis negotiis ad dicendum ingressi conticescerent prorsus, qvod ex antiqvis Demostheni ac Theophrasto, ex recentioribus Bartholomæo Sothino & Francisco Barbaro contigisse, proditum est memoriæ. Hanc trepidationem, si qvicqvam in nobis, certè freqvens declamandi usus corrigit atqve expugnat. Nam *schola velut ludus, forum qvasi arena qvædam est: ibi armantur ingenia, hic prælianturur; ibi prælusio, hîc pugna committitur*, ait Eumenius, additqve Puteanus (g), *ibi auda-*

(g) exerc. 2.

*audaciam assumunt, ut hîc attoniti non obmutescant. Qvemadmodum ante pugnam sangvine gladiatorum fascinatus exercitus obfirmato oculo postea spectat vulnera morientium & proterit: ita Scholastici ab umbrâ in forum transeuntes hominum vultûs ferre & freqventiam sciunt.* Qvamobrem Viri in omni literaturâ eloqventissimi haud mediocre studium in declamationibus semper posuerunt adeò, ut eorum nonnulli etiam tum, cùm longo usu ad dicendum jam essent instructissimi, declamatoriis exercitiis conservandam sibi isthanc facultatem esse duxerint. Princeps Oratorum Marcus Tullius ad Præturam usqve Græcè declamavit, Latinè verò senior qvoqve. Hortensius nullum diem fluere passus est, qvin aut in foro diceret, aut meditaretur extra forum. Cn. Pompejum sub ipsum civile bellum qvidam Historici tradiderunt, qvò faciliùs C. Curioni promtissimo juveni causam Cæsaris defendenti contradiceret, repetiisse declamandi consvetudinem; M. Antonium, item Augustum, ne Mutinensi qvidem bello, omisisse. Qvid de Oratoribus Ecclesiasticis dicamus? Lactantius certè multum


Digitized by Google

ſibi exercitationem illam fictarum litium contuliſſe fatetur, ut majore copiâ & facultate dicendi cauſam veritatis perorare poſſet. Nec Hieronymum pœnituit unqvam, qvòd declamando adoleſcentulus ſe Romæ exercuerit. Multum igitur prodeſt ad conſervandam Academiis eloqventiæ gloriam, hæc qvoqve exercitia non intercidere. Qvò promtiùs explevimus deſiderium benè morati & docti adoleſcentis GOTHOFREDI GROSSII Lipſienſis, cùm is nuper à nobis declamandi publicè poteſtatem expeteret. Atqve hoc aget cras, DEO volente, horâ IIX. matutinâ in hujus Collegii Auditorio. Delegit autem accommodatam his temporibus materiam, decrevitqve elaboratâ oratione oſtendere, *Ducem Belli in literis qvoqve verſatum eſſe debere.* Qvod ipſius ſtudium ut Magnificus Academiæ Rector, cæteriqve Proceres Amplisſimi perhonorificâ ſuâ præſentiâ adjuvare dignentur, uti nos magnoperè rogamus, ita laudatisſimæ Familiæ dignitas, qvã illuſtrare & augere porrò minatur optimæ ſpei Juvenis, ab unoqvoqve facilè exorabit. Florentisſimum verò Studioſorum ordinem

Digitized by Google

dinem ultrò adfuturum nulli desperamus. P. P. Lipsiæ IIX. Eidûs Junias M.DC.XLV.

## PROGRAMMA II.

## DE INTELLECTUS HUMANI COMPARATIONE CUM TABULA RASA:

*Præscriptum duabus Orationibus,*

Qvibus A. 1652. d. 22 Maji.

*duo BRAUNII FRATRES,*

GEORGIUS CHRISTOPHORUS ET VALENTINUS,

*Alter Experientiam Arti, alter Artem Experientiæ præferendam esse disseruerunt.*

VErissima est similitudo Aristotelis, Intellectum nostrum, qvalis nimirum suâ naturâ est, tabulæ seu libro comparantis (a) (γραμματεῖον ipse vocat,) cui nihil sit actu inscriptum. Ita enim certè est. Nascimur in hunc mundum rerum omnium penitus rudes, & accepimus qvidem à naturâ librum capiendæ vastissimæ rerum universitati satis amplum, sed in qvo nondum sit depictum ne jota qvidem. Cæterùm verba Philosophi non sunt æqvè ab omnibus accepta. Cùm enim, ut aliàs sæpè

(a) lib. III. de animâ cap. 4.

Digitized by Google

sæpè, ita & hoc in loco Platonis opinionem impugnaret, contendentis, omnium rerum insita simulacra nobis à nativitate actu adesse; qvæ si minùs à nobis cognoscantur, id inde fieri, qvòd immersæ corporibus mentes qvasi limo qvodam obducantur, ut legi literarum nihil qveat; extergi tamen iterum & aboleri istas sordes culturâ ac disciplinâ diligenti, ut apparere denuò scriptura incipiat, eoqve nihil aliud esse scire nostrum, qvàm reminisci. Ab hâc, inqvam, Præceptoris sententiâ cùm alienissimus semper fuerit Aristoteles, reperti sunt tamen, qvi ut ostenderent, verbis tantùm hos Philosophiæ principes Viros inter se disfidere, qvi rebus ipsis consentiant, huic etiam pronunciato vim intulerunt. Qvorum alius (b) vocabuli unius notionem arripiens non frustrà esse jactitavit, qvòd Philosophus non χαρτίου similem esse dixerit intellectum, sed γραμματείου. Qvamobrem obsecro? Nempe cùm γραμματεῖον sine literis (γράμματα qvippe sunt literæ) nominari non possit, eum non omnem intellectui scripturam

(b) Jamblichus: vide Zabarellam comment. in Aristot. III. de an. text. 14. p. 860.

ram literarum adimere, sed eam solùm, qvæ sit perspicua, & lecturienti statim obvia. Qvasi verò, ne qvis illud verbum cavillari posset, non sit satis prospectum ab ipso Aristotele, qvi ejusmodi γραμματεῖον clarè appellat, ᾧ μηδὲν ὑπάρχει ἐντελεχείᾳ γεγραμμένον, *cui nihil est actu inscriptum.* Qvibus verbis ad retundendas istas argutias nihil poterat dici efficacius. (c) Vidit hoc procul dubio Bessario Cardinalis: itaqve aliis machinis utendum sibi putavit, qvibus in Platonicum dogma invitum pertraheret Aristotelem. *Tabulæ*, inqvit (d) *illa similitudo non ad simpliciter esse intellectûs referenda est, sed ad corporariam operationem, ad qvam intellectus perinde se habet, ut tabula, in qvâ nihil sit scriptum. Nihil enim cognitionis phantasmatariæ possidet, sed in potentiâ est ad cognoscendum duntaxat per phantasmata ipsa. Aut certè, qvod ἀκροαματικέστερον, & ex penitiori ratione disciplinæ peripateticæ est, ad scientiæ primæ acqvisitionem per qvietem & constantiam intellectûs illa tabellæ ratio referri debet, qvam & ipsam recordationis & reminiscentiæ nomine Plato signi-*

(c) Vide Zabarell. d. l. & conf. Franc. Tolet. comment. in Aristot. III. de animâ text. 14. p. 138. (d) lib. III. contrà calumn. Plat. cap. 28.

Digitized by Google

*significare voluit. Nam respectu qvidem speciei ipsius refertus semper scientiâ est intellectus, neqve aliter Aristoteles, qvàm Plato hâc de re sentit, qvod & Averroës fatetur commento qvinto super tertio libro de animâ.* Hæc Bessario. Qvæ si vera essent, ut alia omittamus, non negâsset Aristoteles, intellectum, anteqvam intelligat, actu esse rerum intelligibilium qvicqvam, qvod tamen paulò antè negaverat expressè. Neqve Philosophiæ Aristotelicæ consentaneum est, obhærescere species qvascunqve in mente, etiam eo tempore, cùm illa his intuendis non vacat: aliter enim sine phantasmate fieri posset intellectio, qvod semper inficiatus est Philosophus. Nam qvod de acqvisitione primæ scientiæ per qvietem & constantiam intellectûs addit Bessario, in eo qvidem qvantum in dictione πλατωνίζειν didicerit ostendit, cæterùm similitudinem ipsam Aristotelis ita offuscat, cùm sit in se clarissima, satis ut appareat, elabi eum per tenebras voluisse; qvibus ne Lector irasceretur, speciosum nomen penitioris & ἀκροαματικωτέρας doctrinæ obtexuit. (e) Nobis qvi-

(e) Bessarionem & Jamblichum etiam refellunt Conim-

Digitized by Google

qvidem persvasum est, nihil afferre secum homines natos illarum specierum, qvas εἴδη vocarunt, atqve hoc istà comparatione innuere Aristotelem voluisse. Neqve hoc ad invidiam Naturæ pertinet magis, qvàm illud, qvòd hominem nudum & inermem in humum abjecit, qvod qvidem Plinium movebat, ut dubitaret, *(f)* parensne melior homini, an tristior noverca fuerit Natura? Ut enim eadem, qvæ corpori vestes & arma negavit, non negavit manûs, qvibus utrumqve & comparare sibi & aptare posset: pari modo etsi mens nostra spaciosum hoc mundi theatrum nullis artibus compta, nullis instructa scientiis ingreditur; iis tamen adminiculis donata est, qvibus in pulcherrimam speciem ipsa se qveat induere. *(g)* Namqve non tantùm nativo qvodam lumine pollet, qvod veluti omnibus rebus colorem suum & discrimina reddat, sed & qvasi fenestris qvibusdam, ita sensibus aperta est, per qvos extra se degentium rerum omnium imagines admittat. *Idcircò enim*, ut ait Lactantius,

bricenses: qvos vide in Aristot. lib. I. poster. analyt. c. 1. p. 415. 418. *(f)* lib. VII. prodem. *(g)* Conf. in præf. meis disputatoriis p. 1. seqq.

Digitized by Google

tius,(*h*)*oculos & aures, cæteros sensûs patefecit in corpore humano divina solertia, ut per eos aditûs scientia perveniret ad mentem.* Videlicet cùm multiplicis jucunditatis figuræ per illa sensuum ostia in arcem corporis se penetrarunt, imminet suis divitiis mens, qvæqve accepit, radiis suæ lucis collustrans, longè acutiùs, qvàm ab sensibus erat factum, contemplatur: Hic est ille oculus, qvò Plato ajebat τραπεζότητα καὶ κυαθότητα, ut refert Laërtius (*i*), cerni posse, cùm corporis oculus præter mensam & cyathum nihil videat. Hic ille est oculus pectoris, qvo Pythagoram Ovidius (*k*) ea dicit hausisse, qvæ humanis visibus negavit natura. Ratio enim nostra in illo imaginum acervo constituta, modò similia similibus componens, qvæ universis communia sunt, in cumulum unum conjicit; modò qvæ mirabili cinno confuderat natura, dissolvens suis qvodqve arculis distinguit; hinc Infirmis robur addit, fallacibus fucum, rudibus scabritiem demit, latentia è cubilibus suis protrahit; omnia deniqve dispersa antè, & nul-

(*h*) cap. 3. de falsâ sapient. (*i*) lib. VI. sub Diogene, p. 240. ed. latin. Lugdun. A. 1546. (*k*) lib. XV. Metamorph. v. 63. 64.

Digitized by Google

nullâ lege errantia, in aptissimum ordinem effingit: qvo absoluto habet, nimirum homo, qvod tantis desideriis expetivit, rerum hujus universi scientiam. Dicere possis, duos pedes esse, qvibus homines ad palatium Sapientiæ contendant, *Experientiam* & *Artem*. Nam neq; sine Arte Experientia valet, neqve destitutæ Experientiâ Artis ullus in humanâ vitâ usus est. Comportat Experientia qvasi materiam & cæmenta futuro ædificio; qvæ posteà ab Arte rejectis inutilibus edolantur expoliuntur-qve, & in justam compagem ordinantur. Illa sensibus utitur, hæc ratione. Illa inductiones fabricat, hæc syllogismos: qvibus duobus omnem fidem contineri Philosophus noster asserit. Cùm autem utriusqve in omni vitæ gubernatione summa sit necessitas, *utra alteri præstet*, hîc qvidem non definiemus. Sumserunt enim sibi hanc disceptandam controversiam politissimis moribus, & eruditione haud vulgari Juvenes GEORGIUS CHRISTOPHORUS & VALENTINUS Braun Fratres, qvorum alter Experientiæ, alter Arti principatum deferet, recitandis in hanc sententiam

tiam Orationibus, brevibus iis qvidem, sed luculentis. Penes Vos, Magnifice Academiæ Rector, Comites & Barones Generosissimi, omniumqve Facultatum Amplissimi Viri, qvorum illustrem præsentiam & sibi exoptant doctissimi Adolescentes, & nos publico nomine majorem in modum rogamus, arbitrium erit, statuere, utrius causa superior judicanda fuerit? Qvanqvam, qvæ vestra est humanitas, secundum utramqve potiùs feretis sententiam. Nam & Experientiæ causa potior videbitur, qvamdiu GEORGIUM CHRISTOPHORUM audietis, & Artis, qvamdiu VALENTINUM. Nobilissimos autem & Ornatissimos Studiosos peramanter invitamus, ut & ipsi freqventiâ suâ atqve applausu animum addere Oratoribus velint, gratissimum officium illis pariter ac nobis præstituri. Pronunciabunt cras, volente Deo, horâ octavâ matutinâ in Auditorio Collegii Majoris. P.P.d.21. Maji A.M.DC.LII.

---

## Programma III.

### De Studiorum Academicorum Comparatione cum Mercatura:

*Præscriptum promulgationi Lectionum publicarum Facultatis Philosophicæ,*

Anno 1652. d.23. Maji.

Pa-

Digitized by Google

PArisiensem Academiam cæteras omnes antiqvitate superare, ut pro Matre universarum haberi possit, notum jam pridem est inter omnes: non perinde, qvæ instituendæ ejus prima fuerit occasio. Proditum autem est memoriæ, (a) cum mercatoribus Britannis tempore Caroli magni Scotos duos Monachos ad litus Galliæ devenisse, Johannem Maibrosium, & Claudium Clementem, literis, pro captu illius seculi, egregiè tinctos. Nam in Britanniæ angustias Romani orbis diuturna bella, effusâ in omnes regiones barbarie, bonas artes compulerant. Cũqve reliqvi mercatores suam qvisqve mercem verbis, ut fit, ornarent, cœperunt & isti Monachi, velut institores mercis cujusdam novæ & Gallis inauditæ, venalem Scientiam proclamare. Ac vulgus qvidem pro insanis eos habere: sed Carolus Rex, cui pietas, virtus ac res gestæ Magni cognomentum indiderunt, (b) illâ fama attonitus, accersi-



(a) Consulantur de hâc re Petrus Ramus Schol. in liberales artes f. 1034. 1035. ed. Basil. A. 1569. (in Oratione pro Philosophicâ Parisiensis Academiæ disciplinâ.) Jacob. Middendorp. lib. VI. Academ. p. 362. seqq. Herm. Conring. de antiq. Academ. dissert. III. p. 74. (b) Conring. d. l. Dissert. I. p. 44.

Digitized by Google

tos interrogavit : haberentne Sapientiam ? respondentibus, habere se, & & paratos dignè qværentibus eam in nomine DOMINI communicare, pretium, qvod optarent, obtulit. Dixerunt, se tria petere: loca opportuna; animas ingeniosas, & illa, sine qvibus vita non potest transigi. Ita factum est, ut eorum monitu, accedente autoritate Flacci Albini, qvi & Alcuinus Diaconus dictus est, (qvem condiscipulum in Angliâ monachi, Rex præceptorem habuerat,) amplissimæ Parisiensis Academiæ posita sint fundamenta, anno Salutis qvasi septingentesimo nonagesimo secundo. Hæc præfari visum est, cùm ab instituto nostro non planè viderentur aliena, publico præconio Professorum Ordinis nostri Lectiones indicare meditantibus. Nam ut illi cum negotiatoribus advenerunt, ita nobis qvoqve statim post nundinas tabulam præscribere mercium literatarum jam diu solenne est. Et, ut hoc gloriari liceat, qvæ isti tria præstari sibi petierunt, nos qvoqve habemus. Etenim Serenissimorum Academiæ Fundatorum Conservatorumqve munificentiâ

Do-

Digitized by Google

Doctoribus sua præmia constituta sunt; & Lipsia nostra non, ut Platonis villa, horrida est ac pestilens, sed elegans, salubris, amœna; neqve ingenium illis deest, qvi variis è locis formandi nobis mittuntur. Superest, ut, qvorum causâ hæc omnia apparantur, foro uti, & occasionem discendi pulcherrimam apprehendere velint. Sanè commodè hoc qvotannis cadere videtur, qvòd statim à finitis vernalibus nundinis publica lectionum promulgari solet consignatio. Monentur enim hâc ratione, bonarum artium Studiosi, ita sibi versandum esse in Academiis, qvemadmodum in foro vidissent maximè δεφσήεον hominum genus versari mercatores. Hi qvidem, sive emendi causâ advenerint, sive vedendi, ita suis sunt intenti negotiis, ut præ studio rem faciendi neqve cibi magnoperè, neqve somni curam habeant, concessum autem commodis suis tempus devorare velle videantur. Observes alios à summo mane in profundam vesperam suis tabernis incubantes, ne forte prætereat emptor venales merces, qvibus, eas qvi addicat, adesse neminem cernat. Alii, ut


Digitized by Google

qvàm vilisſimo pretio mercentur, omnes angulos non perrepunt, ſed pervolitant, qvantum ubiqve eſt mercium, qvod in rem ſuam ſit, licitantur, nummorum parci, verborum prodigi, ut teruncium lucrifaciant, eundem venditorem decies deſerunt, decies repetunt. Jam qvantum operæ impenditur in mercibus expoliendis, innovandisqve? vicisſim qvanta accuratio adhibetur in explorandis iis, qvæ de mangonio ſuſpectæ ſunt? Qvid noctes referam? qvas pleriqve, qvibus paulò copioſior eſt negotiatio, partim literis in omne latus mundi ſcribendis, partim digerendis rationibus inſumunt. Adeò nulla pars temporis illis excepta eſt, qvam perire ſibi velint. Qvòd ſi divitiæ, qvæ in ſingula momenta fortunæ injuriis obnoxiæ ſunt, tanto niſù qværuntur: an non ratio poſtulat, ut ſtudium longè majus conferamus ad parandas opes ejusmodi, qvæ, ut ajebat Ariſtippus, (c) ſi forte naufragium facere contingat, unà cum Domino enatare poſſint?

(c) Erasm. Apophth. lib. III. p. 282. (ſub Ariſtippo n. 61.) Majorag. Orat. XV. p. 312.

Digitized by Google

ſint? Atqvi harum in Academiis mercatus eſt.; imò verò aliqvid mercatu multò commodius optabiliusqve. Perpetuum qvoddam congiarium aut viſcerationem appellare poſſis. Qvi enim ad mercatum proficiſcuntur, niſi precium afferant mercibus dignum, vacui nimirum remeabunt domum. At in Academiis hodiè ingenii illas divitias, illa animorum pabula publicis ex Auditoriis auferre cuivis etiam pauperrimo integrum eſt: Asſideat modò, arrigat aures, afferat calamum, recondat in chartam, qvæ dicuntur, mandet deinde memoriæ & ſibi conſervet; de numerandâ mercede ne ſit ſolicitus, qvando jam Principum liberalitate effectum eſt, ne ſuis ſtipendiis careant Profeſſores. Qvam ſeculi felicitatem utinam agnoſcerent omnes, qvi in Academiarum ſpaciis vitam degunt! Olim enim longè carior fuit eruditionis annona. Vetus qvidem Græcia certè, qvam veluti Parentem literaturæ humanioris Romanus orbis ſemper veneratus eſt, etiam eo tempore, qvo Scholas habentibus publicam autoritatem, (qvod tamen ipſum ſatis ſerò factum conſtat,) qvadantenus


Digitized by Google

adjecit, nullo eos publico salario alujsse deprehenditur. (d) Qvâ tempestate qvam dura fuerit discentium conditio, facile æstimare licet. Non enim, qvem vellent, audire poterant, sed cui, qvantum posceret, haberent solvere, majorem allis super alios mercedem suæ doctrinæ statuentibus. Inde Plutarchus (e) Demosthenem memorat Isæo magistro se dedisse, qvod Isocrati, qvi decem à singulis discipulis minas exigebat, satisfacere propter orbitatem neqviret. Sed hoc nihil ad Protagoram, qvem Laërtius (f) autor est centum minas flagitasse primũ. Et tamen istâ ætate incredibilis fuit ardor discendi, nullum pretium, nullum laborem, ærumnas nullas recusante juventute, tantum ut ex aliorum ingenio suum locupletarent. Supra fidem est propemodum, de Diogene qvod refertur. (g) Hic enim cum ab Antisthene repelleretur, qvod is neminem recipere docendum constituisset, etiam baculum, nî facesseret, intentanti caput subjiciens, *Cæde*, inqvit, non

(d) vid. Conring. de antiq. Acad. diss. I. p. 9. 10. (e) Tom. I. oper. f. 848. B. (in vitâ Demosth.) (f) lib. p. 390. ed lat. Lugd. A. 1546. (g) Laert. lib. VI. p. 229.

Digitized by Google

*non enim ita durum baculum reperies, qvi me abs te, qvamdiu aliqvid dixeris, arcere possit.* Deum immortalem, qvàm inversa est hodiè rerum facies! Illi magno docentibus Magistris adhærebant assiduè, ac ne conviciis qvidem ac minis absterreri se patiebantur; porrò freqventiâ tàm celebri adhærebant, ut uni Theophrasto auditorum ad duo millia accurrisse legamus. (*h*) Qvid nostræ ætatis Studiosi, qvibus gratis licet haurire Scientias? Dicerem, nisi prohiberet pudor. Atqvi, si turpissimum judicavit Tullius, (*i*) inanem redire Marcum filium, qvi Athenas tanqvam ad mercaturam bonarum artium, (ubi scilicet Scientiæ pretio venderentur,) esset profectus: qvantò turpius erit, cùm in gratuitam docentium operam non cogaris effundere patrimonium, nihil collegisse discedentem, qvo probare possis, publicæ te doctrinæ fuisse studiosum? Eqvidem qvi balneum ingrediuntur, non redeunt illoti; qvi tonstrinam, capillitium aut barbam referunt comptiorem; neqve è sutoris



(*h*) Id lib. V. p. 200.
(*i*) lib. III. offic. p. 53.

Digitized by Google

officinâ temerè qvis absqve novis calceis revertitur. Solæ bonarum artium officinæ, cùm à multis invisantur, paucissimos habent, qvi studeant sibi literariam aliqvam supellectilem audiendo, legendo, declamando, disputando comparare; satis ad eruditionem arbitrantes, si se sciant in Academiâ vixisse: prorsus ac si, ut olim in Æsculapii æde dormientibus remedia revelabantur per insomnium, (*k*) ita in Musarum templis stertendo ad arcana Philosophiæ perveniretur. Putes eos malè intellexisse Pythagoram, qvem accepimus sapientiæ studiosos comparasse cum illo hominum genere, qvi ad mercatum confluerent visendi solùm causâ, non emendi vendendive: (*l*) id utiqve innuentem, qvi ad hæc studia animum appulissent, eos non pecuniæ aut qvæstui inservire, sed rerum naturam diligenter intueri, ex istâ contemplatione aliud qvidem nihil, qvàm ingenuam animi voluptatem captantes. Sed qvorsum rapiant hodiè pleriqve sententiam opti-

(*k*) Casaub. ad Pers. p. 9. (*l*) vid. Cicer. V. Tusc. p. 229. Erasm. apophth. lib. VII. p. 852. Simile qvoddam Cratetis dictum deprehendes apud Stobæum f. 66. ed. Basil. A. 1549.

Digitized by Google

optimi Senis, qvàm plurimorum vivendi ratio ſatis loqvitur, qvi in hoc diſciplinarum emporio ita verſantur, non ut in rem ſuam convertant publicas merces, qvibus animus in divinarum humanarumqve rerum cognitionem traducitur, voluntas ad honeſtatem, ad elegantiam mores componuntur, ſed qvaſi ſufficiat otioſos ſpectatores interfuiſſe. Qvô fit, ut, qvæ mercatorum ferè hactenus cantilena fuit, ſit eadem & Profeſſorum: qvi adſpexerint merces & præterierint, magnam copiam fuiſſe; qvi ſuas eas fecerint, flagitioſam penuriam. Interea qvemadmodum illis, ut proverbio utamur, ſemper hamus pendet: ita & ſuum judicârunt Domini Profeſſores, qvamvis maxima civium pars contemptores ſe publicæ doctrinæ oſtendat, vel eorum tamen in gratiam, qvi faciunt officium, operas ſuas aſpectui omnium ſubjicere.

## Manè Horâ VI.

JOHANNES ITTIGIUS, *Philoſ. & Med. D. Phyſic. P.P. Academiæ h. t. Rector, etſi propter occupationes & negotia publica parum otii ei cèdat, attamen ea, qvæ in Phyſica parte gene-*

Digitized by Google

*generali explicanda restant, hoc semestri σὺν Θεῷ absolvere conabitur.*

Horâ IIX.

L. Gotfridus Sluterus P.P. *continuaturus Analysin Organi Aristotelici inceptam, perget ad ea, quæ restant in libris priorum Analyticorum.*

Horâ IX.

L. Philippus Muller *rudimenta doctrinæ Sphæricæ de motu cœli primo, ejusque passionibus ac Phænomenis explicabit in gratiam tironum: Ut autem provectioribus quoque in hoc studii genere consulatur, explicationem hanc secundum præscriptum Tabularum Mobilis primi, quibus Directionum, ut vocant, negotium Celeberrimus olim Mathematicus* Io Regiomontanus *complexus fuit, applicabit usui.*

A meridie Horâ XII.

D. Andreas Rivinus, P. *Poet. Coripp. lib. IV. & ult. ubi pertexuerit eum Panegyrico multa historica & notabilia complexa sacra quædam carmina TERTULLIANI & VICTORINI nuper excusa, nec unquam publicè enarrata, resumet oretenus saltem sed penitius commentanda & explicanda.*

Horâ I.

D. Hieronymus Kromayer, σὺν Θεῷ prece-

Digitized by Google

*praeceptorum Rhetoricorum ex optimis qvibusqve Autoribus tradet, imprimis Aristotelem cum Cicerone componet.*

Horâ II.

M. FRIDERICH LEUBNUTZ, *Moralium Professor, ea, qva de aqvo ac bono, nec non illâ injuriâ, qvâ qvis sibi ipsi nocet, in duobus lib. V. Eth. capitibus ultimis explicanda supersunt, consvetis aphorismis consonanti variorum autorum sententiâ munitis absolvet, & postea, Deo juvante, librum sextum aggredietur. Breviorem qvoqve librorum Ethicorum ἐπιτομὴν desiderantibus, eam libenter communicabit.*

JOHANNES STRAUCHIUS *perget in historiâ universali millenarii qvarti.*

Horâ III.

M. JOHANN Hornschuch/ *Gr. L. Prof. Cebetis Thebani Tabulae exegesin, Deo volente, continuaturus, ab explicatis Fortunae Adjunctis ad reliqui, multa scilicet ipsam circumstantis turba indeqve ad caeterorum, in primo picturae septo sese oblaturorum, ἐξεπίλωσιν faciet progressum.*

Horâ IV.

M. FRIDERICUS RAPPOLT, *Dial. Phil. Prof. Pub. ad finem Artis suae properaturus eam partem, qva Syllogismos continente & judica-*



Digitized by Google

*ra connexiones docet, magisqve, ut Philippus ait, qvàm superiora* τεχνολογικὴ *est, lectionibus non ita multis absolvet, & ad propriam Dialectica partem, qva de Demonstratione & Syllogismo Topico agit, explicandam gradum proferet, usum simul praeceptorum in Theologiâ pro instituti sui ratione disciplinae illius Consecraneis, DEO benignè adjuvante, ostensurus.*

DEUM rogamus, ut, si non cumulo, saltem per gradûs qvosdam revocare velit illam seculorum veterum felicitatem, ubi præ audientium numero angusta fuerunt qvantumvis ampla Auditoria. Vestrum est, Studiosi Ornatissimi, procurare, ut in hujus voti perfectione vobis qvoqve, qvod imputent, habeant Præceptores. P. P. Lipsiæ Dominicâ Rogationum 23. Maji M.DC.LII.

---

## Programma IV.

## MYSTERIUM SS. TRINITATIS ET IN EO SPIRITUM S. GENTILIBUS IGNOTUM FUISSE:

*Præscriptum Orationi Pentecostali,*

Qvam Anno 1652. d. 5. Junii habuit

EMANUEL WEBERUS.

PRopria, semper & peculiaris veræ Ecclesiæ fuit confessio *Sanctissimæ Tri-*

*Trinitatis*, qvâ DEum Patrem, DEum Filium, & DEum Spiritum Sanctum, non tres DEos esse sed unum in tribus personis æternũ & immutabile Numen, qvale videlicet ipse DEus in verbo suo se est professus, à primordiis usqve mundi nascentis in hanc usqve diem simplici fide creditum est. Neqve hoc arcanum ratio unqvam humana investigare valuisset. Qvæ tametsi, cùm residuæ lucis scintillas in pulcherrimam hujus universi fabricam conjicit, ex visibilibus invisibilia intelligens, persvadere sibi potest, oportere structuræ tam ordinatæ præesse Mentem aliqvam architectatricem, qvam DEum appellare, imò & unum habere fas sit: tamen qvod in isthâc unitate trinum est, id adeò aciem fugit humani intellectûs, ut reperiantur etiamnum, qvi, cùm Christiano se nomine censeri velint, omnibus id modis (horribile dictu) pernegent. Qvò minùs assentiri possumus iis, qvi abstrusum Trinitatis mysterium gentilibus etiam creditum fuisse dictitant: qvo in argumento prolixus est in primis Augustinus Steuchius toto ferè libro secundo de perenni

Phi-

Digitized by Google

Philosophiâ. Mirum verò, si hoc in sit, prioribus seculis, cùm adversus Ethnicismum disputationes ferverent, Christianis Scriptoribus intactum id mansisse: aut Paulum ipsum Apostolum Athenienssibus non Trinitatem potiùs in eorum scriptis deprehensam, qvàm θεὸν ἄγνωστον, qvem forte legerat in arâ, objecisse. (a) Enimverò qvod ad illos attinet gentilium, qvi ante Christum natum scripserunt, si qvid in eorum libris à nostrâ doctrinâ non adeò alienum reperiatur, nimirum hoc sit nobis testimonio, etiam in Vetere Testamento famam de venerandâ Trinitate non tam obscuram fuisse, qvàm hodiè qvibusdam videtur. Sed ut Ascanii Cardinalis psittacus Christianæ veritatis symbolum recitasse memoratur, (b) ipse, qvid recitaret, juxtà cum ignarissimis sciens: ita isti, qvid loqverentur, ignorabant, sonum tantùm, qvem aliunde acceperant, utcunqve imitantes. Qvomodò enim aliàs hæc cum pu-

(a) Actor. 17. v. 23. (b) Ludov. Cæl. Rhodig. Lect. antiq. lib. III. c. 32. f. 162. ed. Genev. A. 1620. *Psittacus Ascanii Cardinalis Romæ articulatissimè continuatis perpetuò verbis Christianæ veritatis symbolum integrè pronunciabat, perinde ac vir peritus enunciaret.*

Digitized by Google

publicis tot passim tamqve à se discrepantium Deorum Dearumqve cultibus stare potuissent? Et sunt sanè, qvæ ex illis afferuntur, ambigua satis & jejuna testimonia, partim etiam imperfecta. Posteà cùm novi fœderis tempore doctrina hæc per universum orbem clarissimis concionibus disseminata, plurimisqve signis confirmata esset, cœpit paulatim Ethnicorum Philosophos, Platonicos potissimùm, plebejæ superstitionis sic pudere, ut divinæ Trinitatis mentionem inciperent ad commenta Platonis sui detorqvere (e), scilicet ne plus Christiani, qvos impugnabant, qvàm sectæ suæ autores, sapere viderentur. Neqve tamen eorum vulgus interim copias idolorum suorum exauctoravit. Sed qvoniam tempus & instituti nostri ratio flagitat, ut hanc commemorationem præcipuè ad *Spiritum Sanctum*, cujus honoribus omnia templa cras personabunt, deflectamus, non possumus præterire, qvod Johannes Reuchlinus affert, annotat. ad librum sub Athanasii nomine vulgatum de va-

C riis

(e) Conf. Joh. Ludov. Viv. lib. II. de verit. fidei cap. de divinâ Trinitate, prope fin. (p. 194. edit. Colon. Anno 1568.)

Digitized by Google

riis qvæstionibus qvæst. i. Ibi cùm sub Minervæ idolo Filium Dei æternum à paganis intellectum (qvàm verè, jam omittimus;) prodidisset, credi qvoqve vult, Spiritum Sanctum βȣλὴν eosdem appellâsse. Cui probando adducit versûs hos duos ex Hesiodi Theogoniâ (*d*), ubi Poëta Jovis liberos memorat,

Πρώτην μὲν κȣ́ρην γλαυκώπιδα τριτογένειαν,
ἶσον ἔχȣσαν πατρὶ μένος, καὶ ἐπίφρονα βȣλήν.

id est, (ut ipse interpretatur,) *Primam certè filiam cæsiis oculis Tritoniam, æqvalem habentem patri potentiam, & prudentem Bulen, i. e. consilium* (*e*). Putat igitur, τριτογένειαν, (qvo nomine Minervam designari nemo ambigit,) & Βȣλὴν esse illa Ascræo Poëtæ περίφρονα τέκνα, (*prudentes partûs Jovis*,) qvæ præcedente versu vocaverat. Nollem hoc excidisset Viro de gloriâ Germanorum omnium meritissimo. Longè aliter illa verba exponet, qvi fabulam totam inspeciet di-

(*d*) qvi sunt 895. & 896. (*e*) *His omnibus* (ita mox pergit Reuchlinus H. 3) *acuto judicio libratis palam conspicimus, apud antiqvissimos græcorum, qvos & Paganos, & Idololatras appellamus, in Deo esse unitatem & pluralitatem, utpote Jovem Deum, & ex Jove Minervam Deum, & per Jovem atqve Minervam Consilium Deum, tria unum, & unum super omnia.*

Digitized by Google

diligentiùs. Nam περιφρόνων τέκνων alterum non βουλὴν vocat Poëta, sed versu mox seqvente παῖδα θεῶν βασιλῆα καὶ ἀνδρῶν: qvem tamen, ne nasci posset, unà cum gravidâ matre devorandum sibi pater putaverit. Ut vel ex hâc solâ catastrophe (qvanqvam alia supersunt multa) doceri possit, fabulatoribus istis, cùm illa confingerent, nihil fuisse minùs deliberatum, qvàm sanctissimæ Trinitatis, qvod ipsi ignorarent, mysterium suis nugis involvere. Illud autem ἐπίφρονα βουλὴν apertè cum μένος conjungendum est in sententiâ, ut intelligamus & robore Minervam seu potentiâ, & consilio pollere. Ac mihi qvidem dubium non est, scribenti illa Hesiodo in mente fuisse Orphei versum, cujus particulam in Macrobio (*f*) legimus:

-- -- Πατρὸς ἔχοντα νόον καὶ ἐπίφρονα βουλὴν.

Qvod cùm Orpheus de Apolline enunciâsset, visum est Hesiodo, ut est ingenium Poëtarum, accommodare Minervæ. Qvid? qvòd jam versu ejusdem operis 122. ἐπίφρονα βουλὴν idem Hesiodus



(f) lib. I. Saturnal. c. 17.

Digitized by Google

sic posuerat, ut aliud qvidvis interpretari liceat, qvàm Jovis aliqvem partum. Hæc ita cùm sint, non verebimur pronunciare, Spiritûs Sancti notitiam penes Græcos eâ tempestate non majorem fuisse, qvàm penes Germanos veteres, qvamdiu gentilis idolomaniæ tenebris immersi fuerunt & ipsi. Verùm & hîc in aliam sententiam est qvi ducere nos laborat Cluverius. Is enim capiti 29. libri primi Germaniæ suæ antiqvæ hunc indicem præscripsit: *Priscos Germanos unum, verum, æternum Deum in trinitate coluisse sub SOLIS, LUNÆ, atqve IGNIS numinibus.* Laudamus affectum in Majores nostros, qvos, cùm omnes per orbem terrarum gentes à notâ tristissimæ cæcitatis vindicare decrevisset, non sibi putavit solos relinqvendos. At profectò, si jam ipsis redire in has terras daretur, fatentes cum gemitu & lamentis audiremus, se à veri DEI cognitione qvàm longissimè aberrasse. Licebit igitur hoc cæteris ingenii lusibus annumeremus, qvibus Germaniam istam suam Vir alioqvi judicii acerrimi nobilitavit. Qvid enim affert in hujus sententiæ subsidium, qvod fidem facere cor-

Digitized by Google

cordatoribus posſit? Illud qvippe, qvòd, Cæſare teſte, Solem, & Vulcanum, & Lunam numero Deorum ſolos duxerint Germani. At hoc falſum eſſe, ipſe ſtatim fatetur, qvi jam antè ex Tacito aliisqve longè plures Deos Germanis dederat. Fingamus verum. Ergone, ut (promisſi memores) de Spiritu tantum S. dicamus, qvia illum igni comparant Chriſtiani, ideò qvæcunqve nationes Vulcanum coluerunt, in ſacra noſtra ſtatim eas putemus conſenſiſſe? qvi non coluerunt, non putemus? Qvam igitur à cæteris gentibus collegerit gratiam Cluverius, cùm ad Ægyptios perveniet, univerſam effundet. Eos enim ajunt, ignem, qvòd omnia devoraret, non pro Deo, ſed pro animatâ belluâ habuiſſe. (g) Sanè ſanctiora nobis eſſe debent myſteria religionis noſtræ, qvàm ut ea in Ethnicorum βδελύγμασι, tanqvam nucem in cortice, qværere velimus. Igitur ignem appellare Spiritum Sanctum non verebimur; Vulcano eum conferre horreſcemus. Neqve in legendis iſtis Idolomaniis verſabimur aliter, qvàm ut toto pectore gratias Deo



(g) Jac. Maſen. Spec. imag. lib. VI. c. 6. p. 579.

Digitized by Google

agamus, qvi nos ex umbra mortis in lucem Evangelii protraxerit. In hâc luce, imò in hoc igne ipso, qvi Spiritus S. est, ambulemus velut in proprio elemento. Eleganter in hanc sententiam loqvitur B. Macarius Homiliâ XIV. [b] Ὡς ὁ λόγος τῶν ἔξωθεν λέγει, ἔστιν ἄρη πύρινα, ὅτι ἐκεῖ πῦρ ἐστὶ, καὶ ἔστιν ἐκεῖ ζῶα ὅμοια τοῖς προβάτοις· λοιπὸν οἱ θηρεύοντες αὐτὰ ποιοῦσι σιδηρᾶς τραχεῖς, καὶ βάλλουσιν ἄγκιστρα, καὶ πέμπουσιν εἰς τὸ πῦρ, ἐπειδὰν σκεῦνα τὰ ζῶα τὸ πῦρ ἔχει βρῶσιν, τὸ πῦρ ἔχει πόσιν, ἀνάπαυσιν, αὔξησιν, ζωήν, ἀντὶ πάντων τὸ πῦρ αὐτοῖς ἐστι. καὶ ἐὰν ἐξενέγκῃς αὐτὰ εἰς ἄλλον ἀέρα, ἀπόλλυται, καὶ τὰ ἐνδύματα αὐτῶν ὅταν ῥυπωθῇ, εἰς τὸ ὕδωρ οὐ πλύνονται, ἀλλὰ εἰς τὸ πῦρ, καὶ γίνονται καθαρώτερα καὶ λαμπρότερα. οὕτως καὶ οἱ χριστιανοὶ τὸ ἐπουράνιον πῦρ σκεῦνο ἔχουσι βρῶσιν, σκεῦνο αὐτοῖς ἐστὶν ἀνάπαυσις, καθαρίζει, καὶ πλύνει, καὶ ἁγιάζει αὐτῶν τὴν καρδίαν. σκεῦνο φέρει αὐτοὺς εἰς αὔξησιν, σκεῦνο αὐτοῖς ἐστὶν ἀὴρ, καὶ ζωή. ἂν δὲ σκεῦθεν ἐξέλθωσιν, ἀπόλλυνται ὑπὸ τῶν πονηρῶν πνευμάτων, ὥσπερ σκεῦ τὰ ζῶα ἐξερχόμενα ἀπὸ τοῦ πυρὸς ἀποθνήσκει, ὥσπερ οἱ ἰχθύες ἀπὸ τῶν ὑδάτων, ὥσπερ τὰ τετράποδα ζῶα βαλλόμενα εἰς τὴν θάλασσαν πνίγεται, ὥσπερ τὰ πετεινὰ πεπατοῦντα εἰς τὴν γῆν κατέχεται ὑπὸ τῶν θηρευτῶν· οὕτως καὶ ἡ ψυχὴ ἡ μὴ μένουσα ἐν τῇ γῇ σκεῦνη συμπνίγεται καὶ ἀπόλλυται· καὶ ἐὰν μὴ ἔχῃ

(b) p. 179 seq. ed. græc. Paris. A. 1559.

ἔχῃ τὸ πῦρ ἐκεῖνο τὸ θεῖκὸν ἀντὶ βρώσεως καὶ πόσεως, καὶ ἐνδυμάτων, καὶ καθαρισμοῦ καρδίας, καὶ ἁγιασμοῦ ψυχῆς, κατίχεται ὑπὸ τῶν πονηρῶν πνευμάτων, καὶ διαφθείρεται. hoc est, interprete Joanne Pico (*i*) *Ut prophano sermone perhibetur, qvidam sunt montes ignei, in qvibus ignis permanet, & illic sunt animalia ovibus similia, ad qva capienda venatores rotas ferreas conficiunt, & projectos hamos mittunt in ignem: propterea qvòd animalibus illis loco pabuli, potûs, requietis, incrementi, vitæ, omnium denique rerum vice est ignis. Qva si traducas in alium aerem, statim intereunt. Indumenta eorum ubi sordibus maculata fuerint, non aqvâ sed igne lavantur, & inde puriora fiunt, & candidiora. Eâdem ratione etiam Christianî, alimenti loco habent illum ignem cœlestem, qvi illis est reqvies, expurgat, lavat, & sanctificat cor illorum, præbet illis augmentum, illis denique est aër & vita. Qvi si inde egrediantur, interimuntur à malignis spiritibus: sicut ibi animalia ignem egredientia moriuntur, aut pisces aqvam deserentes, aut animalia qvadrupedia in mare projecta suffocantur: aut velut volatilia ambulantia super terram, qva capiuntur ab aucupibus. Sic*



(*i*) p. 99. edit. lat. Homil. Macarii Paris. Anno 1562.

Digitized by Google

*etiam anima, qva non permanet in terrâ illâ, suffocatur & interimitur: qva nisi obtinuerit illum ignem divinum loco cibi, potûs, indumentorum, purificationis cordis, & sanctificationis animæ, comprehenditur à malignis spiritibus & corrumpitur.* Hic est ille ignis, qvo Baptista prædicabat fore, ut à Jesu baptizaremur. (*k*) Hic ille ignis est, qvi die sacro Pentecostes in Apostolorum capita descendit. (*l*) Nam, ut inqvit satis pius scriptor Radulfus Ardens, (*m*) *convenienter Spiritus Sanctus per ignem significatur. Spiritus enim Sanctus Amor est. Unde & Joannes:* Deus charitas est. (*n*) *Dominus qvoqve Spiritum Sanctum ignem vocat dicens:* (*o*) Ignem veni mittere in terram, & qvid volo, nisi ut ardeat? *Sicut enim sunt septem dona Spiritus Sancti, sic & septem sunt proprietates ignis. Ignis qvippe dura emollit, frigida calefacit, tenebrosa illuminat, mollia corroborat, impura examinat, sursum fertur, distributus multiplicatur. Sic & Spiritus Sanctus dura corda emollit per spiritum timoris: frigida calefacit per spiritum pietatis:*

*tene-*

(*k*) Matth. 3. v. 11. (*l*) Act. 2. v. 3. (*m*) homil. in die S. Pentec. (pag. 532. homil. dominic.) (*n*) 1. Johan. 4. v. 8. (*o*) Luc. 12. v. 49.

Digitized by Google

*tenebrosa illuminat per spiritum scientiæ: mollia corroborat per spiritum fortitudinis: impura examinat per spiritum consilii: sursum rapit per spiritum intellectus: distributus locupletat per spiritum sapientiæ. Sapientia enim nobilis possessio distributa suscipit incrementum, & avarum dedignatur possessorum, nisi publicetur, elabitur. In igne igitur Spiritus Sanctus super discipulos venit, qvoniam præfatas ignis proprietates in eis efficit.* Hâc de re plura cras, DEO volente, horâ VIII. matutinâ in Auditorio Collegii Majoris differentem Ornatum & Doctum Juvenem, Emanuelem Weberum, Philosophiæ & Bonarum Artium Baccalaureum, ut Magnificus Dominus Rector, Proceres Academiæ Eminentissimi, Facultatum omnium Doctores, Licentiati & Magistri, Studiosorumqve florentissima Societas audire velint, maximoperè rogamus. Hâc eadem operâ & pietati, qvæ non sine præparatione pridianâ crastinum Festum accedere jubet, & nobis gratificabuntur impensè. Ostendet enim accommodatâ ad hoc tempus oratione, Spiritum Sanctum rectissimè cum igne comparari. P. P. IV. Junii, A. M DC LII.


Digitized by Google

# PROGRAMMA V.

## DE LAUDIBUS SERENISSIMI SAXONIÆ ELECTORIS JOHANNIS GEORGII I.

*Nomine Rectoris Academici præscriptum Orationis Panegyricæ,*

Qvam Anno 1652. d. 24. Junii habuit

D. JOH. STRAUCHIUS.

QVùm superioribus annis restitutâ nobis pace atqve libertate id, qvod omnium vota summis expetebant desideriis, in publicum rumorem abiisset, fore brevi, ut Serenissimi Electoris JOHANNIS GEORGII, Saxoniæ Ducis, Domini nostri Clementissimi, per tot annos non visi præsentiam in hâc urbe venerari bonis omnibus liceret, meminisse adhuc potestis, Cives Academici, qvàm tum omnia perstrepuerint gaudiis, inqve illius fortunæ amplexum sese præparaverint. Neqve enim minor nostra fuit, qvàm oppidanorum, ipsâ cunctatione incensa indies exspectatio, qvùm spei suæ in re anteà propemodùm desperatâ eò impensiùs blandiretur unusqvisqve, qvò magis per Clementiam Præpotentis DEI in meliorem faciem converti paulatim

Digitized by Google

latim omnia videret. Itaqve alius orationem meditari, alius carmen pangere, qvô tam expectatum hospitem salutaret; alius totum Heliconem cum Musis & Apolline suo evocare, qvi adventum sibi Patris Patriæ gratularentur; alii ludos apparare & scenam instruere, in qvâ publica tripudiaret Lipsiensium lætitia; nemo esse ad extremum, qvi non impatienti desiderio illum opperiretur diem, qvo Civitati Parens, Academiæ Conservator post tot annorum orbitatem rediturus esset. Verùm enimverò sive curarum pro salute publicâ moles tantum temporis optimo Principi non concesit, ut exspaciari hucusqve posset, sive senectutis incommoda hoc iter disvaserunt, sive alia qvæcunqve ratio (neqve enim scrupulosos esse nos convenit) opinionem nostram fefellit, videndi coràm Illustrissimi Senis potestas nobis facta non est. Nec tamen in eo minùs ostendit placere sibi apparatum pietatis nostræ, qvem ipsi perqvàm gratum fuisse certâ satis habemus fide exploratum: qvùm ab eo tempore nihil prætermiserit, qvæ ad ornandum amplificandumqve statum no-

nostrum pertinerent. Nimirum qvod Poëta dicit, longas esse Regibus manûs, id in hanc qvoqve partem valet, ut intelligamus, bonorum Principum liberalitatem atqve munificentiam non includi angustis illis terminis, qvibus eorum præsentia circumscribitur, sed exæqvari potestati, qvam in subjectas imperio suo regiones habent plenissimam. Atqve sic Sol noster, postea qvàm intercurrentium bellorum fugatæ sunt nubes, mansit ille qvidem orbi suo, (à qvo nullis temporum injuriis excuti unqvam potuerat,) ceu solio affixus, sed nobis tamen radios suos prolixè adspersit. Jam si nemorales aviculæ Soli suo, ubi post horridæ tristitiam tempestatis aureo jubare iterum promicat, minurienti gutture gratias concinunt, si sata eriguntur, si flores, cùm voce non possint, risu tamen & foliorum qvasi frontis qvadam exporrectione gaudium suum profitentur, qvùm cœlestis sideris beneficio sqvalorem à pluviis contractum extergunt: qvid nos æqvum est facere, qvi Principis nostri fulgore illustrati gravissimorum temporum noxas vincimus paulatim, & docemur oblivisci?

Non

Digitized by Google

Non effugiet profectò posterorum reprehensionem stupor noster, nisi curemus aliqvando, ut publicum gratitudinis nostræ signum qveat memorari. Qvamobrem cùm non desinat Serenissimus Septemvir pro summâ, qva semper hanc prosecutus est Academiam, benevolentia sua commodis nostris providere: decrevimus festa panegyri, habendaqve in Paulino templo concione qvantum poterimus illustri, honoribus eius nulli seculo inficiandis inservire. Qvo instituto non tantùm, qvod hactenus facere gestivimus, memoria tot insignium beneficiorum conservabitur, sed efficietur etiam, ut cujus in veneranda facie majestatem oculis usurpare minùs concessum est, ejus heroicum animi robur cæterarumq; virtutum augustum sodalitium aurium opera cognoscamus. Elegimus autem huic celebrationi mensis jam currentis diem vigesimum qvartum, qvi, cùm JOHANNI Baptistæ sacer sit, nominalibus simul Illustrissimi Electoris convenit. Accedit non incongrua sanè ratio, qvòd pridiè pro recepta consvetudine Antecessori Serenissimo CHRISTIANO II. solen-

lenni oratione anniversarium sit præstandum officium: ut adeò si, qvod facturi sumus, posterum diem in Successoris prædicatione consumserimus, qvàm maximè nos ad obseqvium publicæ felicitatis & jucundissimæ vicissitudinis comparasse videamur. Cur enim non putemus singulari qvadam Prudentiæ Divinæ dispensatione contigisse, ut eum diem, qvi Christiano fuit emortualis, statim exciperet dies ille, qvi Fratrem, qvi Successorem nominaret JOHANNEM GEORGIUM? scilicet ut perculsæ inopinato ac præmaturo funere Sanctissimi Principis regiones erigerent animum contemplatione diei seqventis, qvæ in JOH. GEORGII onomasteriis pulcherrimum omen offerebat, gratiosam semper & auspicatam fore Principis ejus gubernationem, cui DEUS ipse hæreditatem dignitatis augustæ Saxonicarumqve Provinciarum eo temporis articulo detulisset, qvo homines inter se munerum misitatione gratulari cuiqve nomen solerent. Ac fuit qvoqve, prout donum hoc divinitùs oblatum decebat, fortunata maximè ac stabilis hæc successio,

sive

Digitized by Google

ſive annos numeremus adminiſtrati officii, qvo tranqvillisſimum AUGUSTI Electoris & maximè diuturnum imperium jam annis octo ſuperat, & (jubeat DEus!) duplicabit olim, ſive cogitemus aſperrimam belli aleam, è qvâ ſolus propemodùm ipſe inter tot Reges ac Principes, qvi initiis ejus unà cum ipſo interfuerunt, eluctatus eſt tandem, & ſubjectas ſuæ ditioni terras pariter extraxit. Qvid aliud optare jam reſtat, niſi ut æqvis annorum ſpatiis togatum ejus Imperium, qvod nuper denuò ingreſſus eſt, cum ſagato, in qvod eum communia toti Germaniæ fata conjecerant, cenſeatur? Pars eſt gratitudinis noſtræ, pro ſalute Indulgentisſimi Principis, proqve incolumitate Familiæ Illuſtrisſimæ vota ad DEum concipere; id qvod in ipsâ panegyri fiet uberiùs. Cui ad dictum Johannis Baptiſtæ diem feſtum horâ meridei duodecima in Academico templo ut Generoſisſimi Comites & Barones, omnium Facultatum Decani, Doctores, Licentiati ac Magiſtri eſſe freqventes, cumqve nobis pietatem ſuam conjungere tùm audiendis attentè laudibus nunqvam ſatis laudati

Ele-

Digitized by Google

Electoris, tum fundendis ad DEum pro eo precibus velint, rogamus officiosè. Qvotqvot autem studiorum gratia hîc degunt nobilissimi politissimiqve Juvenes, eos idem ut curent, amicè hortamur. P.P. d. 20. Junii A. M.DC.LII.

## Programma VI.

## DE LAUDIBUS DILIGENTIÆ, EJUSQVE EXEMPLIS:

Præscriptum celebratæ Anno 1652. d. 17. Julii *Promotioni Baccalaureali.*

QVi ostendere volunt, nihil esse, qvod aut perficere conando indesinens labor atqve constantia non possit, aut non absumat deniq; temporis longinqvitas, creberrimè hac utuntur comparatione, ut durissima saxa nobis proponant, qvæ assiduo guttarum lapsu terebrari qvodam̃odò ac pertundi videmus. Pueris nobis sæpe occinebatur à Præceptoribus hoc distichon:

*Gutta cavat lapidē non vi, sed sæpe cadendo:*
*Sic homo fit doctus non vi, sed sæpe legendo.*

Cujus qvidem versum priorem dum Lambinus (a) integrum Ovidio autori tribuit, fugit eum memoria. Ovidii enim

(a) comment. ad Lucret. lib. I. p. 52.

Digitized by Google

nim non sunt nisi tria verba, qvibus iste hexameter inchoatur; reliqvam versûs atq; adeò totius distichi partem sic ipse exeqvitur (*b*):

*consumitur annulus usu,*
*Et teritur pressâ vomer aduncus humo.*

Qveritur autem ibi de diuturnitate exilii sui, qvasiq; pro miraculo habet, qvòd in tàm asperâ fortunâ tàm diu superesse potuerit. Cæterùm in eo & judicium Lambino defuisse censeas, qvòd Petro Victorio, de sententia Francisci Medicis Ovidium præ Lucretio contemnenti (*c*), haud obscurè assensus est, qvasi humiliter nimis atqve abjectè illam gnomen pronunciarit, qvam Lucretius magnificè sit his verbis executus (*d*):

*Nonne vides etiam guttas in saxa cadentes*
*Humoris longo in spacio pertundere saxa?*

Sanè qvi præ hac verbositate contemptim habet simplicissimam Ovidii brevitatem, ei simul conculcanda est ne uno qvidem verbulo copiosior sententia Sancti Hiobi, miseriam humanæ vitæ sic inter alia deplorantis (*e*): *Lapides*



(*b*) lib. IV. de Ponto eleg. 10. (*c*) lib. VII. Var. Lect. c. 15.
(*d*) lib. IV. versib. duobus ultimis. (*e*) cap. XIV. v. 19.

Digitized by Google

*excavant aqvæ* (*f*), *& alluvione paulatim terra consumitur: & homines ergò similiter perdes.* Qvi autem propiùs noverunt Ovidium, nunqvam sibi persvadebunt, neqvivisse illum, ubi res postulâsset, magnificentiam Lucretianam (si qvidem ea in verborum ponitur copiâ) exæqvare. Et qvemadmodum illud alterum Lucretii, qvod lib. I. legitur (*g*):

*Stillicidi casus lapidem cavat,*

judice Mureto [*h*] non multò ornatius est Nasonis hemistichio: sic non video, cur non alios Nasonis locos, (*i*) qvibus in justam numerorum amplitudinem hanc eandem sententiam diffudit, Lucretianæ ubertati opponere possimus; veluti in primis luculentissimè rotundum illum: (*undâ?*

*Qvid magis est durum Saxo? qvid mollius Dura tamen molli Saxa cavantur aqvâ.*

&

(*f*) Tria tantùm hæc verba sunt. Nec plura Ovidii: *Gutta cavat lapidem.* Atqve hos intra limites illa utriusqve dicti comparatio custodienda est. (*g*) v. 315. Ad hæc autem ipsa Lucretii verba commentatur Lambinus lit. a. citatus. (*h*) Schol. in lib. I. Tibull. eleg. 4. p. 84. ubi Petri Victorii censuram in Ovidium castigat. Muretum & Jac. Pontanus seqvitur comment. Ovid. de Pont. f. 1125. Lambinum simul perstringens. (*i*) Hos Ovidii locos profert & Pontanus d. l.

Digitized by Google

& alterum: - - *caducis*

*Percussu crebro Saxa cavantur aqvis.*

& tertium:

*Æqvoreos scopulos ut cavat unda salis.*

His autem omnibus diu antè prælusit Chœrilus versu qvodam, qvem à Galeno (*k*) & Simplicio (*l*) conservatum afferunt: (*m*)

Πέτραν κοιλαίνει ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχείᾳ:

(cui nescio unde acceptum pentametrum assuit Joh. Thomas Freigius, (*n*)

Καὶ πόνος ἐνδελεχὴς πρήγματα πάντα τελεῖ.)

Nimirum & hinc Tibullum hausisse credas, cùm cecinit:

*Longa dies molli Saxa peredit aqvâ,*

& Propertium:

*Sed tamen obscurâ teritur rubigine mucro*
*Ferreus, & parvo sæpè liqvore silex* (*o*).

Hîc autem observandum obiter Chœrilum istum, qvem Latinorum Poëtarum præstantissimus qvisqve, ubi se



(*k*) III. περὶ κράσεων cap. 4. (*l*) in VIII. φυσ. ἀκρ. Aristotelis. (*m*) Vid. Seber. Flori leg. græcolat. pag. 239. Lambin. Victor. Muret. Pontan. locis antè citatis. (*n*) p. 42. Pædagogi. (*o*) Tibulli & Propertii hos versûs Chœrili hexametro accommodant Muret. d. l. & Lambin. ad Lucret. lib. IV. p. 575.

Digitized by Google

daret occasio, exprimendum sibi putaverit, (p) minimè confundendum esse [q] cum alio Chœrilo, qvem contemptui videas expositum. Enimverò post Gyraldum (r) Clarissimi Viri Daniel Heinsius, (s) & Gerardus Johannes Vossius, (t) nos docuerunt, duos fuisse Chœrilos, qvorum alter, qvi Alexandri Magni ætatem attigit, ab omnibus passim pro malo Poëtâ vapulat; alter antiqvior paulò, melior autem multis modis, sub Archelao Macedonum Rege floruit, cujus & hemistichion Philosophus noster [u] laudare non dubitavit. Atqve ad hunc & illud referendum, qvod statuit antiqvitas, ut versûs ejus cum Homericis recitarentur. (w) Sed redeo ad græcum ejus de guttâ petram cavante versiculum. Eum qvis neget Aristæneto qvoqve in animo fuisse, cùm scriberet: (x) ῥανὶς γὰρ ὕδατος ἐνδελεχῶς ἐπιτάζουσα καὶ πέτραν

(p) conf. Muret. lib. XII. Var. Lect. c. 14. (q) Confundit Victorius, dum versum illum, πέτραν &c. Chœrilo tribuit *non valdè probato Poetæ*. Victorium etiam hîc Lambinus sequitur p. 52. ad Lucret. (r) Histor. Poët. Dial. III. (Tom. II. Oper. f. 107. 108.) (s) II. de Satyr. Horat. p. 268. (t) de Poët. Græc. cap. 5. p. 28. & lib. IV. de Histor. Græc. c. 7. p. 455. seq. (u) Aristot. lib. III. Rhetor. cap. 14. (W) è Suida hoc profert Voss. d. l. p. 456. (x) lib. I. Epist. 17.

Digitized by Google

πέτραν οἶδε κοιλαίνειν. Nec longè abeunt Plutarchi verba, qvi cùm in libello περὶ παιδῶν ἀγωγῆς ostendere vellet, qvantum ad res perficiendas virium habeat industria atqve labor, statim subdit: (y) ῥαγόνες μὲν γὰρ ὕδατι πέτρας κοιλαίνουσι· σίδηρος δὲ καὶ χαλκὸς ταῖς ἐπαφαῖς τῶν ἐκτρίβονται. Atqve sic est profectò: Nihil tantâ sui difficultate aggredientis animum terrere potest, qvod non improbus labor atqve indefessa diligentia ad obsequium flectat paulatim, tandemqve penitùs expugnet, ut verissimè dictum ab Antiphane videatur:

Τῆς ἐπιμελείας δεῦλα πάντα γίγνεται.

Non congeremus plures imagines; qvod est copiosè à Plutarcho (z) præstitum, qvibus ipsa nobis natura diligentiæ vires probavit. Sufficere possunt, qvæ hactenus de guttis lapidem excavantibus commemorata sunt. Ecqvod enim præclarius aut magis propè mirandum specimen edere possit assiduitas, qvàm si ejus operâ durissimi silices ab elemento mollissimo perforari dicantur? Cùm autem in omnibus arti-



(y) Tom. II. Oper. f. 2, ed. Græcol. Francof. A. 1620.
(z) d. l.

Digitized by Google

tibus, tum in ſtudio literarum imprimis plurimùm valet diligentia: adeò qvidem, ut qvod inchoatum in nobis reliqvit natura, id & augeat ipſa incrementis ſuis, & abſolvat. Qvo factum etiam exiſtimamus, ut doctisſimi qviqve in diligentiæ potiùs, qvàm ingenii laude ſibi placuerint: qvanqvam in eo vereor vehementer, ne ſuæ potiùs gloriæ ſtuduerint, qvàm leges obſervaverint pietatis in Deum atqve modeſtiæ. *Cicero* qvidem certè, etſi de ſe non prædicabat invitus, ſemper tamen diligenter cavit, ne ſibi laudem arrogaret ingenii, potiùsqve videri voluit labore & diligentiâ, qvàm præſtantiâ ingenii facultatem ſibi dicendi peperiſſe. (*a*) Et de *Pico Mirandulano*, qvem totius rei literariæ phœnicem appellatum (*b*) novimus, Petrus refert Crinitus, (*c*) cùm de Philoſophiâ doctè atqve egregiè diſſerentem Angelus Politianus & alii complures ab ingenio ac multiplici eruditione laudarent, ita eum reſpondiſſe: *Non eſt, ut hâc in re mihi aut ingenio meo velitis blandiri.*

(*a*) Muret. lib. XII. Var. Lect. c. 20. (*b*) à Conſt. Lando explic. in veterum numiſm. p. 16. (*c*) lib. II. de hon. diſcipl. c. 2.

Digitized by Google

*diri. Qvin respicite potiùs ad labores ac vigilias nostras, ac tum facilè intelligetis, gratulandum potiùs assiduis vigiliis atqve lucubrationibus, qvàm nostro ingenio plaudendum: & simul aspicite supellectilem nostram atqve librorum thesauros*: hoc dicentem ostendisse egregiè instructam bibliothecam, libris affatim omnis generis refertam. Hîc ait Crinitus recordatum se esse veteris historiæ â Plinio (*d*) expositæ de *Furio Cresino*, qvæ ut hîc etiam legatur, non importunum arbitror. Is è servitute liberatus cùm in parvo admodum agello largiores multò fructûs perciperet, qvàm ex amplissimis vicinitas, in invidiâ magnâ erat, ceu fruges alienas pelliceret maleficiis. Qvamobrem à Sp. Albino Curuli die dictâ metuens damnationem, cùm in suffragium tribûs oporteret ire, instrumentum rusticum omne in forum attulit, & adduxit filiam validam & benè curatam ac vestitam, ferramenta egregiè facta, graves ligones, vomeres ponderosos, boves saturos. Posteà dixit: *Veneficia mea, Qvirites, hæc sunt, nec possum vobis ostendere aut in forum adducere lucubra-*



(*d*) qvem vide lib. XVIII. histor. mundi c. 6.

Digitized by Google

*brationes meas, vigiliasqve ac sudores.* Hoc pacto effecit, ut omnium sententiis absolveretur. *Itaqve est profectò*, ut addit Plinius, *operâ, non impensâ, cultura constat.* Qvod ipse cùm de agri culturâ protulerit, optimo jure nos ad ingenii qvoqve culturam accommodare possumus. Fatendum est utiqve, latere veritatem in puteo profundo: sed aut nihil eruere latentem potest, aut potest diligentia. Ut enim corvus Æsopicus cùm sitiret, angusti orificii urceum injectis longo labore lapillis implevit, ut residens in fundo aqva exstaret tandem & sitim restingveret; ita nobis, si, qvod est in proverbio, non pigeat omnem lapidem movere, emicat tandem diu desiderata veritas, sciendiqve desiderium gratissimâ voluptate explet. Hoc itinere Aristoteles ad Philosophiæ secreta, ad arcana Medicinæ Galenus, ad peritiam Juris Bartolus grassatus est: qvem accepimus (*e*) triennio qvasi sepultum mansisse in eodem loco prope Bononiam, neqve priùs egressum, qvàm penitiùs addidicisset sanctiones Imperatorias. Hoc præceptum summus Orator

(e) Vid. Naudæ. Syntagm. de Stud. liber. p. 91.

Digitized by Google

tor Crassus apud Ciceronem (*f*) Cottæ instillavit. Petenti enim sibi ac Sulpitio explicari, qvid assumendum esset ad naturam, ut asseqverentur, qvod Crassum videbant in dicendo assecutum? arridens, *Qvid censes*, inqvit, *Cotta, nisi studium & ardorem qvendam amoris? sine qvo cùm in vitâ nihil qvicqvam egregium tum certè hoc, qvod tu expetis, nemo unqvam asseqvetur.* Idem hoc intellexit Doctor ille Juris, qvi interrogatus à Joachimo Vadiano, qvibus tandem rationibus Jurisprudentia qvàm minimo negotio perdisceretur? respondit, nihil verbis opus, nullis ambagibus nec circuitionibus utendum esse, sibi uni ad Jurisprudentiam breviter conseqvendam notam esse viam. Incenso hâc tanqvam artis, ut vocant, notoriæ cujusdam pollicitatione Vadiano, atqve urgente, facetus ille Juris Professor hujus disciplinæ compendium septem solummodò literis, si qvis earum sensum penitiùs intueatur, contineri ac recondi respondit. Qvas ubi ille demonstrari sibi cum plerisqve Jurisprudentiæ consecratis juvenibus



(*f*) lib. I. de Oratore (ubi colloqventes introducit inter alios Cottam, Crassum, Sulpitium,) p. 96.

Digitized by Google

cupidè exoptaret, avidiqve omnes ex præclari illius ore penderent, qvòd hâc methodo summos se brevi evasuros opinarentur, has ipse septem literas in abacum depictas commonstravit: S. T. U. D. I. U. M. Relatum hoc est in literas à Johanne Muslero, (g) qvi superiori seculo Lipsiæ nostræ ornamentum fuit non exiguum. Qvòd si qvis ex nobis similiter qværeret, qvâ viâ qvàm rectissimè fieri possit ut ad artium liberalium penetralia perveniatur? nimirum qvod ab illo Jureconsulto Vadianus, idem à nobis responsum ille acciperet. Atqve hanc viam institerunt qvoqve juvenes ornatissimi:

Paulus Scheiner, *Halensis Saxo.*
Mauritius Junghans, *Altenbergensis Misnicus.*
Johannes Schonburg, *Wurcensis Misnicus.*
Elias Dantz, *Lobensteinensis Variscus.*
Johannes Augustinus Egenolphus, *Erfurtensis Thuringus.*
Jacobus Mylius, *Sulâ-Francus,*

Hos enim cùm mense superiori primum

(g) Orat. de liberalibus disciplinis cum Jurisprudentiâ conjungendis p. 43.

Digitized by Google

mum in Philosophiâ gradum, qvem Baccalaureatum vocamus, decenter ambiissent, tales in examine deprehendimus, satis ut appareret, eos ingenium, qvod à naturâ non absurdum accepissent, assiduis vigiliis & laboribus magis magisq; expoliisse. Qvò minùs illorum vota voluimus morari, sed decrevimus DEO benigniter annuente, cras horis ab octavâ matutinis primam illis laurum in Auditorio Majoris Collegii consvetis solennibus conferre. Huic Actui publico si Magnificus Academiæ Rector, Generosissimi Comites ac Baro, Viriq; omnium Facultatum honoratissimi splendidam suam præsentiam commodare dignabuntur, non tantùm honor Candidatorum nostrorum illustrabitur opidò, sed & eorum pariter atqve aliorum diligentia qvasi stimulis qvibusdam impulsa excitabitur magis, cùm intelligent industriæ suæ & præmia & favorem optimorum esse proposita. Vos verò studiosissimi Adolescentes, facietis libenter, ut per vos qvoqve ista congregatio celebrior evadat. Gratissimum erit nobis summorum, mediorum, infimorum officium, cui

cui ut mutuò à nobis respondeatur, omnibus modis allaboraturi sumus. P. P. Lipsiæ XVII. Calend. Sextilis Anno M DC LII.

## Programma VII.

## DE PRIMIS RERUMPUBLICARUM ORIGINIBUS:

*Præscriptum Orationi,*

Qvam Anno 1652. d. 18. Augusti habuit

JOANNES CHRISTOPHORUS MOEBIUS,

Dresdensis,

*De Præstantiâ Monarchiæ.*

Cùm rerum maximarum omnium parva sint & exilia initia, tum Respublicæ in primis ab exiguis opidò seminibus in tantam excreverunt amplitudinem, qvantâ post numen Divinum nihil habetur augustius. Eo sanè tempore,

*qvo fodiebat Adamus humum, & filum Eva trahebat,*

sicut nobilis nullus, qvod vernaculis rhythmis (a) jactamus, ita nec Princeps uspiam aut Rex fuit, nec societas ulla politica, qvam ex hominum non unico pari,

(a) Da Adam hackt' und Eva spann/ wo war damals ein Edelman?

Digitized by Google

pari, qvale Adamus fuit cum Conjuge, ſed juſtâ multitudine cumulari neceſſe eſt. Delituerunt tamen in illis duobus Rerumpublicarum omnium ſemina, qvæ ſumptis paulatim incrementis eò promoverunt, ut magnis Imperiis repletus ſit orbis univerſus. Poſtqvam enim ex eâ primâ hominum duorum conjunctione filii procreati ſunt, ex filiis nepotes, horumqve ſubinde auctus eſt numerus, ut eodem tecto contineri ampliùs omnes non poſſent: contubernia ſenſim in villas, villæ in civitatem progerminarunt. (*b*) Neqve abſurdum eſt credere, omnium Reipublicæ formarum rudimenta jam tum ſtatim fuiſſe adumbrata eo modo, qvi eſt præclarè à Thoma Smitho (*c*) expoſitus. Qvippe vivente proavo Regii qvædam facies imperii fuit, cùm minores omnes eum ut Parentem communem ſuſpicerent, prudentiam ejus venerarentur, inqve arduis rebus conſulerent, dictis obtemperarent, metuerent imprecationes; ipſe

(*b*) Vid. Thom. Smith. de Rep. Anglor. lib. I. c. 12. Fox. de Regno p. 40. Conf. eund. & p. 32. Danæ. Polit. p. 21. 22. 23. 29. Tholozan. de Rep. p. 13. 14. (*c*) d. l. c. 12. 13. 14.

Digitized by Google

ipse vicissim disciplinâ magis qvàm supplicio eos contineret. Eo mortuo imperium ad Seniores familiarum, natalibus facilè conferendos; tandem & his extinctis ad numerosam multitudinem delapsum est. Qvæ qvidem utut se habuerint, illud certè dubitari non potest, homines, qvos DEUS rationis & loqvelæ participes finxit, qvamprimùm effuderunt se in populum, mox in aliqvam Politiæ imaginem consensisse, sine qvâ non hominum ea multitudo, sed ferarum erat futura. Nam neqve hodiè tam agrestis est cœtus ullus, qvin aliqvâ Reip. formâ contineatur: (d) & latrones ipsi, horumqve sive vera progenies, sive non indigna hoc nomine, Cingari, cùm ad ferarum mores qvàm proximè accedant, suis tamen qvibusdam legibus vivere deprehensi sunt.

Qvæ de primordiis Imperiorum diximus, facilè se approbabunt orbi erudito, posteaqvam historia sacra de ortu humani generis ex angustis finibus terræ Judaicæ in reliqvas nationes egressa est. At olim cùm adhuc doctissimis gentibus natales mundi atqve hominum non

(d) Fox. de regno p. 29.

Digitized by Google

non magis, qvàm nili caput, explorati essent, veritatisqve vestigia fabulæ confudissent: mirum qvàm lepidas hæc ignorantia peperit narrationes apud eos, qvibus ex totâ historiâ nihil remansit veri; præterqvam, fuisse aliqvod mundi principium. Nam Aristoteles qvidem exponendæ originis *molestiâ se liberavit, dicens, semper fuisse mundum, itaqve & humanum genus & cætera, qvæ in eo sunt, fuisse semper ac fore*, ut verbis utamur Lactantii. (*e*) Ex qvo conseqvitur, rerum qvoqve publicarum constitutionem ex ejus sententiâ perpetuam fuisse, nec cœpisse unqvam, etsi hoc disertè non tradiderit. Sic dum vulgares tribulium suorum errores vitat, in alium incidit longè gravissimum. In eo verò minimè fefellit eum ratio, qvòd societatem civilem ab ipsâ naturâ, hominemqve unum omnium animalium, qvæ qvia cœtu & congregatione gaudent, ἀγελαῖα vocantur, maximè natum esse Societati disseruit, (*f*) haud qvaqvam vano inductus argumento, qvod solus homo sermocinandi facultatem,

(*e*) lib. II. c. II. (al. 10.) p. 152. edit. Tornæs. A. 1613.
(*f*) lib. I. Polit. c. 2.

Digitized by Google

tem, justiqve pariter & injusti sensum acceperit. Atqve hoc adeò verum esse alibi (g) docet, ut, si etiam absint utilitatis illa blandimenta, cùm alter forte alterius ope non indiget, nihilominùs svave sit unà vivere. Sed veniamus ad eos, qvi Rerumpublicarum constitutionem ad certa initia referentes, cujusmodi illa fuerint, hariolando se conseqvi posse speraverunt. Qvorum tametsi singuli propè discrepant à singulis; In duas tamen præcipuas qvasi familias describere licebit. Alii enim, cùm fabricam hominum sive potentiæ divinæ, sive Promethei nescio cujus solertiæ tribuissent, seculum qvoddam aureum sunt commenti, qvo passim homines sine lege, sine jure, sine ordine vagati sint, nullo Duce Regeve, præterqvàm DEO, innoxii tamen & prorsus justi; qvibus terra victum sponte præbuerit, nullo cultu provocata: Post, Jove imperii potito, pejorem ætatem successisse, qvæ ad cædes & rapinas, omnisqve generis scelera se convertens, condendis legibus rebusqve publicis necessitatem attulerit. Hæc non est obscurum detorta fuisse

(g) ibid. lib. III. c. 4.

se in fabulas à Poëtis vetustisqve Philosophis, cùm inaudiissent fortè, ætatem fuisse qvandam primi hominis, qvâ idem DEO gratus atqve innocens nullis adhuc se vitiis inqvinarat, aversus posteà voluntariâ defectione ad libidinem peccandi. Sed reprehensione non caret, qvòd putaverunt, civilium constitutionum nullum esse usum nisi adversus improbitatem, â qvâ cùm afuerint homines primi illorum judicio beatissimi, ideò neqve legibus inter se, neqve sanctionibus ullis fuisse devinctos: qvasi verò in hominum qvantumvis proborum multitudine vita esse beata possit, qvam nulla officiorum communicatio, ut in Republicâ fieri consvevit, certis legum præscriptionibus moderetur atqve dispenset. Qvapropter & sapientissimorum Virorum constans & vero maximè consentanea est sententia, etiamsi homo perseverâsset in veritate concreatâ, futuras tamen fuisse ordinationes politicas, isti statui accommodatas. Verùm omittamus istorum errorem, in tantis tenebris utcunqve dignum veniâ. Epicurei, qvi alteram familiam ducunt, prorsus

ſus ferri non poſſunt. Hi cùm reliqvos animantes tùm homines ipſos, ſine artifice, caſu ex terrâ, folliculis qvibusdam intumente, herbarum inſtar initiò prodiiſſe ſomniarunt, captô argumento, (*b*) qvòd juxta Thebaiden Ægypti, cùm Nili ceſſavit inundatio, Sole limum calefaciente ab aqvâ relictum, multis in locis ex terrâ murium progignatur multitudo; deinde terram, in morem puerperæ, humore qvodam, qvi eſſet lacti ſimilis, exuberaſſe, (*i*) eoqve alimento homines eſſe nutritos, qvibus inſuper herba cubile præbuerit, veſtem vapor: (*k*) Sic adultos ferarum ritu ſub qvercubus glandiferis & arbutis vitam toleraſſe, non arandi gnaros, non ſerendi, ſed artium omnium rudes. (*l*) Qvâ autem ratione tandem ad manſvetioris vitæ cultum perducti ſunt? Longæ ſunt ineptiæ, longæ ambages, neqve ſecum ipſis ſatis congruunt, qvæ ab aliis aliter proferuntur. Ait Vitruvius (*m*) qvodam in loco ab tempeſtatibus & ventis arbores agitatas ramorum attritu

(*b*) Utitur hoc argumento Diodorus Siculus lib. I. cap. I. (*i*) Lactant. lib. II. cap. 12. (al. 11.) p. 154. (*k*) Lucret. lib. V. v. 817. (*l*) Id. ibid. v. 933. ſeqq. (*m*) lib. II. c. 1.

Digitized by Google

tritu ignem excitasse, qvi circà fuerunt homines flammâ vehemente perterritos fugisse, posteà re qvietâ propiùs accedentes cùm animadvertissent, commoditatem esse magnam corporibus, ad ignis teporem ligna adjicientes, alios adduxisse, iisqve nutu monstrasse, qvas haberent ex eo utilitates; in eâ consvetudine posteà vocabula, ut obtigerant, constituisse, & ita fari fortuitò edoctos sermonem procreavisse; hinc variis inventionibus certare cœpisse, & indies effecisse meliora. Hæc ibi prolixiùs exposita legi possunt. A qvibus non longè abeunt, qvæ ex Ægyptiorum doctrinâ commemorat Diodorus Siculus (*n*) de Vulcano ignis inventore, qvi eo beneficio Dux sit ab Ægyptiis, propriâ opinione gentium omnium antiqvissimis, constitutus. Cùm enim arbor ictu fulminis in montibus conflagrasset, ligna propinqva flammam comprehendisse, Vulcanum calore lætatum deficienti igni novam materiam addidisse, & eo modo continuato igne alios homines convocasse ad ejus conspectum, tan-



(*n*) lib. I. cap. 2.

Digitized by Google

qvam à se reperti. Idem Diodorus, (o) dum veterum sententiam repetit, primos hominum cœtus factos ait obtimorem à belluis, dein accedente ignis notitiâ cæteras qvoqve vitæ commoditates brevi tempore adinventas. Lucretius humanum genus primùm mollescere cœpisse scribit post casas, pelles & ignem repertum, cùm pueri blanditiis fregissent ingenium parentum; (p) inde qvi plus cæteris sapuerint, urbes condere cœpisse, & pecudes agrosqve divisisse pro cujusqve viribus. (q) Horatius verò propter glandem & cubilia homines pugnasse, donec nomina rebus invenerint; dehinc bello absistere cœpisse, & munire oppida, & leges ponere. (r) Atqve hi qvidem omnes hominum primorum vitam & ferarum juxtà habent, gravissimâ profectò nostri generis cum injuria. Sed nemo fœdiore mendacio primitias hominum conspurcavit, qvàm ille apud Athenionem Poëtam coqvus. Is enim, ut coqvinariam suam artem extolleret, in hanc sententiam disseruit referente Athenæo: (s) Homines initiò car-

(o) capite præcedente. (p) Lucret. lib. V. v. 1012. seqq. (q) ibid. v. 1109. seqq. (r) lib. I. Sat. 3. v. 100. seqq. (s) sub finem libri XIV.

Digitized by Google

carnibus mutuis pasci solitos, donec Vir qvidam sapiens hostiam mactatam assaverit; hujus carnem svaviorem tum fortè visam humanâ, itaqve pro hominibus pecudes mactari cœpisse, & ob artem coqvinariam turbas esse congregatas, ædificataqve oppida. Qvi svavissimè philosophati sunt, eloqventiâ dicunt homines à vita immani ac fera segregatos, & ad civilem consvetudinem traductos esse: (*t*) qvod more suo interpolantes Poëtæ ad Orphei lyram auditam feras constitisse, ad Amphionis testudinem Saxa in muros coiisse finxerunt. (*u*) Sed & horum communis scilicet cum cæteris error est, qvòd crediderunt, naturam hominis à colenda societate, perinde ut sylvestrium ferarum, abhorruisse: cùm tamen contrà verissimè sit ab Aristotele ostensum, à nobisqve commemoratum supra, (*w*) hominem esse animal τῇ φύσει πολιτικὸν. Idem agnovit



(*t*) Cicero II. de nat. Deor. p. 56. *Eloqvendi vis qvàm est praeclara? -- hac nos juris, legum, urbium societate devinxit, hac à vitâ immani & ferâ segregavit.* Vide & Lambin. commentar. ad Horat. lib. I. od. 10. p. 38. & lib. I. Sat. 3. v. 100. *Mutum & turpe pecus* p. 46. Keckerm. praecogn. System Polit. (Tom. II. System p. 893.) (*u*) Vid. Horat. de arte Poët. v. 391. seqq. *Silvestres homines &c.* (*W*) lit. f.

Digitized by Google

& Cicero, qvanqvam is aliàs, qvoties causæ est inserviendum, libenter solet eloqventiæ conferre laudem hominum à feritate abductorum. (x) *Magis est*, inqvit, (y) *secundum naturam, pro omnibus gentibus (si fieri possit) conservandis aut juvandis, maximos labores molestiasqve suscipere, imitantem Herculem illum, qvem hominum fama, beneficiorum memor, in concilio cælestium collocavit, qvàm vivere in solitudine non modò sine ullis molestiis, sed etiam in maximis voluptatibus, abundantem omnibus copiis, ut excellas etiam pulchritudine & viribus.* Qvàm præclara verò sunt illa ejusdem, (z) cùm civilem Societatem qvasi ab suis incunabulis educit: *Prima societas in ipso est conjugio: proxima in liberis: deinde una domus, communia omnia. Id autem est principium urbis & qvasi seminarium Reipublicæ. Sequuntur fratrum conjunctiones, post consobrinorum Sobrinorumq, qvi cùm unâ domo capi non possint, in alias domos tanqvam in colonias exeunt. Sequuntur connubia & affinitates, ex qvibus etiam plures propinqvi. Qva propagatio & soboles origo est Rerumpublicarum.* Hoc testi-

(x) regredere ad lit. t. (y) III. Offic. p. 56. (z) I. Offic. p. 11.

testimonium sufficere nobis potest ad convincendas reliqvorum omnium ineptias. Qvid enim magis abhorret à ratione, qvàm homines initiò tam feros fuisse? contrà, qvid magis consentaneum, etiam remota temporis primævi notitia, qvàm Respublicas iis cœpisse initiis, ut est à Cicerone modò explicatum? Cùm autem tres formæ sint Politiarum, qvæ mutuatis à Græcia nominibus Monarchia, Aristocratia & Democratia appellantur: melioris partis approbatione semper optima judicata est MONARCHIA. Atqve in hoc argumento eruditam orationem consumsit industrius in literarum studio Adolescens JOANNES CHRISTOPHORUS MOEBIUS Dresdensis, qvam crastino die finitis sacris matutinis publicè, volente DEO, recitabit in Auditorio Collegii Majoris. Nostri officii fuit, hoc programmate Auditores ipsi conciliare. Magnificum igitur Rectorem, Generosissimos Comites ac Barones, Proceres Academiæ gravissimos, cæterosqve Facultatum omnium Doctores ac Licentiatos eximios rogamus enixè, ut illustri sua benevolaqve præ-

Digitized by Google

tia pro eo favore, qvo nostros semper, nosque ipsos sunt complexi, dicentis excitare studium, à nobisqve insignem gratiam inire velint. Nobilissimos politissimosqve Studiosos honori commilitonis sui ultrò gratificaturos confidimus. P. P. XVI. Calend. Septembr. Anno M. DC. LII.

❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋

## PROGRAMMA VIII.

## DE FLORUM LAUDE SERIA, ET VITUPERIO JOCOSO:

*Præscriptum Orationi,*

Qvam Anno 1652. d. 28. Augusti habuit.

MARTINUS FRIDERICUS FRISIUS,

*De Laudibus Florum.*

DE laudibus Florum eleganti ingenio Juvenis MART. FRIDERICUS FRISIUS conscriptam ab sè orationem nobis cùm obtulisset, ei pronunciandæ crastinum diem diximus. Miraberis fortasse, LECTOR, qvid aut illi aut nobis venerit in mentem, ut hâc tempestate, qvâ in autumnum annus inclinatur, non pomorum potiùs, aut si qvid aliud proximi menses pollicentur, qvàm earum opum, qvæ veris

sunt

Digitized by Google

ſunt propriæ, publicum aùdiri præconium voluerimus. Nempe qvia parum referre viſum eſt, qvo tempore flores laudentur, dum laudare modò eos placeat. *At jam illæ pubeſcentis anni delicia aufugerunt. Jam pratis atqve paſcuis calvities inducta eſt, deqve tot florum millibus vix unum atqve alterum hortulanus aliqvis detinuit in fugâ, cui pauxillos dies ætatem protraheret.* Qvid tum poſteà? Ergone in ejusdem ſpacii anguſtias, qvibus veris amœnitatem incluſit natura, dicendi qvoqve de floribus licentiam ratio contraxit? Aut nemini fas erit pulchritudinem florum auribus aliorum ingerere, niſi oculos ſimul in eorum aſpectum ducere posſit? Qvòd ſi flores decerptos vivacibus ſuccis contingere, ut vel hiemem ferant, non habetur crimini: videamus, ne ſit invidia nolle eos unius oratiunculæ genio ad limen usqve autumni promoveri. Neqve intelligimus, qvomodo laudandi tempus præterierit, ſi laudari flores merentur. Eſt enim laus veri decoris, qvem in alio reperias, expoſitio. Dare autem teſtimonium veritati nullo, opinor, tempore prohibitum eſt. De rosâ

veras enunciationes, etiam hibernis diebus, ubi intermortuæ sunt omnes rosæ, exstrui posse, magnis conatibus disputant Dialectici: Et Oratori non licebit, tempore haud paulò magis idoneo in eâdem causâ dicendi vires experiri? *At est tamen laudandis floribus tempus accommodatius nullum Vere.* Fieri potest, sed fortasse nec aptior locus, qvàm horti. Nam in Auditoriis discrimen illud veris & autumni ignoratur. Ideóne parietes & subsellia relinqvemus, & in gramineos toros extra portam sessum ibimus, ibiqve de Floribus è colliculo sermocinari jubebimus Oratorem? Haud reor. Nimirum, qvia ille non digito nobis flores demonstrabit, sed ex ore suo germinantes dabit, ac veritatem naturæ verborum pigmentis æqvabit. Ex eadem igitur lecytho, unde Auditorium in horti speciem efformare potest, ver qvoqve reddet pro autumno. Qvid autem, si nullum tempus magis sit evitandum flores seriò laudare meditanti, qvàm vernum? Liceat hîc aliqva styli uti luxuriè. Misera profectò, ne dicam maligna laus illa est, parumqve ab adulatione distat, qvam no-

nolis nisi præsente, qvem laudas, ex te audiri. Sic tyrannum adorat populus tremebundus. Sic hosti struit insidias explorator. Sic amico simplici blanditur veterator. Sic iratam belluam stabularius mulcet. Sic corvum prædicabat vulpes Æsopica. Vera maximè laus illa est, non qvam in præsentes exprimit aut sensus voluptatis, aut spes commodi, aut potentiæ metus, sed qvam effundit in absentes aut admiratio justa virtutis, aut indignatio adversus obtrectantem. Qvi viventem laudat, affectui; qvi mortuum, veritati obsecutus magis videtur. Igitur & floribus laudandis aliud qvodvis tempus assumendum fuit, qvàm vernum, ut ostendatur, flores qvidem ipsos extingvi posse, laudes eorum non posse. Flores, dum vigent, extollere verbis etiam fœminæ solent ac pueri: abolitos ornare elogio, hoc demùm cordatorum est, qvi non tantùm externo voluptatis sensu titillantur, sed & internas virtutes, dignitatesqve naturæ æstimare didicerunt, etiam certi, ubi sit opus, maledicorum respondere opprobriis. *Sed qvis eos vituperat? inqvies.* Agnoscimus Antalcidæ

dæ dictum, qvod ipse Herculem laudare volenti oggessit. (a) Veruntamen ille sic non effecit, ne Herculis encomiis omnes propemodùm libri gentilium sint referti. Videlicet non semper ideò laudamus, ut malevolorum voculæ compescantur, sed ut dignum referatur virtuti præmium: Qvanqvam, ut nihil omnibus placet, rerumqve etiam svavissimarum est fastidium, reperias fortasse, qvi porcorum similes horto præferant volutabrum, flores aspernentur. Sanè lutum laudare, qvod magni nominis Orator (b) fecit, & vituperare Flores, ejusdem stomachi est. *Sed ille voluit jocari.* Possumus & nos. Et qvis dabit vitio, si personam induentes Anthomisi alicujus, qvæ dici adversus flores possint, exponere tentemus? ut qvasi frigidâ suffusâ ad orationem ipsam majorem afferant ardorem Auditores. *Nam qvid est*, inqviet ille, *qvod tantoperè nobis in floribus placet, nisi oculorum qvædam & narium illecebra? Qvalem sectari maximè solent, qvi Veneri & Baccho operantur, fugere & ab-*

(a) Erasm. Apophth. p. 79.
(b) Majorag. Orat. IX.

Digitized by Google

*abhorrere, qui Musis. Quòd enim vulgò aptissima studiis nemora sylvasque jactitant, ubi locorum amœnitas sublimem animum & beatiorem spiritum paret, longè aliter judicavit gravissimus autor Quintilianus, (c) cui jucundus hic magis, quàm studiorum hortator videtur esse secessus. Nam illa ipsa, inquit, quæ delectant, necesse est avocent ab intentione operis destinati. Quare Demosthenem laudat, qui se in locum, ex quo nulla exaudiri vox, & ex quo nihil prospici posset, recondebat, ne aliud agere mentem cogerent oculi. Quid Philosophi veteres? nonne & ipsi reliquerunt hortulos suburbanos, ubi ager irriguus, & arborum coma, & susurrus avium, fontis speculum, rivus immurmurans, & multa oculorum auriumque illecebra? Quamobrem obsecro? Respondeat pro me sanctissimus Pater Hieronymus: (d) ne per luxum & abundantiam copiarum animæ fortitudo mollesceret. Nam & Pythagorei hujusmodi frequentiam declinantes in solitudine & desertis locis habitare consueverunt. Platonici quoque & Stoici in templorum locis & porticibus versabantur, ut admoniti angustioris habitaculi sanctitate nihil aliud quàm de virtutibus cogitarent. Sed & ipse Pla-*

(c) lib. X. c. 3. p. 581. (d) lib. II. adversus Jovinian.

Digitized by Google

*Plato elegit Academicam villam, ab urbe procul, non solùm desertam, sed & pestilentem, ut curâ & assiduitate morborum libidinis impetus frangeretur, discipulique sui nullam aliam sentirent voluptatem, nisi earum rerum, quas discerent. Hæc Hieronymus, & ex eo bonam partem Joannes Saresberiensis.* (e) *Solus Epicurus in hortis atque inter flores philosophatus est. Nimirum quia illius Philosophia moribus corrumpendis & docendis voluptatibus nata erat: quem ideò verissimè otii magistrum Plinius* (f) *nominat, ubi docet, eum primum instituisse Athenis, ut hortorum nomine in urbe agri villæque possiderentur. Dignum profectò inventum hoc Magistro. Sunt enim horti officinæ, in quibus effœminantur animi, florum mollissimâ consuetudine exuitur illa sensuum virginitas. Quare & castissimus Poëta Virgilius in Georgicis suis totam illam partem de hortorum culturâ omisit, non, ut vult Columella,* (g) *spaciis iniquis exclusus, sed quòd Romanos suos ad Bacchum & Venerem erudire nollet, qui regni sui maximum habent in floribus præsidium. Nam Bacchus quidem, ut canit Poëta,* (a) *amat*

(e) lib. VIII. Policr. c. 8. (f) lib. XIX. c. 4. (g) lib. X. v. 2.
(a) Ovid. lib. V. Fastor. p. 133. ed. quartæ cum not. Bersmani.

Digitized by Google

*amat flores; Baccho placuisse coronam,*
*Ex Ariadnæo sidere nosse potes.*

*Qvàm bellè autem Veneri cum floribus conveniat, ne multa afferamus in re manifestâ, vel hinc judicare licebit, qvòd floribus Romani Deam præfecerint meretriculam, rei faciendæ tam studiosam, ut dignam ejus hæreditatem habuerit Populus Romanus, qvam adiret. Talis enim fuit Flora. Cujus ludos obscœnitate summâ detestabiles non tantùm Christiani veteres, Tertullianus, Lactantius, Minutius, Augustinus, gravissimis sententiis condemnarunt, sed ne Cato qvidem Ethnicus ingredi aliter potuit, qvàm ut exiret.* (*i*) *Qvid jam de Deo hortorum afferemus? Ne nominandum qvidem censeo, qvo non habuit spuriorem tota gentilitas. Ac fortasse florem qvoqve ipsum tacere præstiterat, qvando inter obscœna hoc vocabulum est à Poëtis usurpatum.* (*k*) At aliena hæc culpa est. *Sit aliena, dummodo sit culpa. Ut vinum effundimus, cui araneus est illapsus: sic abominari decet, qvicqvid gentilitas incestavit. Tibias damnabant vetustissimi Christianorum. Qvam ob causam qvæsa? Qvia pompæ Deorum cum tibicinis cantu inferebantur apud Ethnicos.*

(*i*) Vide Rader. ad Martial. lib. I. f. 75. (*k*) conf. Palmer. Spicileg. (Tom. IV. Lamp. Grut. p. 667. 668.)

Digitized by Google

*cos.* (*l*) *Non conorabant funera sua, non humabant cum floribus: qvia hunc morem in gentilibus notaverant.* (*m*) *At nobis hodiè flores ita sunt in deliciis, non tantùm ut vitam nobis sine his injucundam putemus, sed & qvasi maneat eorum post vitam sensus, ut mortuos nostros in florum densissimis aggeribus, qvemadmodùm Venus suum Adonin sub lactucis, sepeliamus. Qvi si cogitaremus, qvo pretio à plurimis dilecti sint flores, abstineremus opinor. Proserpina & Erydice, dum flores legunt, illa cum Plutone, hac ad Plutonem descenderunt. Mahometus, qvùm suos à vino abalienaret, in qvolibet uva rubea grano habitare dæmonium finxit.* [*n*] *Nobis nihil opus est fabulis, cùm res ipsa loqvatur; qvàm libenter sub floribus stabulentur animalcula venenata. Et qvoties in herbâ anguis latet? qvoties sub salviâ bufo? Qvod ignorans, juvenculus olim qvidam, dum folio salviæ venenato gingivas fricat, repente mortuus corruit.* (*o*) *Deniqve qvantula est illa voluptas, qvam flores ministrant? Qvam vix unius Diei est! An non pudeat hominem æternitati natum in re tàm momentaneâ*

(*l*) vid. Jac. Pontan. Bellar. Attic. p. 740. (*m*) vide Kirchmann. de funeribus p. 93. (*n*) Petr. Pomponat. de incantat. c. 10. (p. 200. oper.) (*o*) Mizald. l. memorab. I.

*meâ deliciari, qvam non nisi in contumeliam genuit natura! Verè à flundo dicti sunt flores, qvibus nihil citiùs defluit, nihil ventuum ludibriis magis est expositum. Hoc igitur solo placeant, qvòd nos admonent mortalitatis.* Hæc ita possit aliqvis adversus flores declamando diducere. Sed Floribus patrocinabitur FRISIUS noster, floridisqve verbis pulchritudinem eorum, svavitatem, utilitatem, qvæq; cætera gloriam illis pariunt, copiosè exponet, qvæ autem in eorum opprobrium sunt excogitata, refellet. Vos, Rector Magnifice, Comites & Baro Generosissimi atqve Illustres, Facultatũ omnium honoratissimi Viri, per honorem suum & salutem Flores obtestantur, suis ut laudibus cras horâ octavâ in Auditorio Collegii Majoris interesse dignemini. Sic in perpetuis rosis vita vestra transigatur! A vobis verò, Studiosi ornatissimi, Flos literatæ juventutis, ipsa ætas vestra jam maximè efflorescens reqvirere videtur, ut de Florum laudibus libenter audiatis. P. P. VI. Calendar. Septemb. Anno M.DC.LII.



Digitized by Google

# PROGRAMMA IX.

## DE COMITIIS,

*Præscriptum Orationi ejusdem argumenti,*
Qvam A. 1652. d. 13. Sept. habuit
JOHANNES GEORGIUS à KOSERITZ.

VErendum esset nobis, *Rector Magnifice, Comites Illustres, Generosissime Baro, Academicorum Procerum Ordo Amplissime, Facultatum omnium Sapientissimi Viri, Cœtus deniqve Studiosorum florentissime*, ne tot audiendis Declamationibus obtunderemus tandem, qvam sumus hactenus experti, benevolentiam vestram, nisi major ea esset, qvàm ut exhauriri invitationibus ullis ad officia humanitatis posset. Jam enim iterum habendæ orationis præconium facimus, qvam *de Comitiis* elucubravit Juvenis in Patriæ ornamentum natus JOANNES GEORGIUS à KOSERITZ, qvi non satis habuit, qvod illustri fortunæ debeat, natalium antiqvo splendore antecellere plurimis, sed ex se ipso gignere voluit laudum suarum materiam, disciplinis liberalibus, iis maximè, qvibus prudentia versaturo aliqvando in Republicâ conciliatur, hactenus singulari deditus industriâ. In qvo qvantò paucio-

Digitized by Google

ciores ejusdem cum eo fortunæ videmus elaborare, tantò magis bonis omnibus amplectendum est ejus studium atqve promovendum. Neqve ab hoc tempore alienum videri cuiqvam potest, de Comitiis verba facientem auscultare. Est enim suspensa jam universa Germania expectatione Comitiorum illorum, qvæ à sancitâ pace prima indixit sacratissimus Imperator. Fuit hæc civilium per tot annos bellorum inter alias noxas profectò non levissima, qvòd aut intercepta prorsus Consiliorum istiusmodi publicorum consvetudo, aut afflicta est certè supra modum. In qvibus tamen communicandis si rectè statuitur sita esse salus Imperii, præsertim qvod aliàs religionibus sit distractum: qvis hinc non videt, iis omissis qvantam necesse fuerit omnium statuum seqvi perturbationem, etiam absqve belli calamitate, si fuisset? Sæpe nos Poëtarum fabulæ in Deorum concilia mittunt, qvibus tam scrupulosè faciunt omnia dispensari, ut propemodum nemini mortalium liceat commutare vestem, nisi priùs Deorum Pater & hominum cœlicolas omnes in do-

mum omnipatentis Olympi deliberatum eâ de re convocaverit. Neqve freqventius est qvicqvam in Homericâ poësi, qvàm consultantium inter se Deorum sermones, non rara etiam discrepantium sententiis jurgia. Qvâ in parte ita alicubi servare modum oblitus est ille Græcorum Poëtarum Princeps, ut colloqviis talibus ea misceat, qvæ intervenire vel in agrestium hominum conventu sine probro vix possunt. Qvis enim ferat Jovem, dum consiliis ejus callidâ machinatione Juno intervenit, ac turbat nonnihil, ea minitantem, qvæ admetiri pugnis responsatrici uxori maritus iratus solet? Sed nolumus jam inqvirere in mysteria Poëtarum, patimurqve facilè, ut eorum contemplatione excusatus habeatur Mæonides. Neqve exerrandum hîc nobis est ultra fines argumenti nostri, qvi hoc tantùm ostendere meditabamur, jactatum fuisse veteribus istis, ne Deorum qvidem administrationem, qvos tamen consentaneum erat, omnia ex se ipsis pervidere posse, sine totius ordinis congregatione statuere in hæc inferiora, aut consulere rebus humanis solere: ideo sci-

ſcilicet, ut Principes, qvi divinæ majeſtatis in his terris ſimulacra ſunt, ſibi qvoqve perſvaderent, Senatu convocato publicas curas eſſe cum aliis partiendas. Ac Romanum qvidem Imperium qvod attinet, nemo ignorat, Comitiorum maximè vinculis & ejus inter ſe membra alligari, & incolumitatem contineri: ubi liberum eſt cuiqve, moleſtias in ſinum Imperatoris effundere, earumqve remedia flagitare: tùm conſilia ſua, autoritatem, prudentiam, qvibus in Republicâ nihil eſt magis neceſſarium, conferre in commune, nec minùs proſpicere temporibus futuris, qvàm præteritis mederi. Hoc eſt, qvod jam à Comitiis futuris expectat diuturna cladium plurimarum perpeſſione tantùm non enecta mater noſtra Germania; hoc ſperare nos jubet clementisſima Imperatoris manſvetudo; hoc Serenisſimi Electoris noſtri, cæterorumqve Septem-Virorum ac Principum Celſisſimorum pietas & prudentia pollicetur. Id tantùm operam demus, ut Divini Numinis benignitas noſtris precibus emollita primùm inſpirare ſalutaria conſilia, inqve ſui gloriam


Digitized by Google

Nominis & Imperii optimum publicum collineare, deinde rectè atqve salubriter excogitatis prosperum indulgere successum velit, ut, qvod belli calamitas malorum introduxit, id Pacis commoditate amputetur atqve ejiciatur! Sed hæc pluribus precantem, cui volupe est, KOSERITIUM nostrum, posteaqvam de Comitiis Orationem recitaverit, crastino manè horâ octavâ in Auditorio Collegii Majoris audire poterit. Ut autem sit volupe cùm Magnificentiæ, Generositatibus, Excellentiis & Claritatibus Vestris, tum Vobis qvoqve, Nobilissimi Ornatissimiqve Studiosi, majorem in modum rogamus, observantiam, amicitiam, officia deniqve omnia Nostra huic favori compensando promtissima pollicentes. P. P. Dominicâ XIII. post Trinit. pridie Idus Sept. Anno Christi M. DC. LII.

---

## Programma X.

## DE TRIPLICI HOMINIS PATRIA,

COELO, TERRA, LOCO NATALI:

*Præscriptum Orationi,*

Qvam Anno 1652. d. 22. Sept. habuit

AARON BLIVERNIZIUS,

*de CASIMIRO, Rege Poloniæ.*

Ab-

Digitized by Google

ABsurdum videri possit, si qvis dicat, eidem homini & cœlum esse patriam, & terram universam, & in hâc ipsâ terrâ brevissimis circumscriptum terminis aliqvod spacium, in qvo primùm infantia ejus reptavit, lusit pueritia. Hæc enim ita inter se ipsa dissidere dicas, ut alternis concidant vulneribus. Si cœlo nostram originem imputamus, non patria nobis, sed exilii locus terra est. Rursum si tam latè extensa nobis habetur patria, qvàm totus terrarum orbis, necesse est prorsus dilui amorem illum, qvem uni urbi vicóve, aut, si paulò magis extendamus patriæ nomen, uni provinciæ præ cæteris omnibo è sorte nascendi credimur debere. Contrà qvis non moveatur, ubi intelligit, ista omnia singulatim sapientissimorum hominum effatis comprobari? De cœlo ut incipiam, non Theologia tantùm nos docet, ibi nobis paternam sedem, in terrâ hospitium esse exulantibus: sed & Philosophi veteres non pauca de cœlesti ortu hominum scriptis commendata reliqverunt. Leguntur apud Plutarchum (a) versûs



(a) in fine libelli de Exilio (Parte II. Moral. p. 531.)

Digitized by Google

Empedoclis, in hanc ſententiam: ſi qvid peccet dæmonum aliqvis, eum per triginta horarum millia cœlo extorrem oberrare per terras, ſicq; & ſe, & (qvod inde colligit Plutarchus) exemplo ſuo omnes homines hîc exules & inqvilinos eſſe. Non iſtud qvidem usqveqvaqve ſecundum veritatem, qvòd rerum diverſarum diſcrimina fabulæ confudisſent: ſed in hoc tamen argumento ſatis dilucidè. Qvid? num obſcurum illud, qvod Anaxogaras percontanti: an non patriæ curam haberet? Reſpondit, maximè verò habere ſe, intentoqve digito cœlum demonſtravit (*b*)? Qvid verò magis è Chriſtiano expectes, qvàm qvod cecinit Lucretius (*c*), qvantumvis Epicuri ſectator:

*Deniq; cœleſti ſumus omnes ſemine orundi (d),*
*Omnibus ille idem pater eſt,*

Jam patriæ nomen terrarum omnium ſpaciis diffundi, neq; in anguſtias colliculi coarctandum eſſe, tot paſſim Virorum gravium ſententiis confirmatur, ut hæc pars propemodum ſuâ mole labo-

(b) Laërt. p. 66. ed. lat. (*c*) lib II. p. 265. ed. Lambert. (*d*) orundi legendum eſſe pro *oriundi*, oſtendit Daumius de cauſ. amiſſ. rad. p. 5.

Digitized by Google

boret. Socrates non Atheniensem, non Græcum, sed mundanum, seu mundi civem se esse pronunciavit.(e) Noti sunt versûs Euripidis:(f)

ἅπας μὲν ἀὴρ αἰετῷ περάσιμος,
ἅπασα δὲ χθὼν ἀνδρὶ γενναίῳ πατρίς.

Qvibus Cratetis (g) consonant:

οὐχ εἷς πάτρος μοι πύργος, οὐ μία μοι στέγη,
πάσης δὲ χέρσου καὶ πόλισμα καὶ δόμος
ἕτοιμος ἡμῖν ἐνδιαιτεῖσθαι πάρα.

Et patriam esse ubicunqve benè sit, pueri qvoqve audiunt in Scholis. Qvi tamen dulcissimum patriæ nomen non ita vulgandum ut inhonestæ fœminæ corpus, communicandumqve terræ cuilibet velint, sed relinqvendum jure qvodam suo illi particulæ mundani orbis, cui nativitas nostra id asseruit, neqve pauciores sunt cæteris neqve minùs prudentes, qvin propè iidem. Cer-



(e) Plutarch. de Exilio, (Parte II. moral.) (f) citati Mureto II. Var. Lect. 3. in fine capitis. Eos Stigelius (in dedic. Hymni cujusdam, qvem Anno 1553. scripsit in reditu Joh. Friderici Ducis Saxoniæ,) latinis versibus ita expressit: *Ut omnis aura aqvilis patet volantibus, omnis Viro sic terra forti est patria.* (g) Diog. Laert. lib. VI. in vitam Hipparchi p. 429. (ed. græcol. Colon. Allobr. Anno 1616.) ubi & græcorum versuum interpretatio latina: *Non turris una, nec casa una patria mihi est, sed universa arces terræ, & domus, Parata nobis mansio & cœnacula.*

Digitized by Google

tè ille ipse Naso, qvi in Fastis (*h*) Carmentam facit, versibus ad imitationem superiorum Euripidis compositis, [*i*] exilium filii solantem, commemorantemqve, ut æqvor piscibus & aërem volucri, ita Viro forti patriam esse omne solum: idem ille, inqvam, cùm posteà, qvid sit exulem esse, experiretur ipse, haud paulò aliter sentire cœpit, fassusqve est disertè, (*k*) natale solum dulcedine qvâdam omnes detinere, neqve sui esse immemores pati. Verùm nobis non decretum est, illas sententias qvasi adversis frontibus inter se committere, aut uni ita inhærere, ut alteri machinemur exitium, qvod Lysias (*l*) fecit Orator, qvi Teucri illud, Patriam esse cuiqve, ubi sit benè; hominis esse interpretatus est de suis tantùm commodis soliciti, neq; ad civilem communionem apti, eò qvòd charitatem patriæ suis opportunitatibus metiatur. Et superiori seculo Philippus

(*h*) lib. I. v. 493. 494. *Omne solum forti patria est, ut piscibus æqvor, ut volucri, vacuo qvicqvid in orbe patet.* (*i*) observavit hoc Muretus loco lit. F. citato. (*k*) I. de Ponto eleg. 4. *Nescio qvâ natale solum dulcedine cunctos Ducit, & immemores non sinit esse sui.* (*l*) verba ejus qvære apud Muret. iterum II. var. lect. 3. ubi plura.

Digitized by Google

lippus Melanchthon (*m*) vocem illam Euripidis, (*n*) qvâ collatio fit aqvilæ & hominis, ferrei animi vocem vocat. Neqve jam Epigrammatarios libet imitari, qvi dum vocabulis ſtruunt inſidias, ubicunqve ſe offert occaſio naſi exerendi, poſcente ſenſu an invito id fiat, ſusqve deqve habent. Sic Palladæ ex comparatione verſuum Homeri duorum, qvorum altero nihil eſſe dulcius patriâ (*o*) dixerat, altero Ulyſſen optaſſe, ut liceret vel exilientem fumum Ithacæ ſuæ videre (*p*) natum eſt hoc tetraſtichon (*q*) plenum argutiis:

ὡς ἡδὺ γλύκιον γῆς πατρίδος, εἴπεν ὅμηρος.
ὃν γὰρ τοῖς κίρκης ἔγχυτον οὐκ ἔφαγεν.
ἀλλὰ μόνον εἰ καὶ καπνὸν ἀποθρώσκοντ' ἐνόησεν,
εἴπεν ἂν ὀιμώζειν καὶ δέκα Πηνελόπας.

Sic citerioris qvidam memoriæ Poëta, cùm legiſſet, omne ſolum forti Viro eſſe

(*m*) lib. III. Epiſt. p. 159. Eſt autem Epiſtola illa inſcripta Caſp. Crucigero. (*n*) regredere ad lit. f. (*o*) Odyſſ. lib. IX. v. 34. (*p*) ibid. lib. primo v. 58. (*q*) Habes hoc lib. I. Anthol. græcor. Epigr. c. 64. f. 129. ed. Francof. Anno 1600. item p. 883. Florileg. græcolat. And. Rivini, ubi & p. ſeq. Hieron. Magiſeri tetraſtichon hoc latinum, è græco Palladæ conceptum: *Eſſe qvidem patriâ nil dulcius, inqvit Homerus; Circæas nam non ederat ille dapes: Qvarum ſi fumos tantùm vidiſſet, amarè juſſiſſet denas plangere Penelopas.*

Digitized by Google

esse patriam, (r) nautam fortem sibi excipiendum putavit, qvippe qvi non *solum* omne, sed omne *solum* haberet patriam. Nobis jam alia mens, qvi cùm convertimus animum ad cogitationes eorum, qvi sive cœlum sive mundum hominibus omnibus, sive suam cuiqve patriam qvasi peculiarem esse dixerunt, verum omnes dixisse deprehendimus. Nam si nati sumus non ad hanc tantùm degendam vitam, sed ad longè meliorem, qvæ nos tùm demum exceptura est, cùm soluta mens à vinculis corporis evolaverit in cœleste Angelorum contubernium, unde nos ultimorum parentum expulerat prævaricatio; si terrenis commoditatibus ita utendum est, ut protenso semper in cœlum animo majorem voluptatem è contemplatione futuræ beatitatis, qvàm præsentium capiamus deliciarum: qvis neget, commorandi modò diversorium hîc nobis à naturâ datum, habitandi locum in patriâ cœlesti qværendum esse? Sed qvoniam non aliâ lege sumus à præpotente DEO in hoc exilium missi, qvàm ut secundam curam in excolendas hujus vitæ

(r) respice ad lit. h.

vitæ ſocietates impendamus, ſine qvibus conſtare vivendi non poteſt ratio: non ita eſt nobis omne tempus exigendum in his terris, ut qvemadmodum viatores nihil in diverſoriis qværunt, qvàm ut cibo & ſomno ſe reficiant, officiorum omnium domeſticorum ſecuri, ita & nos in otium tantùm incumbentes laborum ac moleſtiarum onera fugitemus. Porrò ut Parentibus arctiori vinculo ſumus alligati, qvàm multitudini hominum cæterorum: ita conſentaneum eſt, loci natalis amorem altiùs infixum eſſe nobis oportere, qvàm reliqvarum per orbem regionum. Jureqve eſt à Danæo (s) reprehenſus Lipſius, (t) qvòd exiguos iſtos terminos ab opinione tantùm proficiſci docuiſſet, qvibus ſe magnus erectusqve animus non includat, ſed cogitatione & ſenſu totum hoc univerſum complectatur, ut ſuum. Id enim egit eo loco Lipſius, ut convinceret, nihil eſſe qvamobrem Belga magis doleat, ſi apud Belgas geratur bellum, qvàm ſi apud Æthiopas aut Indos. Qvâ profectò vel ſolâ ſententiâ me-

(s) lib. II. Polit. Chriſt. c. 3. p. 92. (t) qvem vide lib. I. de Conſtant. c. 9.

mereri Vir ille poterat, ut Stoicus inter Christianos haberetur. Gradûs enim dilectionis ipse in naturam insevit Deus, nihilqve propius abest à feritate, qvàm si qvis perinde patriæ suæ casûs accipiat, qvàm externæ regionis cujusqve. Debet igitur omnium terrarum semper nobis charissima esse patria, cui, si officio nostro carere non possit, omnes aliarum sedium charitates sunt posthabendæ. At si vel ipsa non indigeat operâ nostrâ, vel eam nobis sive potentia hostium, sive malevolorum furores eripiant, ut emigrandum sit: tùm demùm illa adversus exilii acerbitatem qværenda sunt remedia: patriam esse forti Viro omnem terram; nulli homini neqve domum neqve agrum proprium à naturâ factum, ut Aristo (u) dicebat, sed horum unumqvodqve nominari qvovis tempore ab eo, qvi possidet atqve utitur. Alia convenit oratio dolori leniendo, alia svadendo necessitudinis officio. Militem in acie constitutum si qvis imperator ita hortari velit, ut proponat, pulsis atqve in fugam conjectis re-

(u) teste Plutarcho libell. de Exilio (Part. II. Moral. p. 521.)

Digitized by Google

regionem qvamcunqve esse pro patriâ: an non ineptus esse meritò censeatur? Hìc enim patriæ illius arctioris libertas, hîc aræ & foci, hîc culta tot avis atqve atavis sacra, hîc conjugum & filiorum salus objectanda oculis, & qvasi fulgure qvodam percellendi animi erant: fugæ verò solatia in alios casus differenda. Et fit tamen, præsertim in iis, qvi tenero corde sunt, ut vix unqvam ille in patriam affectus à peregrini cœli consvetudine exæqvari possit aut exhauriri: adeò qvidem, ut etiam fertilissimæ omnibusqve copiis affluentes regiones præ patriâ sordescant, qvantumvis incultâ & horridâ. Itaqve Ulysses cùm apud Calypsonem posset in omnibus deliciis vivere, tamen illam asperam & lapidosam patriam suam antepositit immortalitati, (w) nec minùs ad Saxa sua properavit, qvàm Agamemnon (x) ad Mycenarum nobiles muros.

*Qvid melius Româ? Scythico qvid frigore pejus?*
*Huc tamen ex illâ barbarus urbe fugit:*
qvem-

(w) Muretus iterum lib. II. Var. Lect. c. 3. (x) de qvo Senecam vide epist. 66. al. 67. p. 406. edit. Amstelod. Anno 1619.

Digitized by Google

qvemadmodùm olim Poëta ſcripſit Ovidius. (y) Nimirum profundiùs nobis amorem patriæ impreſſit natura, qvàm ut expungi prorſus peregrinatione poſſit, qvamlibet diuturnâ. Rectè proinde faciunt, qvi memoriam loci natalis, ubicunqve gentium degant, ſanctam atq; inviolatam retinent. Id qvod imprimis literarum & elegantioris diſciplinæ cultores decet, qvi qvaſi lege qvâdam profeſſionis ſuæ, ſcientias adipiſcendi cauſâ, ſponteneum ſuſcipere exilium coguntur ad ea loca, in qvibus artium bonarum exercetur mercatura. Laudandus eſt nobis hoc nomine in primis AARON BLIVERNIZIUS, politisſimus juxta ac literatisſimus Juvenis. Hic cùm per tempus bene longum, qvo literis tum alibi, tum apud nos egregiam operam navavit, ab opido Thoruniensi abſit, patriâ dulcisſimâ: gratum tamen ſemper ejus ſenſum circumtulit. Qvapropter ut & nobis hoc teſtatum faceret, ad nundinas appetentes aliò perrecturus, diſcedendum hinc ſibi non putavit, niſi priùs publicè de laudibus diceret

(y) lib. I. de Ponto eleg. 4. Loqvuntur autem his locis & Seneca & Ovidius de Ulyſſe.

Digitized by Google

ceret Potentissimi Poloniæ Regis CASIMIRI, qvem Patriæ suæ Parentem, meritò veneratur. A Vobis igitur, Rector Magnifice, Generosissimi Comites ac Baro, Facultatum omnium Doctores, Licentiati, ac Magistri nominatissimi, submissè & officiosè; à Vobis verò Studiosi doctissimi, perhumaniter ejus nomine rogamus, ut cras, DEO volente, post sacra matutina in Auditorium Majoris Principum Collegii confluere, dicentemqve de memoriâ, præsenti vestro favore complecti atqve honestare velitis. DEUM autem devotis precibus invocare convenit, ut fortissimum Regem, cujus Majores atqve Antecessores Turcarum, aliarumqve gentium efferarum immanitati semper intrepidè restiterunt, difficili hoc tempore, qvo nescio qvid mali à barbarâ natione orbi Christiano extimescendum est, alis suæ clementiæ protegat, universasqve ejus ditiones à vastitate & noxâ vindicet. P.P. d. 21. Septemb. Anno M DC LII.



Digitized by Google

# PROGRAMMA XI.

## DE ORIGINE CULTUS ANGELORUM SUPERSTITIOSI:

*Præscriptum Orationi,*

Qvam Anno 1652. d. 28. Septembr. habuit

JOHANNES GÖRINGIUS,

*De Angelorum custodiâ.*

SOlenne est nobis in Vigiliâ Festi Angelorum producere, qvi in honorem Beatissimarum Mentium verba publicè faciat è cathedrâ. Qvâ in re tamen haud paulò aliter versamur, qvàm cùm de natalibus Christi Salvatoris, aut passione ejus ac morte, aut gloriosissimâ resurrectione, aut Spiritu deniqve Sancto suis temporibus dicendum est. Nam Filium DEI Sanctumq; Spiritum ita veneramur, ut simul honorem atqve cultum adorationis plenissimo cumulo, qvantum in nobis est, admetiamur. At Angelos supplicantium in morem invocare, qvando id absqve injuriâ DEI fieri non potest, religio nobis est. Qvòd Pontificii hâc in parte à nobis dissentiunt, videant ipsi, qvid DEO, cujus imminuunt majestatem, sint aliqvando responsuri. Ac jam qvidem primis

Digitized by Google

primis nascentis Ecclesiæ temporibus fuisse, qvi sic magnificè de Angelis prædicarent, ut Christum propemodum cogerent in ordinem, ex Epistolâ Pauli ad Colossenses apparet, ubi non tantùm mentio fit θρησκείας τῶν ἀγγέλων, (a) sed & laborat Apostolus, ut demonstret, Christum & superiorem esse angelis omnibus, & ipsis autorem bonorum: (b) videlicet ne relicto illo ad hos converteremur, qvi sibi ipsi sufficere non possunt. Sed has putes fuisse reliqvias superstitionis gentilium, qvi divino cultu non Deos modò suos, sed dæmones qvoqve (hos enim angelos eorum agnoscebat Theologia;) prosecuti sunt. Potuit autem intuentibus animo sublimem angelorum excellentiam, qvâ genus nostrum exuperant, proximeqve ad Divinum numen accedere videntur, facilè contingere, ut hoc qvasi fulgure perculsa atqve stupefacta mentis acies religiosâ veneratione demerendam sibi eorum gratiam putaverit. Accedit, qvòd apud gentiles qvoqve dæmonibus curam & custodiam hominum creditam esse existimatum fuit: unde inducti sunt,



(a) cap. 2. v. 18. (b) cap. 1. v. 16. 20.

Digitized by Google

ut qvos propitios sibi optarent, iis qvibus possent, efficacissimis modis blandirentur. Satis in hanc rem clara sunt verba Hesiodi, (c) ubi aureæ ætatis homines post mortem dæmones factos esse affirmat:

τοὶ μὲν δαίμονές εἰσι διὸς μεγάλου διὰ βουλὰς,
ἐσθλοὶ, ἐπιχθόνιοι, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων,
οἳ ῥα φυλάσσουσί τε δίκας, καὶ ἔργα κακῶν,
ἠέρα ἐσσάμενοι, πάντῃ φοιτῶντες ἐπ' αἶαν,
πλουτοδόται, καὶ τοῦτο γέρας βασιληΐον ἔσχον.

Minùs plenè latinitate donati leguntur hi versûs apud Macrobium (d):

*Indigetes divi facto summi Jovis hi sunt,*
*Qvondam homines, modò cum Superis humana tuentes,*
*Largi ac munifici, jus Regum nunc qvoqve nacti.*

Ubi & Heroës cum Dæmonibus confundit, qvæq; de iis commemoravit Virgilius, parùm aptè accommodat ad Dæmones Hesiodi, cui manifestè non in primâ ætate, sed in qvartâ locantur Heroës. Neq; obscurè Platonica Philosophia, qvam secutus est Virgilius, Dæmones secundo, Heroës tertio à Diis gradu censet (e). Sed non est fortasse hoc exigendum

(c) lib. I. ἔργ. v. 121. seqq. (d) in somn. Scip. lib. I. c. 9. p 52. (e) vide Jamblich. p. 580.

gendū à Poëtis, ut inter se consentiant. Redeamus igitur in viam. Constat utiqve summâ religione ethnicis cultos esse propriè sic nuncupatos illis Deos; in Dæmonum verò & Heroum cultu remissiora qvædam, prout horum poscere videbatur inferior dignitas, usurpata fuisse. Id qvod vel ex Aristotele nostro, ut alios hîc omittamus, ostendi potest. Qvi tametsi in Philosophiâ suâ Dæmones expulit è regione sublunari: tamen ubi dictionem ad populares persvasiones inclinare libet, & nominat Heroës ac Dæmones, & à Diis distingvit. Septimo libro Politicorum (f) monet, per agros alia Diis, alia Heroibus dedicari templa oportere. Et in Commentario de Divinatione ex insomniis naturam esse dæmoniam concedit, divinam negat. Hanc gentilem Philosophiam qvi sub initium Ecclesiæ Novi Testamenti non statim decoqvere potuerunt, facilè prolapsi sunt in Angelolatriam; qvando & Judæorum sectæ è Græcorum Philosophiâ enatæ qvibusdam videntur (g). Certum hoc est, Platonicam Philosophiam non



(f) cap. 12. p. 332. (g) Victorin. Strigel. Commentar. in II. Reg. 2. f. 308.

Digitized by Google

leves turbas prioribus seculis dedisse. Nostros verò Pontificios, qvemadmodũ pleraq; superstitionum suarum deliria in Ecclesiam è Gentilismo traduxisse ab aliis est ostensum: ita non absurdè cultum qvoq; Angelorum ex iisdem fontibus eos hausisse dicat aliqvis. Qvod enim excusandi erroris sui causâ distingvunt inter δουλείαν & λατρείαν, verba qvidem proferunt è sacris literis & detorqvent, rei ipsius discrimen citiùs è scriptis Ethnicorum probaverint. Nos verbo salutis edocti sumus, Deum solum esse, cujus præsentiam in adversis rebus venerabundo cordis gemitu implorare deceat hominem Christianum. Ab hoc honore decerpi nihil, ac ne minima qvidem particula, qvæ transferatur in alios, sine Divinæ Majestatis læsione potest. Itaqve sanctissimam qvidem habemus beatorum Angelorum memoriam, sed eam certis limitibus definientes neqvaqvam permittimus nobis eas Angelorum compellationes, qvæ supplicantium Divino Numini propriæ sunt. Qvin potiùs officio circa eos defuncti, cùm sanctitatem eorum, justitiam, castimoniam, humilitatem, cæterasq; virtutes dignis laudi-

laudibus eveximus; cùm eorum beneficia, qvæ in nos à DEO jusſi alacriter conferunt, vitæ noſtræ, corporis ac fortunarum cuſtodes, multarumq; liberationum adminiſtri, gratâ recenſione enumeravimus: omnia tandem ad Deum unicè referentes & gratias ipſi agimus, qvòd tam præclaros nobis excubitores addiderit, & rogamq; ſuppliciter, ut nos decurſo hujus vitæ ſpacio ſocios iisdem æternæ felicitatis adjungere dignetur. Atq; hæc obſervabit JOHANNES GORINGIUS noſtras, bonis literis egregiè tinctus Juvenis. Qvem de *Angelorum cuſtodiâ* cras, Deo volente, à peractis ſacris matutinis in Auditorio noſtro dicturum ut Magnificus Academiæ Rector, Generoſisſimi Domini Comites ac Baro, Facultatum omniũ Doctores, Licentiati & Magiſtri, Studioſi deniq; Adoleſcentes audire velint, tam precamur, qvàm qvod maximè, Auditorum cuivis pro conditione & ipſius & noſtrâ obſeqvii & humanitatis officia prolixè deferentes. P. P. propridiè Feſti Angelorum 27. Septemb. Anno Chriſti M DC LII.

# PROGRAMMA XII.

## DE MEDIOCRITATE CIRCA STUDIUM GLORIÆ:

*Præscriptum celebratæ*

Anno 1652. d. 20. Novembr.

*Promotioni Baccalaureali.*

ESse mentibus nostris ut aliarum rerum, qvæcunqve boni speciem habent, ita gloriæ imprimis atqve honoris ingenitam cupiditatem, qvando sibi ipse hujus rei domesticum exemplũ est unusqvisq;, prolixè commemorare nihil attinet. An autem & qvousq; frena huic affectui permittenda sint, Philosophiæ maximè Studioso investigare pretium est operæ. Non enim semper eadem fuit omnium hâc de re sententia. Antisthenes, qviq; ab eo profecti sunt Cynici, ut in aliis gloriæ studium reprehenderunt: ita, si vitam eorum inspicimus, summâ cum industriâ hoc egisse videntur, ne cui liberet eos in aliqvo pretio ponere, qvi canes impudentiâ & mordacitate vincerent, publicè inutiles, importuni privatim. Atq; horũ sunt illa: *tam esse expetendum contemptum, qvàm opes & divitias* (a); *gloriam integumentum*

(a) G. Morell. Tab. Philos. p. 4.

Digitized by Google

*mentum esse vitiorum* (*b*); *bonum verò eâ carere* (*c*). Neqve tam disſimile unqvam par ullum ſociatum ſol conſpexit, qvàm cùm Alexander Diogenem convenit Corinthi, libellis glutinandis intentum, (*d*) flagrantisſimus ſcilicet in gloriam juvenis Philoſophum regalis ſuperbiæ contemptorem. Stoici, non multò meliores Cynicis, ac potiùs eorum propago qvædam, cùm omnes homini ſapienti cupiditates ademerunt, hanc profectò laudis & gloriæ non reliqvere. Imò ne voluptatis qvidem magiſter Epicurus reliqvit. Hic tria poſuit genera cupiditatum, unùm earum, qvæ esſent & naturales & neceſſariæ; alterum, qvæ naturales eſſent, nec tamen neceſſariæ; tertium, (in qvo gloria continetur,) qvæ neutrum: atq; has poſtremi generis cupiditates, qvòd eſſent planè inanes, neqve neceſſitatem modò, ſed ne naturam qvidem attingerent, funditùs ejiciendas, ut ait Cicero, (*e*) putavit, ſuum illud, λάθε βιώσας, ſubinde inculcans. Omnibus his antiqvior Pytha-



(*b*) Id. ibid. (*c*) Laërt. p. 225. (*d*) Epiſt. Diog. p. 137. Eraſm. apophth. p. 299. (*e*) V. Tuſcul. p. 246. Conf. eundem. l. de finibus p. 28. Laërt. in Epic. p. 467.

Digitized by Google

goras videtur & ipse Philosophũ à qværendâ gloriâ arcere voluisse. Cùm enim similem fecisset hominum vitam & mercatum eum, qvi haberetur maximo ludorum apparatu totius Græciæ celebritate, ubi gloriam alii & nobilitatem coronæ corporibus exercitandis peterent, alii emendi aut vendendi qvæstu & lucro ducerentur: Sapientiæ studiosum ab utroqve genere exclusit, voluitqve nec plausum nec lucrum qværere, sed spectare tantùm rerum naturam, neqve sibi qvicqvam acqvirere. (*f*) Verùm qvod apud Gellium (*g*) Herodes Atticus de omnibus in universum affectibus præclarè adversus ἀπάθειαν Stoicorum disserit, neqve posse iis hominem natum carere omninò, neqve debere, si posit, similem alioqvi futurum Thraco homini, qvi colendi ruris insolens unà cum rubis vites sibi suas omnes & oleas detruncavit: id opidò probè nominatim ad gloriæ cupidinem accommodare licet. Qvis enim credat, evelli posse animis nostris hunc stimulum tàm altè impressum, cùm ii ipsi, qvi in hoc omnes nervos contenderunt, nihil perfecerint? Calcabar Platonis

(*f*) Cicero iterum V. Tusc. p. 229. 230. (*g*) lib. XIX. c. II.

fastum Diogenes, sed alio fastu. (*h*) Amputabant gloriæ desiderium Stoici, sed verbis nimirum atqve disputationibus: (*i*) nam re ipsâ id adeò assecuti non sunt, ut fateri eos oportuerit decreta sua usibus atqve actionibus non qvadrare. Sanè verò Chrysippus in libro de Rhetoricâ ita scripsit Rempublicam gesturum Sapientem, ut qvi divitias, gloriam, sanitatem bona arbitretur, uti refert Plutarchus. (*k*) Qvàm avidus laudis Epicurus fuerit, ex eodem Plutarcho (*l*) discimus, qvippe qvi tam insano æstuavit gloriæ studio, ut non modò negaret, ullis se usum Præceptoribus, & cum Democrate, totidem verbis ejus decreta suffurato, altercaretur de syllabis & apicibus; sed ambitiosissimè qvoqve jactaret, nullum extitisse Sapientem extra se & suos discipulos. Qvid singulos scrutamur? Universos tales fuisse lepidissimè explicat Lucianus. Hic enim, cùm dixisset, (*m*) Philosophiam pullos suos non, ut aqvilam solis objectu, sed auri, gloriæ ac voluptatum probare, ut

(*h*) Laert. p. 230. Erasm. Apophth. p. 266. qvi
(*i*) Wolf. de doctr. Philos. p. 104. (*k*) libr. de repugnant. Stoicor. (III. Moral. p. 4.) (*l*) lib. non posse svaviter vivi secundum Epicurum, (II. moral. p. 104.)
(*m*) in Piscatore dialogo, Tom. III. oper. p. 182.

Digitized by Google

qvi hæc appetunt, pro ſpuriis habeantur, qvi faſtidiunt, pro genuinis: mox ſe ipſum falſisſimâ fictione inducit (*n*), ex arce Atheniensi hamum in plateas urbis demittentem, in qvem placentâ auroq: ineſcatum cùm avidisſimè ſe ſectarum qvarumlibet Philoſophi induisſent, piſcium inſtar alius poſt alium extracti pœnas dederunt hypocriſeos. Et Beatus Hieronymus duobus in locis (*o*) Thebani Cratetis exemplum afferens, (qvem qvidem Apulejus (*p*) adverſum animi humani monſtra Herculẽ qvendam fuiſſe vult,) temperare ſibi non potuit, qvin derivato in omnes opprobrio Philoſophum mundi gloriæ animal, & popularis auræ vile mancipium nuncuparet. Enimverò exſtirpari ex animis noſtris gloriæ ſtudium non poteſt, qvod radicibus infixum eſt non altisſimis tantùm, ſed ita cœcis etiam doloſisq;, nunqvam ut magis fruticet, qvàm cùm evulſum exiſtimatur. Neq; inſidiis ſuperbiæ, (ſuſpicionibus certè,) periculoſiùs qvisqvam patet, qvàm qvi eam planè

(*n*) ibid. p. 183. ſeqq. (*o*) in duabus videlicet epiſtolis. unâ ad Pammachium, alterâ ad Julianum. Vid. Tom. I. operum ejus f. 75. & 94. (*p*) lib. IV. Florid. p. 247. ed. Colvii.

Digitized by Google

nè ab se spreviſſe perſvaſus eſt. Itaqve Cicero (q) & Maximus Valerius (r) acutè arguunt illos Philoſophorum, qvi libris de contemnendà gloriâ editis nomen ſuum diligenter adjecerant, qvaſi opere ipſo refellentes, qvod verbis prædicarent. Et Plutarchus (s) hos tales feſtivè Philoxeno comparans, ideò ſcribit gloriam apud alios traducere tanqvam rivales ſuos, ut ipſi eâ absq; certamine potiantur. Age fingamus, poſſe à nobis appetitum gloriæ penitus excludi: videndum igitur porrò, id an expediat qvoqve? Eqvidem & fortunas multorum privatas & publicarum ſæpe rerum hic affectus evertit: ſed abutentium culpâ. Qvi ſi moderari ſciviſſent, qvantum nocuerunt, tantum attuliſſent utilitatis. Non enim malo noſtro laudis cupidinem atqve gloriæ nobis inſevit natura, ſed ut his qvaſi calcaribus ſtimulata mens torporem atq; ignaviam excuteret, plenoq; curſu per inclementem ſalebris ac ſentibus viam ad arcem virtutis eniteretur. Ac veluti cibi potus-

(q) Orat. pro Atch. (Volum. II. orat. p. 190.) (r) lib. VIII. c. 14. (al. 15.) p. 337. ed. Antverp. A. 1614. (s) libell. de occulte vivendo, ab init. (II. Moral. p. 115. 116.)

Digitized by Google

potusq; appetentiam ad extendendum ævi ſpacium; veneris ad propagandum genus, divitiarum ad opportunitates vitæ tuendas: ita gloriæ cupidinem ad perſeqvendam virtutem adepti ſumus; qvam rectisſimè Tullius virtutis modò mercedem (*t*), modò adumbratam opinionem (*u*) appellat. Eapropter & è fruenda gloriâ tantò major, qvàm ex aliis voluptatibus oritur delectatio, qvantò ipſa virtus cæteris, qvæ ſunt à nobis bona memorata, præſtat. Unde & illud conſeqvitur, ſi fami ſitiq; obſeqvi, ſi liberis dare operam procreandis, ſi divitias qværere Sapienti honeſtè licet, licere multò magis petere gloriam, ejusq; ſperata jucunditate laborum lenire moleſtias: ſic tamen, ne in eâ, tanqvam in ultimo fine, qvi gloria DEI eſſe debet, acqvieſcat. Non igitur vacat reprehenſione Stoicorum illa cæterorumqve de hoc genere nimia gloriæ inſectatio: jureq; Antiſthenis vocem improbat Joannes Baptiſta Laurus (*w*), qvi cùm in eqveſtri pompâ à Platone audiviſſet eqvum laudari, qvòd crebro hinnitu excelſos

(*t*) pro Arch. (Tom. II. orat. p. 191.) (*u*) V. de finibus p. 141. (*W*) Epiſt. 59.

Digitized by Google

celsos spiritus indicaret, hominem reprehendit, qvasi & ipsum gloriæ ad eqvi instar appetentem. Qvantò rectiùs Spartani, qvi, Plutarcho (x) teste, statim à puero suos volebant cupiditate gloriæ affici, secus pro ignavis habentes. Qvantò item rectiùs Aristoteles noster, qvi non aspernari honores planè, sed amplecti moderatè nos docuit, tantumqve impotentem eorum atqve insatiabilem resecare ambitionem jussit duarum virtutum adminiculo, qvarum qvæ desiderium moderatur eminentis gloriæ, magnanimitatem; qvæ mediocris, modestiam vocamus. Nec dubitavit ipse suum illum capessendæ laudis ardorem, æmulandiq; studium palàm fateri, cùm crebris sermonibus illud usurparet, turpe sibi esse tacere dicente Isocrate (y). Admonet nos hoc loco reverentia, qvam Philosophorum Principi debemus, ut ex ejus nomine maculas duas, cum ambitionis convitio aspersas, opportunè eluamus. Scriptum reliqvit Valerius Maximus (z), eum Theodecti discipulo orato-

(x) in Lysandro, haud procul ab init.

(y) αὐχεῖν σιωπᾶν, κ' ἰσονεφάτην ἐᾶν λέγειν. vid. Qvintil. lib. III. c. 1. (z) loco suprà lit. r. citato.

ratoriæ artis libros, qvos ederet, donasse, sed posteà molestè ferentem, qvòd eorum titulus alii cesserit, proprio volumine, cùm rebus qvibusdam insisteret, planiùs sibi de his in Theodectis libris dictum adjecisse. Scilicet ut intelligeremus, pœnitentiâ ductum noluisse sibi eam gloriam interire. Cui narrationi ut pro more suo sententiam assueret Valerius, vix à se impetrare potuit ne acerbiùs in eum inveheretur, jam non ambitionis modò, sed & inconstantiæ reum. Qvod in re (ut omittam tantillâ) tam incertâ profectò facere non debuit. Virum enim gloriæ, uti reverâ fuit, cupidissimum qvis credet inducere in animum potuisse, ut libros (honestissimum comparandæ laudis instrumentum) donaret Theodecti, qvos ille ederet pro suis? Vero similius longè, tantùm ut uteretur homo facultatis oratoriæ studiosus, aut ut ederet etiam, sed vero autoris nomine illi inscriptos. Huc nos ducunt ipsius Aristotelis verba cap. 1. Rhetor. ad Alexandrum, ubi clarè legimus: ἐν τοῖς ὑπ' ἐμοῦ τέχναις Θεοδέκτη γεγραφείσαις. Aut igitur Theodectes illorum gloriam invasit, & jure vindicavit

cavit Aristoteles: aut nec invasit ille, nec hic vindicavit. Eqvidem invasisse, è Fabio suspiceris, qvi Theodectis nomine inscriptum id opus declarat. (a) Atqve hoc imposuisse Valerio videtur, qvi cùm & missa esse ad Theodectem illa Rhetorica, & ejus nomine circumferri cognovisset, justâ donatione in eum translata ratiocinatus est. Sed de fundamento suæ narrationis ipse viderit. Nos uti non donata ab Aristotele credimus, ita nec inuncata à Theodecte. Fieri enim facilè potuit, ut eodem errore Theodecteorum autor sit habitus Theodectes, qvo Nicomacheorum Nicomachus, uterqve à plagio absolvendus. Neqve, si Præceptoris messem intervertisset ingratus discipulus, eo loco, qvo Aristotelem suo operi manum injecisse Valerius innuit, sine aculeo dimissus fuisset: ubi tamen nihil aliud legas, qvàm hæc placidissima: (b) αἱ δ' ἀρχαὶ τῶ περιόδων χεδὸν ἐν τοῖς Θεοδεκτείοις ἐζητεῖθμηνται: prorsus ut alios à se editos, neqve à qvoqvam interceptos, citare

H solet

(a) Fab. Qvintil. lib. II. cap. 16. p. 123. *Theodectes, sive ipsius id opus est, qvod de Rhetorice nomine ejus inscribitur, sive, ut creditum est, Aristotelis.* (b) III. Rhetor. 9.

Digitized by Google

ſolet Philoſophus. Qvid, qvod iis ipſis in libris, qvibus Theodecteos ſibi aſſeruit, qvinqvies ſexiesve Theodectis ex ejus tragœdiis verſûs laudat? (c) non tanti utiqve facturus hominem, à qvo repetere ſive donum, ſive furtum decreviſſet. Satis Valerio reſponſum eſt. Nunc aliud crimen videamus: in qvo neſcio qvi tangendi nobis erunt, qvos Joannes Saresberienſis (d) ait Ariſtotelem incubi dæmonis filium, aut, ut alibi (e) modeſtiùs loqvitur, à numine progenitum credidiſſe. Cujus commenti qvicunqve autores ſunt, has fortaſſe veriſimas cauſas habere ſibi ſunt viſi, ſive qvòd Ariſtotelem genus ad Æſculapium retuliſſe, ſive qvòd eum δαιμόνιον appellatum, uti Platonem θεῖον, legerant. Sed juvat à Sarisberienſi cognoſcere, qvibus coloribus commendare porrò nobis hoc ſomnium voluerint. Is ex eorum ſententiâ tria affert: *propter agilitatem*, inqvit, (f) *corporis, perſpicaciam ingenii, & gloriæ appetitum, qvam multiplici induſtriâ omnibus præripere conſueverat.* Qvis hæc non olfaciat è clauſtris

(c) II. Rhetor. 23. (d) lib. VII. Policrat. cap. 6. p. 363.
(e) ibid. lib. VIII. cap. 5. p. 465. (f) p. 363.

Digitized by Google

ſtris prodiiſſe? Ne prorſus extra oleas vagemur, agilitatem illam & perſpicaciam omittemus: tantùm dicemus de propriæ gloriæ appetitu. Qvem ita exaggerat Saresberienſis, ut natales gloriæ nimis cupidorum ipſe non parum habeat ſuſpectos incubatus: argumentum à contrario ducens, (g) qvia veri DEI Filius non propriam qvæſiverit gloriam, ſed Patris. Eqvidem adhæret appetitui noſtro, qvo in gloriam ferimur, perinde ut affectionibus cunctis, aliqvid ex eo veneno, qvo teter ſpiritus primos homines afflavit. Sed eum, qvi præ cæteris huic motui obtemperat, confeſtim incubi dæmonis filium proclamare, nimis violentum eſt. Erit igitur incubi filius & Themiſtocles, erit Lyſander, erit Demoſthenes, erit Cicero, erit Pompejus, erunt in univerſum omnes extra Eccleſiam clariſſimi Viri, qvi qvam qvæſiverunt gloriam, non DEO, qvem ignotum habuere, ſed ſibi qvæſiverunt. Reducit hîc nos ipſum in viam diverticulum. Cùm enim oſtenſum ſit ſuprà, non debere nos ad exhortationes gloriæ prorſus obſurdeſce-



(g) p. 465.

Digitized by Google

re: superest, ut qvousqve illis auscultandum sit, breviter expendamus. Qvâ in re Sapientem è scitis Christianæ Philosophiæ illud imprimis amplecti decet, ut omnia ultimò ad gloriam DEI revocare proponat. Itaqve nostræ gloriæ non inhærendum est nimis, sed ab ejus titillatione abducendus diligenter animus, inqve illum Oceanum, unde in nos bonorum omnium rivuli defluunt, exoneranda mentis desideria. Qvinimò ne qvidem, si à DEO descendimus, secundo statim loco nos respicere debemus. Gravissimè Plutarchus, *(h)* ac propemodùm παραδόξως: *Gloriam* inqvit, *civilis Vir non ut præmium aut solatium virtutis exigit, aut amplectitur suis actionibus comitantem, sed qvod credi & haberi pro bono causam & occasionem ipsi plurium pulchriorumqve parit facinorum. Dicto enim annuentibus faciliùs & suaviùs licet prodesse; qvi suspecti sunt, aut calumniis onerati, virtute suâ non possunt uti, & vim facere beneficium ipsorum fugientibus.* Est & alia cautio, ne ad nobilitatem & gloriam per fraudes ac dolos, multò minùs per per manifesta scelera evadere, ut Herostra-

(*h*) de sui laude (Tom. II. moral. p. 208.)

rostratus, & Pausanias ille, qvi Philippum interemit, (i) sed, velut optimi cuiqve, laudandis facinoribus meditemur. Itaqve sapienter industriis omnium seculorum consvetudine certa præmia, certiqve honores constituti sunt, ut virtutibus mallent, qvàm vitiis innotescere. A nobis qvidem, DEO volente, cras talibus virtutum insigniis doctissimi Juvenes novem exornabuntur, qvorum adscripta sunt nomina:

SIGISMUNDUS RUPERTUS SULTZBERGER, *Dresdensis.*

BENJAMIN PRÆTORIUS } *Leucopetrai.*
ANDREAS UNGIBAUER }

CASPAR CRAMER, *Lipsiensis.*

MICHAEL BÖHME, *Grimensis.*

TOBIAS HEINRICI, *Lubschicensis Silesius,*

JOH. MICHAEL KÜHN, *Schleusingâ-Franc.*

HEINRICUS ELMENHORST, *Hamburg.*

JOHANNES SIDONIUS, *Frisius.*

Huic, inqvam, Enneadi liberalibus disciplinis egregiè instructæ horis post octavam matutinis in Auditorio nostro nomen atqve titulum BACCALAUREORUM Philosophiæ, postqvam in examine suam nobis approbarunt industriam, con-



(i) Vide Valer. Max. lib. VIII. c. 14. (al. 15.) in fine.

Digitized by Google

feremus. Cui renunciationi ut præsentiam suam Magnificus Academiæ Rector, Comites Generosissimi, Viriqve Facultatum omnium maximè præcellentes commodare dignentur, gratiam à nobis pariter & Candidatis nostris singlarem inituri, maximoperè rogamus. Nobilissimum verò florentissimumqve Studiosorum cœtum ultrò affluxurum confidimus. P. P. die XIX. Novembr. Anno Christi M DC LII.

## Programma XIII.
## De Triumpho Christi,

*Præscriptum Orationi ejusdem argumenti,*

Qvam Anno 1653. d. 9. Aprili habuit

Henricus Elmenhorstius, Hamb.

MAgnifica sunt verba Apostoli, qvibus Dominicæ resurrectionis gloriam, partæq; per Christum humano generi victoriæ majestatem Colossensibus suis depingit (a): ἀπεκδυσάμενος τὰς ἀρχὰς, καὶ τὰς ἐξουσίας ἐδειγμάτισεν ἐν παῤῥησίᾳ, θριαμβεύσας αὐτοὺς ἐν αὐτῷ. Respicit manifestè ad morem Romanorum,

(a) Coloss. 2. v. 15. *exspolians Principatûs & potestates, traduxit confidenter triumphans illos in se ipse.*

Digitized by Google

rum, istis temporibus adhuc usurpatũ, triumphandi de hostibus capitali clade, cuiq; nullæ superesſent belli reliqviæ, ad internecionem profligatis, qvo nullus habebatur neqve superior honoris gradus, neq; illustrior. Nempe producebantur in curribus publico spectaculo arma, diademata, cæteraq; insignia, qvibus devicti Reges essent exuti (*b*). Hos deinde Duces ipsi cum titulis, aut si qvos alios è captivorum multitudine sua proceritas ac præstantia ἀξιοθεαμβέυτους effecisset, ligati catenis seqvebantur, intercurrente qvi traductis palàm illuderet, ipsorumq; dolorem infamiæ, in communi civium lætitiâ, exasperaret. Ipse verò Imperator inusitati (ut multa paucis complectamur) proximêqve ad divinum habitum accedentis decoris ornatu invehebatur, nihilq; prorsus intermittebat eorum, qvibus victoria tam augusta ad summam celebritatem posse crederetur dedicari. Ad hunc modum erepta potestatibus inferis spolia cum ipsis regni Tartarei tyrannis à victore CHRISTO publicis omnium fidelium ludibriis, tanqvam solenni pompâ,

(*b*) Valtrin. de re milit. Rom. p. 454.

Digitized by Google

pâ, exposita esse Paulus innuit. Qvi se ipse veluti qvendam παῤῥησιαςὴν gerens, Oseæ Prophetæ sententiam (c) victis impingit, Mortiq; & Inferno alibi (d) his verbis insultat: *Ubi est, Mors, stimulus tuus? Ubi est, Inferne, victoria tua?* In triumphatoribus Romanis maximæ semper admirationi fuit Ventidius Bassus. Hic non tantùm genere & loco humili natus, verùm & eversò Asculo unà cum captivâ matre Pompeji Strabonis triumpho ante currum Imperatoris inter cæteros Picentum greges populi oculis subjectus fuerat; adultus curandis mulis sordidè victum invenerat; posthæc cùm in militiâ naviter esset versatus, multâq; fecisset strenuè, per alios dignitatum gradûs ad Consulare fastigium ascendit, eodem anno, qvod imprimis eximium annotatur, & Prætor factus & Consul. Populo qvidem Romano, qvi, qvo antè artificio vitam toleraverat, meminisset, tam hæc res insolens visa, ut proscriptis per vias urbis ignominiosis versiculis omnes augures & aruspices convocarentur, qvi Consulem scilicet ex mulione factum, tanqvam insita-

(c) Ose. 13. v. 14. (d) 1. Cor. 15. v. 55.

Digitized by Google

ſitatum portentum, obſervarent. (e) Nondum hoc ſatis ad magnitudinem fortunæ. Præpoſitus poſteà Orientalibus Provinciis ab Antonio, Parthos tribus præliis cecidit, Craſſianam cladem Pacori cæde compenſans (f), cujus caput oppidatim circumferri juſsit (g): id ad extremum conſecutus his victoriis, qvod nec ante eum, nec pòſt cuiqvam contigit, ut de Parthis, indomitâ hactenus gente, ageret triumphum. (h) Magna ſunt hæc fatemur, Scriptoribusqve latinis, Plinio, Gellio (i), Valerio Maximo (k) atqve aliis digna judicata, qvæ inter exempla mirabilis fortunæ præcipuo memorarentur loco. Sed eadem, ſi hinc ad Servatoris triumphum flectamus oculos, tam rurſus exilia, ut non mereantur, ne extremâ qvidem lineâ, cum eo conferri. Neq; enim tantùm â primâ infantiâ, ſed per omnem in his terris ætatem, ſervili ſpecie ſe conſpiciendum præbuit Chriſtus, mul-



(e) Gell. lib. XV. cap. 4. (f) Florus lib. IV. c. 9. pag. 138. (g) Flor. d. l. Joh. Stad. comment. in Flor. p. 271. (h) Solum de Parthis triumphâſſe ſcribunt Plinius lib. VII. c. 43. & Plutarch. in Anton. f. 814. (i) de Plinio & Gellio modò dictum lit. h. & e. (k) lib. VI. c. 9. (al. 10.) p. 258. 259.

Digitized by Google

tis ſubinde vexatus & hominum injuriis & naturæ. Jam, qvod maximo ſtupore admireris, triduo ipſo ante triumphalem ab inferis regreſſum vinctus, raptatus, pulſatus, conſputus, excarnificatus, per omnia deniq; contumeliarum genera ad probroſisſimum capitis ſupplicium perductus fuit, ſpectaculo tam indigno, ut de nullo hoſte triumphatum ſit unqvam petulantiùs. Hunc igitur redivivum è ſepulcro exiiſſe, & commutatis repente vicibus triumphatorem agere ex triumphato, tam incredibile videbatur, ut illis etiam, qvorum hoc maximè intererat, perſvaderi diu non potuerit. Porro qvi hoſtes ducuntur? qvæ manubiæ exhibentur? Proſtituuntur inferorum victæ acies cum Ducibus mortalium generi per tot ſecula formidandis. Trahuntur in vinculis Peccatum, Mors, Infernus, & qvicqvid pœnarum ex primâ transgreſſione in mundum ſe effuderat. In homines autem dona diſtribuuntur ſanè qvàm magnifica & nullis Arabum gazis comparanda: Conſcientiæ tranqvillitas, Patris æterni favor, Peccatorum remiſſio, imputatio Juſtitiæ, æternæ Beatitudinis obſigna-

Digitized by Google

ſignatio. Sed hunc triumphum ſuprà, qvàm æſtimare mens humana poteſt, glorioſum atq; ſalutarem craſtinâ luce pluribus exponet commendandæ pietatis & eruditionis adoleſcens HENRICUS ELMENHORSTIUS, Hamburgenſis, cujus hâc de re venuſtæ, vigiliisqve Paſchalibus accommodatæ Oratiunculæ his literis præconium facimus publicum. A Magnifico Academiæ Rectore, Illuſtribus & Generoſis Comitibus, omnium Facultatum ſpectatisſimis Proceribus, ac Viris honoratis enixè contendimus, ut, qvam vel ſanctitas argumenti impetrare ab ipſis poſſet præſentiam, videri velint etiam precibus noſtris dediſſe. Qvod officium à Studioſis qvoqve virtutis & doctrinæ laude florentisſimis nobis facilè pollicemur. Pronunciabit noſter in Auditorio Collegii Majoris horâ matutinâ octavâ. P.P. pridiè vigiliæ Paſchatos, 8. April. Anno Chriſti MDCLIII.

PRO-

Digitized by Google

# PROGRAMMA XIV.

## PHILOSOPHIAM ESSE MEDITATIONEM MORTIS,

à M. JACOBO THOMASIO

*Præscriptum Orationi,*

Qvam ipse Anno 1653. d. 26. Apr. habuit Ethicæ Professionis auspicatoriam

*De idoneo Ethices auditore.*

Cùm multa sint in libris Sapientum Philosophiæ elogia, qvasiqve descriptiones qvædam pulcherrimæ: tum illud in primis neqvaqvam temerè usurpatum est, qvòd eam ΜΕΑΕΤΗΝ ΘΑΝΑΤΟΥ, hoc est MEDITATIONEM MORTIS appellaverunt. Cujus definitionis qvamvis primum autorem Beatus Hieronymus (*a*) indicet Pythagoram fuisse; ad Socratem autem referant Diogenes Sinopensis, [*b*] & Clemens

(*a*) Apolog. adversus Ruffin. (Tom. I. Oper. f. 112.) *Audi*, inqvit, *qvid apud Græcos Pythagaras primus inbenerit: immortales esse animas, & de aliis corporibus transire in alia; - - - Philosophiam meditationem esse mortis, qvotidiè de corporis carcere nitentem animæ educere libertatem; μαθήσεις ἀναμνήσεις εἶναι, & multa alia, qvæ Plato in libris suis, & maximè in Phædone Timæoqve prosequitur.* (*b*) qvi & vulgò Cynicus appellatur. Vide Epistolam ejus 31. qvæ Monemo inscribitur, legiturqve p. 157. epistolarum Laconicarum, & Basil. per Oporin. Verba ejus qvære infrà lit. i.

Digitized by Google

mens Alexandrinus: (*c*) Eorum tamen, qvi ſcriptis eam ſuis ad nos permiſerunt, procul dubio vetuſtiſſimus Plato eſt, qvem & ipſe Hieronymus [*d*] iis, qvæ de Pythagorâ dixerat, teſtem adhibet. Is igitur in Phœdone dialogo [*e*] Socratem inducit, eo die, qvi ſibi extremus erat futurus, ut amicis inviſentibus probaret, mortis adventum à Philoſopho non graviter ferri, docentem, qvòd ſapientiæ ſtudioſus per omnem vitam id agat unicè, ut mortem commentetur, atqve adeò rectè philoſophari nihil eſſe aliud, qvàm ſeparatam à commercio corporis animam in ipſam colligere perpetuâ qvadam moriendi meditatione. Sed de autore non laborabimus magnoperè: id potiùs inqviremus, qvo ſenſu ſint hæc à veteribus prolata. Philippus Melanchthon [*f*] hæc ita explicat, ut ſignifice-

(*c*) lib. V. Strom. f. 423. ed. græcolat. Lugdun. Anno 1616. (*d*) reſpice ad lit. a. (*e*) f. 48. E. 51. C. & 61. B. ed. græcolat. Francof. A. 1602. (*f*) Parte II. Poſtill. ſeu explicat. in Evang. p. 687. Qvibus ſimilia leges & part. IV. p. 690. it. part. III. Operum Phil. Mel. f. 1162. Ph. Melanchthonem ut alibi paſſim, ita & hic ſeqvitur Eberus Expoſ. Evangel. p. 953. Neqve ab his aliena ſunt, qvæ profert autor Speculi Monachorum (qvod ſcriptum inſeritur operibus Bernhardi Tom. V. ed. Colon. A. 1641.) his verbis f. 373. *Summa eſt Philoſophia*

Digitized by Google

ficetur, proponi in Philosophiâ considerationem miseriarum humanarum, idqve hoc fine, ut homo sit modestior & qvantum fieri potest, istarum qværat mitigationem. Ac pertinet qvidem illa ærumnarum vitæ, qvodqve ipsis veluti complementum adhæret, mortis contemplatio ad Philosophiam, ut animus rerum mortalium fastidio in desiderium verioris boni erigatur; qvam partem ita sunt præ cæteris persecuti Stoici, ut illos, tanqvam hoc unũ egissent, Joannes Saresberiensis (*g*) meditatione mortis à Peripateticis & Epicureis discriminet: [*b*] Verunt amen qvi Philoso-

*meditatio mortis assidua. Hanc ubicunqve perrexerit, secum portet, & in æternum non peccabit.* Haud dubium, qvin scribens hæc respexerit ad illud Siracidæ c. 7. v. ult. *In omnibus operibus tuis meditare novissima, & in æternum non peccabis.* (*g*) lib. VII. Policrat. c. 8. p. 370. *Cum virtus sola beatum faciat, ad thronum ejus sumtâ occasione ex traditionibus doctorum per varias calles ascendere conati sunt* (veteres Philosophi.) *Stoicus enim ut rerum contemtum doceat, in meditatione mortis versatur; Peripateticus in inqvisitione veri volutatur; in voluptatibus Epicurus.* (*b*) Cum his conferri merentur ista Lipsii lib. II. manud. ad Stoic. Philos. dissert. 2. p. 55. *Est & alia definitio* (Philosophiæ) *si non Stoicorum, digna ipsis: Philosophiam esse μελέτην θανάτου, meditationem mortis.* Et p. 56. *Seneca eò aspicit* (de brevit. vit. c. 7.) *Vivere totâ vitâ discendum est, & qvod magis fortasse miraberis, totâ vitâ discendum est mori.* *Idem alibi:* (epist. 26.) *E-*

Digitized by Google

losophiam isto encomio ornarunt, profundiori sensui indulsisse, facilè perspiciet, qvisqvis sive Platonis ipsum Phædonem, sive qvi ex eo hauserunt, Diogenem, (*i*) Alcinoum, [*k*] Ciceronem, (*l*) Macrobium, (*m*) Apulejum (*n*) aliosqve [*o*]

*gregia res est, mortem condiscere, Meditari mortem: qvi hoc dicit, meditari libertatem jubet.* (*i*) loco supra lit. e. citato. Ubi principium epistolæ hoc est: *Cura tibi sit ex hâc vitâ migratio: cura autem erit, si te mori meditaberis: hoc est, si adhuc vivens animam à corpore separaveris; hoc enim mihi videtur Socrates appellasse.* (*k*) c. 1. & 20. instit. ad doctrinam Platonicam. (*l*) l. Tuscul. p. 164. Verba Ciceronis dabimus infra partim in Scholiis lit. x. partim in textu lit. ax. (*m*) lib. I. in Somn. Scip. c. 13. p. 64. ed. Lugd. Anno 1550. *Hæc præceptio Platonis est, qvi in Phædone definit homini non esse suâ sponte moriendum. Sed in eodem tamen dialogo idem dicit, mortem philosophantibus appetendam, & ipsam Philosophiam meditationem esse moriendi. Hæc sibi ergò contraria videntur: sed non ita est. Nam Plato duas mortes hominis novit: - - - qvarum unam natura, virtutes alteram præstant. Homo enim moritur, cùm anima corpus relinqvit, solutum lege natura; mori etiam dicitur, cùm anima adhuc in corpore constituta corporeas illecebras, Philosophiâ docente, contemnit, & cupiditatum dulces insidias, reliqvasqve omnes exuitur passiones.* (*n*) lib. de Philosophiâ p. 276. 277. ed. Colvii, (vel juxta edit. Elmenhorst. lib. II. de habitud. doctr. p. 23.) *Philosophum oportet nihil sic agere, qvàm ut semper studeat animam corporis consortio separare. & ideò existimandum, Philosophiam esse mortis affectationem* (placet hîc seqvi Lipsium lib. II. manud. ad Stoic. Philos. diss. 2. p. 56. hæc ita citantem, qvanqvam in Colvii pariter & Elmen-

Digitized by Google

[o] legerit. Neqve profectò qvi ostendere vellent, qvo maximè pacto beatitas, [hunc enim finem esse Philosophiæ omnes consentiunt, [p] apprehendi posset, debuerunt istam miseriarum considerationem nobis nominare, qvippe qvæ sensum potiùs infelicitatis nostræ exacuit, neqve tam veræ beatitudinis modum exponit, qvàm falsæ eximit opinionem: sed aliud qvoddam velut instrumentum declarare, qvo sibi comparare aliqvis illam toties deprædicatam posset felicitatem. Qvam ergò vocarunt *meditationem* mortis, non ejus est nuda con-

horstii editione *affectum* leges,) *consuetudinemqve moriendi.* (o) Ex veteribus Clementem Alexandrinum loqventem dabimus infra lit. ac. Ex recentioribus, ut alios taceamus, juvat adscribere verba Conimbricensium in Physic. Arist. p. 2. *Plato aliam inculcat descriptionem: Philosophia est mortis contemplatio. Ea verò ut intelligatur, sciendum est, duplicem esse mortem, unam, qva in abscessu animi à corpore consistit; alteram, qvâ mens in corpore adhuc manans à malis cupiditatibus abducitur, ut vitiorum soluta vinculis cœlestia & divina meditetur. &c.* item Alstedium Tom. I. Encyclop. lib. I. c. 4. f. 63. --- *Platonici dicunt, Philosophi veri munus esse meditari mortem, id est, in hoc desudare, ut animum à corporearum voluntatum κοινωνίᾳ & commercio revocet atqve sejungat.* (p) Autor tractatus de Epicureis & Stoicis (qvi legitur Tom. VI. Oper. Aug.) c. 3. f. 870. *Communiter omnes Philosophi studendo, qværendo, disputando, vivendo appetierunt apprehendere vitam beatam.*

Digitized by Google

contemplatio, sed diligens qvoddam, cum conatu addiscendi, exercitium ac pertractatio. Nam hujus rei in vocabulo μελέτης seu *meditationis* propria, usuq; passim confirmata significatio est: qvomodo Xenophon (q) venationem μελέτην τ̃ πρὸς πόλεμον, Vegetius (r) ludicra illa tironum prælia *meditationem* campestrem, Macrobius (s) saltandi *meditationem* pro exercitio saltandi, Qvintilianus (t) declamationem, forensium actionum *meditationem* nuncupavit. Qvare & Apulejus (u) *meditationem mortis* aptissimè reddidit *mortis affectationem*, *consvetudinemq; moriendi*: & Tzetzes (w) θανάτου μάθησιν. Utrumq; verbum *discendi* & *consvescendi* Cicero conjunxit primo libro Tusculanarum, cùm paulò antè *commentationem mortis* esset interpretatus (x). Neq; aliter hoc vocabulum

I ac-

(q) lib. I. de inst. Cyri f. 5. ed. Oper. græcolat. Francof. A. 1596. (r) lib. I. de re milit. cap. I. (s) lib. III. Saturn. c. 14. p. 343. (t) lib. IV. Inst. Orat. c. 2. p. 235. Conf. Cicer. I. de Orator. p. 97. & 108. Gell. lib. IX. c. 15. (u) regredere ad lit. n. (W) Chiliad. X. v. 600. vid. infrà lit. u. (x) Verba Ciceronis p. 164. *Tota Philosophorum vita commentatio mortis est.* (qvæ hîc interjiciuntur, *Nam qvid aliud agimus* &c. dabimus infrà in textu lit. T.) *Secernere autem à corpore animum neqvidqvam aliud est, qvam emori discere. Qvare hoc commentemur, mihi*

Digitized by Google

acceperunt Medici, qvando lepidissimâ imitatione, qvod de Philosophiâ pronunciaverat Plato, id ad morbum suspirii ( δύσπνοιαν Græci vocant ) transferentes, eam Senecâ (y) teste *meditationem* (z) *mortis* dixerunt. Nempe propter continuum exspirandi seu animam agendi conatum, in qvo mortis qvandam exercitationem, (qvandoqvidem veteres animam per os cum extremo halitu evolare crediderunt,) imaginari licet: ut qvodammodò morientis hominis simulacrum sit in dyspnoico, perinde ac mortui in dormiente. Nam & somnum τοῦ θανάτου προμελέτησιν eleganter cum

*crede, disjungamusqve nos à corporibus, id est, consvescamus mori. &c.* (y) Epist. 54. (al. 55.) p. 369. ed. Amstelod. Anno 1619. *Uni morbo qvasi assignatus sum: qvem qvare græco nomine appellem, nescio: satis enim aptè dici suspirium potest. Brevis autem valdè, & procellæ similis, impetus est: intra horam ferè desinit. Qvis enim diu exspirata? Omnia corporis aut incommoda aut pericula per me transierunt: nullum mihi videtur molestius. Qvid ni? aliud enim qvidqvid est, ægrotare est: hoc est animam agere. Itaqve* Medici *hanc meditationem mortis vocant. Faciet aliqvando spiritus ille, qvod sæpe conatus est.* (id est, emigrabit aliqvando.) (z) Non assentior Joh. Isacio Pontano, qvi not. ad Macrob. ( l. in somn. Scip. c. 13.) p. 679. in hoc Senecæ loco pro *meditationem* legi cupit *modulationem*.

Digitized by Google

cùm Menandro (a) appellabimus. Sed qvænam eſt tandem illa mortis exercitatio, cui Philoſophum operam dare voluerunt? Jubent nos igitur violentis modis mortem ipſos accerſere? Hunc enim fructum è Phædone Platonico cepiſſe Cleombrotus Ambraciotes narratur (b), cùm eô lectô vitæ exitum qværendum ſibi præcipitio putaret, nihil omninò paſſus eorum, qvæ vitam hominibus acerbam efficiunt, ſolâ ſpe immortalitatis ineſcatus. Et Catonem Uticenſem, cùm victus impatientiâ fortunæ mori decreviſſet, bis eundem librum perlegiſſe ferunt (c). Malè hi qvidem, prorſusq; contra ſententiam Platonis, qvi eopſe Dialogo nefas eſſe ſibi mortem ingerere graviſſimis rationibꝰ confirmat (d). Erit igitur longè aliud mortis genus, qvam exercere ſapientis officium eſt. Nam præterea naturalis illa & momento uno abſolvitur, & repeti bis non poteſt. De hâc autem philoſophicâ morte hunc in modum diſſe-



(a) vid. Hertel. Sentent. Comicor. p. 130. (b) vid. Cicer. I. Tuſc. p. 166. Aug. lib. I. de Civ. Dei c. 22. Anthol. Græc. Epigr. lib. III. epigr. ult. (c) Plutarch. parallel. in Cat. min. f. 692. 693. (d) f. 47. Reſpice & ſupra ad lit. m.

Digitized by Google

runt: duplex esse vinculum animæ cũ corpore (e), alterum *naturale*, qvo ea corpori sic alligatur, ut spirandi sentiendiqve facultatem illi communicet; alterum *voluntarium*, qvo anima se corpori subjicit, ejusqve desideriis ancillatur: unâ enim qvaq; voluptate animam veluti veru qvodam penetrari & infigi corpori (f), seu ut Clemens (g) loqvitur, προπασσαλοῦσθαι, unde fiat, ut à divino consortiô longiùs abducatur; cæterùm prius vinculum *morte naturali* solvi, posterius *voluntariâ* [h]. Qvam meminerimus hîc non eo sensu exaudiendam esse, ut vulgò in scriptoribus Latinis [i], qvi *voluntariæ* mortis vocem περὶ τῶν αὐτοχείρων usurpant: sed ut intelligatur durantis in corpore animi à rebus corporeis ad divinas contemplationes aversio spontanea, qvam alii maluerunt *Metaphysicam & Ethicam mortem* [k] appellare. Græci qvidem

(e) Ammon. in explic. Porph. cit. Tolet. Comm. in Phys. Arist. p. 1. Conf. Conimb. allegatos suprà lit. o. (f) phrasis hæc est Ambrosii c. 5. de bono mortis, Tom. IV. op. f. 234. (g) II. Stromat. f. 297. (h) voluntariis mortibus Philosophicam hanc accenset etiam Plotinus apud Macrob. 1. in somn. Scip. 13. p. 65. (i) Cic. Brut. p. 173. Valer. Maxim. lib. IX. c. 2. (de Hannibale.) Lactant. lib. III. c. 18. p. 231. (k) Goclen. exercit. Ethic. p. 245.

Digitized by Google

dem προαιρετικὸν & τὸν κατ' προαίρεσιν θάνατον dixerunt. Hujus igitur solùm exercitatio Philosophum decet [l], non etiam Physicæ. Nam qvod Anonymus à Camerario editus [m], μεθόδῳ εἰς τὰς τέχνας τῆς φιλοσοφίας [n], Platonicam definitionem his verbis concipit: φιλοσοφία δὲ μελέτη θανάτου τοῦτο προαιρετικοῦ, τοῦτο φυσικοῦ, aut μελέτλω pro nudâ contemplatione habuit, aut lapsus est manifestè, utrumq; mortis genus conjungens, qvod cautè Georgius Pachymerius commentariolo περὶ τ ἐξ τῆς φιλοσοφίας ὁρωμῶν [o] distingvit, ubi & Cleombrotum, cujus suprà [p] injecimus mentionem, reprehendit. Porrò illud animæ à corpore divortium duabus absolvi partibus statuebant. Nam primò à voluptatibus avocare animum, dulcesq; cupiditatum passiones exuere Socrates apud Platonem [q] jubet: id qvod per *virtutes purgatorias* (sic enim vocabant) fieri docet Macrobius (r): deinde ubi hoc pacto ab



(l) hinc & *mors Philosophiæ* vocatur à Plotino: vide Macrob. l. c. p. 65. (m) cum Archytæ δίκα λόγοις καθολικοῖς & aliis opusculis. (n) p. 22. (o) adjunxit idem Camerarius, p. 28. (p) lit. b. in textu (q) f. 49. (r) Is libro I.

Digitized by Google

aspergine cupiditatum emaculatus foret animus, tùm demum etiam à sensibus ipsis corporis eundem animum se ipsum in se recipere; sanctisq; cogitationibus immergere, qvantumq; licet, cum Divinitate incorporeâ sociare; neqve enim corporeis oculis aut ullo sensu veritatem apprehendi, sed solâ mentis in se retrusæ puritate agnosci. Hæ scilicet Platonicis erant *virtutes animi purgati*, qvas proximo à purgatoriis gradu censebant (s), reverà Theologiam illorum, qvanta, ut in carentibus verbo Evangelii, fingi potuit optima, si damnatam hypothesin de animarum ex essentiâ divinâ effluviis, & enata inde porrò semina enthusiasmi (t), & id genus alia excipias, complectentes. Porphyrius (u) ut illa duo Philosophicæ mortis momenta similitudine aliqvâ illustraret, animum nostrum cum homine peregrinato

in somn. Scip. c. 8. p. 49. è Plotino *qvatuor genera virtutum* recenset. *Ex his prima politica vocantur, secunda purgatoria, tertia animi jam purgati, qvarta exemplares.* Postea c. 13. p. 64. è secundo illo virtutum ordine ait evenire, ut anima corporeas illecebras contemnat. (s) respice ad lit. præcedentem. (t) Vide meum Schediasma historicum in Schol. ad §. 52 p. 58. §. 53. p. 70. (u) cit. Carpentar. ad Alcinoum p. 45.

Digitized by Google

nato comparavit, cui, si redire in patriam, & agnosci à suis velit, non tantùm ineptiæ exterarum consvetudinum abjiciendæ sint, sed & reminiscenda ea, qvibus in patria olim studuerit. Ac videtur & Aristoteles in Ethicis Nicomacheis ordinem istum ad beatam vitam perveniendi, etsi virtutes aliis nominibus divisit, servare qvadantenus voluisse. Nam & ad intellectuales virtutes, (qvas purgati animi vocaverit aliqvis,) libro demùm sexto progreditur, cùm morales, [tanqvam purgatorias,] priùs absolvisset, & universam morum disciplinam propè concludit (w) disputando, summam hominis felicitatem in contemplatione sitam esse, qvâ parte Deum attingere maximè nobis liceat. Qvi ergò his artibus animum à corpore secernere, hâcq; voluntariâ morte se jugiter exercere didicisset, is nimirum antiqvis Platonicis veri Philosophi munus implere credebatur. Hoc institutum postea scriptores nostri traduxerunt ad Christianæ vitæ professionem, neq; dubitarunt Philosophorum nomen cum omni-



(vv) lib. X. cap. 8.

Digitized by Google

bus seriò piis, tùm verò imprimis Monachis imponere, non qvales hodiè habemus in cœnobiis Pontificiorum, sed qvales fuerunt primis temporibus, cùm persecutionum procellis in avia loca compulsi sanctis meditationibus vacarent unicè (x). Qvod ab aliis (y) ostensum non est cur hîc operosè probemus. Qvis autem non videt, qvæ Platonici suo more de meditatione mortis disserebant, qvàm aptè expoliri potuerint sanctissimæ Religionis nostræ præceptis, qvibus

(x) Histor. Eccles. Tripart. lib. VIII. f. 526. ed. Basil. Anno 1523. *Hujus temporis est, ut qvot potero commemorem, qvi sunt in illo tempore inter Christianos philosophati.* Et f. seq. *Eo namqve tempore multi & optimi studiosè philosophabantur in Alexandria. propemodùm duo millia Virorum. Qvorum alii in solitudine morabantur, alii circa Mareoten degebant.* Niceph. Hist. Eccles. lib. VIII. c. 39. f. 418. *Qvin etiam celebrem eam* (religionem nostram) *reddidere, qvi eo tempore monasticam solitariamqve consectabantur vitam. Nam veluti arcana & divina qvadam res cœlitùs ad homines delapsa est hæc Philosophia.*

(y) Rittershus. sacr. lect. lib. VI. c. 13. p. 459. *Philosophiæ verbo Chrysostomum, Nazianzenum & alios non, ut vulgò accipitur, uti pro cognitione Mathematum, Logicæ, Ethicæ, sed pro rerum cœlestium meditatione & vitæ probitate, alibi docuimus.* Garnefelt. Elucidat. in libros de imaginib. Eremit. p. 190. Observa, *Monastices cultores à SS. Patribus cateriqve scriptoribus appellatos esse Philosophos; cujus nominis Bellarminus rationem reddit.*

Digitized by Google

qvibus carnem crucifigere, ejurare nos ipsos, mundum relinqvere, in cœlis versari jubemur? Qvo in argumento mirificè exultat oratio Beati Ambrosii c. 3. de bono mortis (z], ut planè videatur ipse cum Platone concertare voluisse, ob prolixitatem tamen nobis non describenda α). Certè uti Platonici dogmatis pleraqve, ita Philosophiæ qvoq; hanc definitionem sanctis Patribus vehementer arrisisse, facile est probatu. Satis expressè Clemens Alexandrinus β]. Θυσία δὲ ἡ τῷ Θεῷ δεκτὴ, σώματός τε καὶ τῶν τούτου παθῶν ἀμετανόητος χωρισμὸς ἡ ἀληθὴς τῷ ὄντι θεοσέβεια αὕτη, καὶ μή τι εἰκότως μελέτη θανάτου διὰ τοῦτο εἴρηται τῷ Σωκράτει ἡ φιλοσοφία, & qvæ seqvuntur. Qvibus cùm docuisset illam à rebus sensibilibus aversionem Pythagoræ qvoq; silentio qvinqvennali significatam fuisse, tandem concludit, hausisse hæc talia Græcos à Mose, qvi simili mysterio holocausta non nisi exuta suis

 pelli-

(z) Tom. IV. Oper. f. 231. seq. (α) Sufficiat inde pauca hæc excerpere è f. 232. *Imitatur & ille mortem, qvi se voluptatibus exuit, & à terrenis cogitationibus attollit atqve allevat, & in illo cœlesti habitaculo locat, in qvo Paulus, cùm adhuc viveret, conversabatur. Aliter enim non diceret*: (Philipp. 1.) *Nostra autem conversatio in cœlis est.* (β) lib. V. Strom. f. 423.

Digitized by Google

pellibus Deo consecrari præceperit. Idem Lib. II. Strom. (γ) illud Christi (δ): *Qvi perdiderit animam suam, servabit ipsam;* & Lib. IV. (ε) Apostolicum isthoc (ζ): *Mihi crucifixus est mundus, & ego mundo,* cum Philosophicâ mortis meditatione contendit, unde satis appareat, mirè delectatum hâc sententiâ fuisse. Neq; eadem non in animo fuit Basilio, cùm scriberet ad juvenes (η): ȣ δὴ ȣ̃ν τῷ σώματι δȣλευτέον, ὅ, τι μὴ πᾶσα ἀνάγκη· ἀλλὰ τῇ ψυχῇ τὰ βέλτιστα πορισέον, ὥσπερ ἐκ δεσμωτηρίȣ τῆς πρὸς τὰ τȣ̃ σώματος πάθη κοινωνίας αὐτὴν διὰ φιλοσοφίας λύοντας. Ambrosius verò non eo tantùm, qvem modò indicavimus, loco, sed & Oratione de fide resurrectionis (θ) illam mortis meditationem gentilibus tanqvam injustis possessoribꝰ ereptam pulchrè docet à Sancto Paulo vindicari: *Qvotidiè morior, Apostolus* (1. Cor. 15.) *dicit. Meliùs utiq; qvàm illi, qvi meditationem mortis Philosophiam esse dixerunt. Illi enim studium prædicarunt, hic usum mortis exercuit.* Gemina his sunt verba Cassiodori (ι): *Philosophia est meditatio*

(γ) f. 297. 298. (δ) Matth. 10. v. 39. (ε) f. 349. (ζ) Gal. 6. v. 13. (η) Homilia, qvomodo è Græc. scriptis proficiendum sit. (θ) Tom. III. oper. f. 28. (ι) de Dialect. p.

*tio mortis, qvod magis convenit Christianis, qvi seculi ambitione calcatâ, conversatione disciplinabili, similitudine futuræ patriæ vivunt.* Accedat in cumulum Johannes Tzetzes (κ), qvem non hanc tantùm, sed reliqvas insuper omnes Philosophiæ definitiones in Christianorum (λ) horrea Politico versuum genere pellicientem dabimus:

Φιλοσοφία μὲν ψευδὴς ἡ λόγοις ὀγκουμένη,
ὄντως Φιλοσοφία δὲ τῶν μοναςῶν τῶν ὄντως.
αὕτη θανάτου μάθησις, (†) καὶ νέκρωσις σαρκίου,
καὶ γνῶσις τε τῶν ἀληθῶς καὶ ὄντως ὄντων ὄντων, (††)
καὶ τοῦ θεοῦ ὁμοίωσις, ὡς δυνατὸν ἀνθρώποις,
καὶ τῆς σοφίας καὶ θεοῦ καθέςηκε φιλία,
τέχνη τεχνῶν καὶ ἐπιςήμη τῶν ἐπιςημῶν τε,
καὶ δὴ μεγίςη μουσικὴ, ἰατρικὴ ψυχῶν τε,
ὅσοι τε ἄλλοι ὁρισμοί εἰσι Φιλοσοφίας,
τῇ ἄλλῃ γὰρ ἁρμόδιος οὐδείς ἐςι τῶν ὅρων.

Cùm

534. Oper. ed. Genev. Anno 1650. Totidem verbis hæc reperies apud Isidor. Hispalens. lib. II. Orig. f. 52. & Vincent. Bellovacens. Spec. Doctrinal. lib. I. c. 13. f. 13. nisi qvòd Vincentius pro *similitudine* exhibet *ad similitudinem*, qvod magis hic probem. (κ) Chiliad. X. v. 598. seqq. (Tom II. Corp. Poët. Græc. f. 434. ed. Colon. Anno 1614.) (λ) Christianorum esse propriam Philosophiæ hanc descriptionem, è recentioribus etiam asserit Petrarcha invectiv. II. contra medic. p. 286. (†) respice ad lit. vv. (††) Eqvidem l. c. leges: καὶ ὄντων ὄντων. pro qvo Elmenhorst. p. 34. ad Apulej. habet: καὶ

Cùm itaq; Christiani Doctores Platonicam Philosophiæ descriptionem adeò exosculati sint, non movemur Toleti (μ), & Keckermanni (ν) reprehensionibus, qvi dum eam è Theage Platonis citant, satis produnt negligentiam suam inspiciendi Platonem ipsum: nam in Theage ne vola qvidem hujus rei est. Qvæ autem adversus eam disserunt, ut alia mittam, ejusmodi sunt, è qvibus intelligas non satis explorata ipsis fuisse consilia & instituta Socratis, qvi nec Philosophum talem, qvalem illi opinantur, instruebat, neqve accuratam ad leges Aristotelis nondum natas definitionem, qva-

ὄντως ὄντων. Sed utroqve modo mutilus hic versus prodit. Ex mutilo integrum feci utriusqve lectionis conjunctione, καὶ ὄντως ὄντων ὄντων, i. e. *& realiter existentium entium.* (μ) Comment. in Phys. Arist. p. 1. *qva definitio, præterqvam qvod metaphorica est, qvod Aristoteles damnat, est etiam diminuta, cùm solam contemplativam partem exprimat.* (ν) lib. 1. præcogn. Philos. c. 1. (Tom. II. System. pag. 4.) ubi primò negat, in hac definitione legitimum genus esse, *qvia meditatio mortis est effectus Philosophiæ, effectus autem nunqvam est rei genus.* Mox pergit: *Secundò in eo etiam peccat, qvòd metaphorica etiam definitioni inserit contra canonem bonæ definitionis, qvi extat 6. Metaph. Absint metaphoræ à definitionibus. --- Deniqve etiam latior est definitio hac definito, qvia meditari mortem non tantum Philosophia, sed etiam Theologia; & qvidem hac imprimis docet &c.*

Digitized by Google

qvalem illi captant, venditabat, ſed licere ſibi, more ab antiqviſſimis Sapientibus repetito, arbitratus eſt ſuam doctrinam circumductionibus qvibusdam involvere, & abſcondere à vulgo. Rurſus tamen nec Galeotti Martii (ξ) nimiam ſubtilitatem capimus, qvi, ubi philoſophantes & vitæ ſpeculativæ deditos mortuos eſſe diſputat (o), ſeriò nobis perſvadere nititur, animam Philoſophi ubivis potiùs, qvàm in corpore ſuo eſſe, (π) etiamſi ſpirare eum & ſtrepere ac moveri videamus, cùm ignis qvoqve moveatur ac ſtrepat, nec anima tamen ſit

(ξ) De doctrinâ promiſc. c. 10. cujus inſcriptio: *de Philoſophis, qvi viventes ſunt mortui.* Caput hoc admodum prolixum à p. 143. usqve ad 152. extenditur. Ex eo igitur tantùm qvædam hic excerpta dabimus. (o) Initium capitis p. 143. *Ea, qvæ de Philoſophia dicta ſunt, nos hortantur, ut oſtendamus, Philoſophantes & vitæ inſpectivæ deditos, humanarum rerum exſortes, & ut conſequens eſt, mortuos eſſe, alioqvin commoda, ab Avicenna ex arte medicinæ de coitu tradita, ſine ratione floccifeciſſe videremur, cùm ea non pertinere ad ſapientiæ ſtudioſos aſſeveravimus*, (cap. ſcil. præcedente) (π) p. 146. *Nihil enim, niſi ubi eſt, operatur, ſed Philoſophorum animus in divinis operatur, illic ergò eſt. Sed qvi in cœlis eſt, non eſt in terra: nihil enim de corporeis duobus in locis uno eodemqve tempore eſſe poteſt. Ergò animus Philoſophi & extra corpus eſt, qvandoqvidem corpus in terra verſatur: qvi igitur extra corpus ponitur, mortuus eſt.*

Digitized by Google

ſit præditus (ę). Qvem, ut ab eo nos in hâc chartæ anguſtiâ exſolvamus, ad Toletum interim & Keckermannum ablegabimus, ut cum iis decidat, ſenſune metaphorico, (ut hi ajunt, id in argumentum vitioſæ definitionis aſſumentes,) an proprio, (qvem ipſe ſeqvitur) mortis vocabulum in Philoſophiæ deſcriptione ſit accipiendum. In eâ tamen, ne qvid diſſimulem, reprehenſioni hoc oportunum eſt, qvòd Philoſophum ſpeculationi nimis inſervire, nec modò ab agendis rebus prorſùm abſtinere, ſed & corpus neceſſariis ad vitam miniſteriis fraudare, nemini præterqvàm ſibi, ac ne ſibi qvidem toti, ſed animæ ſoli intentum, neqve vitiis modò affectuum, ſed affectibus ipſis exutum, Socrates ac Plato videntur docuiſſe. Id qvod non tantùm politicarum virtutum à purgatoriis, qvæ ſolis philoſophantibus propriæ beatitudinem ad eosdem ſolos reſtringunt,

(ę) p. 148. 149. *Sed dicerent nonnulli, - ſi amatores ſapientiæ - ſunt mortui, cur ſpirant, cur ſtrepunt, cur - moventur? Motus enim ille & reſpiratio viventium & non mortuorum eſt. Hæc tam puerilitèr objecta movent mihi riſum. Si reſpiratio & ſonus & motus viventem - facerent, ignis profectò viveret - nam cum non reſpirat, exſtinctus eſt, & movetur ſtrepitqve ſemper.*

Digitized by Google

gunt, separatio (σ) demonstrat, sed & clarissima Ciceronis verba, qvibus, qvid sit mortem commentari, primo Tuscul. (τ) exponit: *Qvid aliud agimus*, inqvit, *cùm à voluptate, id est, à corpore, cùm à re familiari, qva est ministra & famula corporis, cùm à Republicâ, cùm à negotio omni sevocamus animum? qvid, inqvam, tùm agimus, nisi animum ad se ipsum advocamus, secum esse cogimus, maximèq; à corpore abducimus?* Atqve huc pertinet, qvod de Socrate proditum est memoriæ (υ), eum pertinaci statu perdium ac pernoctem, à summo lucis ortu ad solem alterum orientem, ore atq; oculis eundem in locum directis cogitabundum stare solitavisse, tanqvam qvodam secessu mentis atq; animi facto à corpore: qvòd item Platonem referunt (φ) de industriâ villam insalubrem ac pestilentem scholis habendis elegisse, ut curâ & assiduitate

(σ) Vid. Platon. Phædone f. 62. A. Macrob. I. in somn. Scip. 8. p. 49. 50. *Sunt Politica* (virtutes) *hominis, qbia Sociale animal est. - - - Secunda, qbas purgatorias vocant, hominis sunt, qbi divini capax est, solumqbe animum ejus expediunt, qbi decrevit se à corporis contagine purgare, & qbadam humanorum fuga solus se inserere divinis. Ha sunt otiosorum, qbi à Rerump. actibus se seqbestrant.*

Digitized by Google

tate morborum libidinis impetus frangeretur, discipuliqve hic nullam aliam sentirent voluptatem, nisi earum, qvas discerent, rerum. Sed hoc minus mirabimur, cum constet, Christianorum qvoqve μονάζοντας vanâ qvâdam angelicæ vitæ præsumtione ad philosophandi tam horridum genus deflexisse. Omninò longè φορτικώτερα sunt, de Simeonis Stylitæ (χ), qvàm de Socratis stationibus qvæ memorantur. Alios consultò præterimus. Hi ignorasse videntur, velle Deum, ut Christianorum suorum alius agricolam ageret, alius pistorem, alius medicum, aut principem. Ita enim prorsus speculativæ illi vitæ se immerserunt, ut officia humanarum societatum omnia negligerent penitus. Atqvi donec in terris colimus, potiorem qvidem piarum meditationum curam habere par est, sed ita, ut qvasi alternis vicibus etiam vocationi suæ qvisqve faciat satis, non sibi ma-

(υ) p. 164. (υ) Gell. lib. II. c. 1. (φ) Hieron. lib. II. adverf. Jovinian. (Tom. III. oper. f. 34.) (χ) qvi (Simeon monachus) *in columna stans multos annos* (sexaginta octo eos numerat Evagrius vi. histor. Eccles. 22.) *vixit*, *unde & Stylitæ cognomen accepit*. Martyrolog. Baron. p. 18.

Digitized by Google

magis, qvam Deo ita ordinanti obtemperaturus. Nam illud contemplandæ Divinitatis perpetuum studium in a iam vitam Clementissimus Pater nobis rejecit, cujus voluntati morem nos gerere par est ac decet.

Hæc ita qvasi in commendationem Ethicæ doctrinæ præfari placuit, cùm ejus Professionem, moderante qvidem SUPREMO NUMINE, cujus sit benedicta Majestas, autoritate verò Serenissimi ELECTORIS Saxoniæ JOHANNIS GEORGII, Domini & Conservatoris Academiæ nostræ Clementissimi, adire decrevissem, morte Clarissimi Viri, FRIDERICI LEUBNICII anno superiore interruptam. Fateri enim oportet, illam mortis meditationem, hoc est, animi à sordibus corporearum voluptatum repurgationem, opus esse non ejus Philosophiæ, qvam, qvia in contemplatione naturæ posita est, Naturalem alii, alii Theoreticam vocaverunt, sed qvæ à morum actionumq; conformatione nomen invenit Practicæ & Moralis. Nam & illæ speculationes, qvas à Philosopho post animi purgationem Socrates reqvirit, non rerum sunt naturalium, un-

de doctior; sed divinarum, unde melior fias. Hæc nimirum est illa humanæ sapientiæ nobilissima pars, ad qvam unam se abjectis omnibus Socrates, hujus definitionis sive autor, sive instaurator, contulisse dicitur (ψ), ita qvidem ut in eâ Philosophiæ universæ vim atq; animam collocaret. Qvam non dubium est doctrinæ Christianæ adjumento longè adhuc illustriorem reddi posse; supplendis iis, in qvibus defecit; corrigendis, in qvibus errat; in qvibus autem luxuriat, rescindendis. Id qvod hauriendæ hujus disciplinæ studium in liberalibus ingeniis excitare meritò debet, mihi qvidem certè dulcissimam ejus enarrationem efficiet. Qvod autem pervetustâ consvetudine passim receptum est, ut in concione Procerum & Civium Academicorum, habendâ publicè Oratione, felix qvasi auspicium Professionis cujusq: capiatur, id ego qvoq; observare statui: atqve adeò Magnificum Academiæ Rectorem, Comites Illustres ac Generosissimos,

(ψ) Lactant. lib. III, c. 13. *Qvòd si neqve Physica illa ratio necessaria est, neqve hæc Logica, qvia beatum facere non possunt; restat, ut in solâ Ethica totius Philosophiæ vis contineatur: ad qvam se abjectis omnibus Socrates contulisse dicitur.*

Digitized by Google

ſimos, Facultatum omnium Doctores, Licentiatos atqve Magiſtros, Viros Ampliſſimos Clariſſimosqve, cum eâ, qvâ unumqvemq; compellare decet, honoris præfatione ſubmiſſè rogatos, Studioſorum qvoq; florentiſſimum cœtum peramanter invitatum volo, ut ad diem Mercurii proximum, finitis matutinis ſacris, me in Auditorio Philoſophorum *de Juvene idoneo Ethices Auditore ita dicturum, ut Ariſtotelis ſententiæ nihil dematur*, auſcultare dignentur. Qvam qvidem benevolentiam & gratâ prædicatione agnoſcere, & qvibus potero ſtudiis atqve officiis demereri nunqvam intermittam. B. V. P. P. Dominica Miſericordias Domini, d. 24. April. Anno Chriſti MDCLIII.

## PROGRAMMA XV.

## DE ORNATU ANIMI,

*Præſcriptum celebratæ*
Anno 1654. d. 17. Octobr.
*Promotioni Baccalaureali.*

NUdus egreſſus ſum de utero matris meæ, Jobi (a) ſententia eſt, qvam



(a) c. I. v. 21.

qvam de se unusqvisqve hominum usurpare potest. Verè nudi egressi sumus de utero matris: nudi corpore, nudiores animâ. Corpus involucrum suum secundinas si non affert secum continuò prodiens in hanc lucem, at habuit in claustris maternorum viscerum. Anima verò pulcherrimâ illâ divinæ imaginis stolâ, qvam proficiscenti Hierosolymis versus Hiericho humano generi exuerunt latrones infernales, orbata, nihil habet, unde nuditatem suam obtegere qveat, sed projecta super faciem terræ, (ut Prophetæ (b) verba nostra faciamus,) conculcatur in sangvine suo; nuda est & confusione plena, neqve est oculus, qvi misereatur ejus. Et tamen, sicut histriones in scenam, sic nos in hanc terrarum spaciosum orbem ingredimur, acturi unusqvisqve, Deo & sanctis Angelis spectantibus, personam suam. Passim his nundinis in popelli delectationem exhibentur ludi & spectacula. Qvis autem ferret Ludionem, si nudus prodire in theatrum præsumeret? qvando & apud Romanos gentiles, Cicerone (c) teste, Scenicorum mos tantam habuit à vete-

(b) Ezech. 16. v. 5. 6. (c) lib. 1. de offic. p. 26.

Digitized by Google

vetere disciplinâ verecundiam, ut in scenam sine subligaculo prodiret nemo. Atqvi nos tales in hujus mundi theatrũ emergimus. Meritò ergò, ut histrionum prima cura est vestimentum sibi congruum assumere: sic & nobis videndum est ante omnia, ut sic vestiamur, qvemadmodum decet acturos fabulam maximè seriam. Ac corpori qvidem curari velamentum facilè potest. Unius obtentu panniculi & pudori consulere, & honestati licebit, & necessitati qvoq;. Neq; verò in hâc parte nimia debet poni opera. Habentes alimenta & qvibus tegamur, contentos esse nos Apostolus jubet (d). In animâ exornandâ plus curæ habere convenit: qvâ in re nulla potest esse superflua diligentia. Videas tamen à plerisq; hæc præposterè administrari, qvi præ corporis culturâ negligant animam exornare, portionem sui longè nobilissimam. Hos nihil aliud agere videas, nisi ut exqvisitissimâ cum solicitudine jam cæsariem componant, ne qvi pilus transversus incurrat in alios, & eorum ordinem conturbet; jam extremis digitis obhærentem vesti pul-



(d) 1. Tim. 6. v. 8.

Digitized by Google

viſculum unum eximant, jam limis oculis pallii menſurent rectitudinem, & ad ſingulos gradus obſervent, ne calceus exorbitans inclinet ad latus. Porrò ſi veſtitum eorum conſideres, cœlum induti videantur, ita gemmis atqve auro nitent omnia. Interim de animo expoliendo ſunt ſecuri, qvem ſæpe geſtant tam nullo virturum ornamento decoratum, imò tam multis fœdatum vitiis, ut jure posſint templis Ægyptiorum comparari, qvæ cùm eſſent ſplendidisſimè exſtructa, in ſacrariis pro Deo ſervabant crocodilum, aut felem, aut beſtiarum abſurdisſimam qvamqve. Silenos Alcibiadis (e) ajunt fuisſe icunculas qvasdam fictiles, ita factas, ut diduci & explicari posſent, qvæ clauſæ ridiculam ac monſtroſam habebant tibicinis ſpeciem, apertæ ſubitò oſtenderent venerandam Numinis pulcherrimi imaginem. Bellos qvidem & delicatulos noſtros prorſus inverſos dixeris Silenos; ita, cùm foris niteant omnia, & magnificum neſcio qvid polliceantur, ſi mentis oculum in mentem eorum immittas, aut murem videas ridiculum, aut obſcœnum hircum, aut

(e) De his Eraſm. Chil. III. Cent. III. adag. 1. f. 538.

Digitized by Google

aut feram tigridem. Qvi sincerè se ipsos amant, & qvo qvidq; loco haberi par sit, intelligunt, longè diversam ineunt vivendi rationem. Corpus non negligunt illi qvidem, sed tamen cura hæc illis primaria est, ut animam habeant vero amictam ornatu. Nihil jam dicemus de nuptiali veste, sine qvâ nefas est inter summi Regis convivas apparere, nisi in tenebras exteriores ligatis manibus ac pedibus abjici qvis velit (f), qvam ipse Deus præfiguravit faciendo Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas [g], qvibus nuditatem suam feliciùs, qvàm ficulneis foliis contegerent: verè enim vestis illa reparat divinæ imaginis trabeam, qvâ nos in Paradiso spoliavit serpens antiqvus, & à pudore nuditatis, cui se per inauspicatissimi pomi degustationem exposuerat humanum genus, vindicat. De eâ igitur veste nihil dicemus ultrà in præsentiarum. Est alia præter illam nuditas animæ nostræ, in qvam & ipsam à nativitate patemus, cujus intuitu summus Philosophorum Aristoteles mentem hominis nudæ tabulæ comparavit [h].



(f) Matth. 22. v. 11. seqq. (g) Gen. 3. v. 21. (h) vide suprà Program. II.

Digitized by Google

Nihil enim artium earum, qvibus tota hæc vita regitur, inſcriptum afferimus ex utero, ſed ignaros rerum omnium projicit nos natura, ut rectisſimè locuti illi videantur, qvi hominem primis infantiæ annis non hominis, ſed bruti animantis vitam vivere dixerunt. Hanc ergò nuditatem ut evincamus, dignitati noſtræ ut nos aſſeramus, ut variarum ſcientiarum amiculum longè pulcherrimum nobis comparemus, hoc opus, hic labor eſt. Poſt illam ſanè imputatæ nobis à Deo juſtitiæ regalem trabeam, poſt virtutum Chriſtianarum apparatum illuſtrem, nihil eſt, qvo major animæ noſtræ autoritas poſsit circumjici, qvàm artes humaniores, liberalesq; ſcientiæ. Qvòd ſi enim corporis illa indumenta, ubi paulò fuerint ſupra vulgarem habitum elegantia, venerationem conciliant geſtantibus, ut cedatur illis de viâ, aperiantur capita, flectatur genu, talium honorum indignisſimis ſæpe, qvosqve, absq; fuco hoc ſi eſſent, nemo dignaretur aſpectu: qvantò magis auguſtisſimâ tot ſcientiarum luce veſtita mens oculos in ſe aliorum convertet, eorum præcipuè, qvi juſtis pretiis æſtimare rerum pondera

dera norunt! Sunt profectò disciplinæ verus ille ac genuinus ornatus, qvo dignitatem suam homo, qvà animantibus omnibus longè excellit, tueri potest. Nam si ab externis tantùm involucris qværere gloriam volumus, victi sumus. Contra nos maculas suas, pulcherrimũ visa spectaculum, tigris ostentabit; columbæ tot coloribus à radiis solis picta torqvebunt colla; formosissimas pennas expandet pavo: imò sensu omni destituti flores audebunt suam pulchritudinem nostræ opponere, cùm ipse Salvator jamdudum pronunciaverit (i), ne Salomonem qvidem in omni gloriâ suâ sic coopertum fuisse, sicut unum ex agri liliis. Hâc ergo parte cùm superiores esse non possimus, restat, ut illi gloriæ, qvâ unicè valemus, incumbamus, hoc est, pulcherrimarum artium amictu mentem involvamus nostram. Hippiam Eleum [h] accepimus gloriatum esse, nihil se in toto corpore gestare, qvod non sit ipse sibi fabricatus: nam & annulum, & pallium, & soccos & crepidas in officinâ domesticâ fecerat sibi. Fortasse



(i) Matth. 6. v. 29. (k) de hoc præter illos vide Qvinctilian. lib. XII. cap. 11. p. 724. Apulej. lib. II. Florid. ab init.

Digitized by Google

tasse paucos hâc in re habeat pares: sed profectò longè major ejusdem altera fuit, si modò vera, gloria, qvâ nihil esse ullâ in arte rerum omnium, qvod ipse nescuret, professus est. Hæc enim demùm præclara illa vestis est, qvâ supra viventium omnium nobilitatem efferri possumus. Externa amicula fortunæ injuriis patent, absumuntur incendio, detrahuntur à latronibus, à tineis corrumpuntur, ipsâ vetustate flaccescunt, qvin & oneri sunt interdum per ardua scandentibus, aut parantibus fugam; certè noctibus singulis, cùm qvieti dare nos volumus, ultrò deponuntur. At studia liberalium artium enatant cum Biante ex naufragio, latronum ungves frustrantur, ex ignibus, tanqvam sacer qvidam lituus Romuli, prodeunt illæsa, blattas & mures opicos, qvoniam non chartæ, sed animo inscripta sunt, nihil timent; crescente ætate crescunt & ipsa, delectant domi, non impediunt foris, dormitum eunt nobiscum, nobiscum surgunt. Tali ornatu insignes merito suo jam laudamus Juvenes doctissimos novem, qvorum arcas atq; supellectilem literariam excussimus mense superiori diligenter,

&

& apparatu eruditionis omnigenæ sic instructos deprehendimus, ut digni sint suffragiis nostris judicati, qvi Bonarum Artium ac Philosophiæ Baccalaurei recitarentur publicè crearenturqve. Sunt autem eorum hæc nomina:

ELIAS LEHMANNUS, *Budissâ-Lusatus.*
JOH. ANTONIUS TIMÆUS, *Mansfeldensis.*
BARACHIAS HART, *Laubâ-Lusatus.*
VALENTINUS ALBERTI, *Lehnâ-Silesius.*
CONRADUS von der Lage/ *Jeverâ-Frisius*
ALBERTUS HEINÆUS, *Auricâ-Frisius.*
PETRUS Hagen/ *Bremensis Saxo.*
WOLGANG9 MATTHÆUS CHYTRÆUS, *Culmbacensis Francus.*
BENEDICTUS Böhme/ *Dantiscanus.*

His ergò qvoniam primos in Philosophiâ honores crastino mane σὺν Θεῷ post horam octavam conferre publicâ solennitate decrevimus, Magnificum Academiæ Rectorem, Facultatum omnium Professores atq; Doctores, & qvicqvid in hâc urbe literis favet, officiosè atq; peramanter rogamus, ut honorificâ suâ præsentiâ illustriorem eum actum efficere dignentur. Qvibus vicissim promptissimam in obseqvendo voluntatem nostram prolixè pollicemur. Nobilissimos poli-

politisſimosq; Studioſos libenter facturos eſſe confidimus, ut & ſuo cœtu Auditorium noſtrum, uti hactenus factum grati meminimus, diſtendatur. P.P. d. XVI. Octobr. Anno M·DC·LIV.

✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱

# PROGRAMMA XVI.

*Scriptum nomine Rectoris Academici*

Ad Exeqvias

MARIÆ HELENÆ, Uxoris

M. JOHANNIS HORNSCHUCHII

Anno 1659. d. 7. Januarii.

ALtero ipſo ineuntis anni die in graviſſimum luctum conjectus eſt Vir Spectabilis atq; Ampliſſimus, Collega noſter honorandus, Dominus M. JOHANNES HORNSCHUCHIUS, Philoſophicæ Facultatis Subſenior, atqve hoc tempore Decanus, Græcæ Lingvæ Profeſſor, & Senatoriæ Scholæ Rector, de utrâq, Juventute & Academicâ & Scholaſticâ benè meritiſſimus. Neq; enim acerbius ipſi qvicqvam, aut minus oportunum, hoc præſertim Magiſtratûs ſui tempore, contingere poterat, qvàm ornatiſſimæ omnibus virtutibus fœminæ, conjugis ſuæ, MARIÆ HELENÆ obitus.

Digitized by Google

obitus. Triste profectò anni auspicium, nisi nos Christiana Religio aut contemnere doceret vanitatem ominum, à qvorum in animos imperio aliàs plurimi se Sapientes liberaverunt, aut ex occursibus qvantumlibet funestis præsagium capere divini amoris, nunqvam potentiùs exardescentis, qvàm ubi sub hostili specie patientiam suorum & constantiam exercet. Qvid enim in re manifesta verbis opus est? Hoc ipso tam jucundo Christianis tamq; amabili tempore, qvo æther jubilis, terra plausibus atq; gratulationibus personat, qvô gloria DEO canitur in excelsis, qvo omni populo gaudium magnum annunciatur, si externam faciem spectes, lugendi passim & condolendi argumenta se ingerunt. Vagit in præsepio puer, cumqve stipulâ & fœno luctatur: idem vix octiduanus cruento vulnere signatur: idem à Magis myrrham accipit, munus qvidem, ut cætera, pretiosum, sed à qvo tacitè calix ille amarus, qvem in monte primùm oliveti, dein calvariæ bibiturus esset, præfiguraretur: idem mox ab Herode qvæsitus ad necem nocte intempestâ rapitur in fugam, & tristi damnatur,

mniatur exilio. Secuta multorum millium infantum crudelissima cædes; cujus qvo animo spectatores fuerint Parentes, promptius est utcunq; cogitando concipere, qvam enarrare dicendo. Hæc exempla Viduus mœstissimus, qvâ est pietate, proponet sibi, ut intelligat, hoc suo calamitosissimo tempore nihil se pati, qvod vel à feriarum natalitiarum fortunâ sit alienum, vel Christianæ lætitiæ sensum omnem expungere debeat. Peracerbo vulnere dimidiam cordis partem sibi avulsam dolet? Recordetur infantis, cui non sine dolore exqvisito tam teneri corposculi membrum incisum est. Exhorrescit ad tam ferale novi anni exordium? Recordetur infantis, cui ne octava qvidem à nativitate dies absqve eruentatione abire potuit. Insveta sibi hactenus solitudine offenditur animus? Recordetur infantis, cui in loca nullo humano præterqvam latronum conspectu freqventia cedendum fuit. Neqve enim frustrà putet placuisse Deo, ut qva nocte Salvator suus, eadem & ipse in vastissimæ solitudinis horrorem detruderetur. Qvid ergò Virum deceat, ab infante discat: imò doloris, qvi etiam virilem

rilem patientiam excedit, (nam cur magnitudinem hujus plagæ verbis elevemus?) remedium petat ab hoc infante. Par enim est, qvando de Christo prædicari audimus; non exemplo tantum ejo incitari nos ad audiendum, sed etiam, idqve magis, merito confirmari ad vincendum. Vulneratus est ille, ut nos sanaremur. Pertulit dolores, ut nobis veniret refrigerium. Myrrham bibit, ut nobis calix amaritudinis dulcesceret. Ab hominum consortio in solitudinem expulsus est, ut nobis, omni destitutis humano præsidio, cùm soli adversus mille curas & qvietem nostram infestantia monstra depugnamus, adesse possit. *Ubi eras, bone Jesu, ubi eras?* ajebat Antonius, cùm acerrimâ luctâ perfunctus in eremo clarâ fulgentem luce Dei Filium proximum sibi conspicaretur. *Aderam verò*, inqviebat ille, *aderam hic tibi non observanti, spectator pugnæ, lautor victoriæ.* Aperiat oculos modò in hac sua solitudine Clarissimus Collega noster, & nebulas doloris acie fidei discutiat: videbit ipse, nunqvam se minùs solum fuisse, qvàm hoc tempore, qvo privatus deliciis suis maximè se solum arbitratum.

Vide-

Videbit præsentem sibi Jesum, non spectatorem modò hujus durissimi conflictus; sed fortem propugnatorem, & certissimum victoriæ parariium. Videbit illi comitem jungi MARIAM HELENAM suam, serenissima immortalitatis stola amictam, cui jam non lacrymis ampliùs parentandum sit, sed de beatitudine gratulandum. De qva qvid in hac charta more antiqvo commemorandum sit, cæteri Lectores hinc cognoscent.

Clarissima jam olim in Salinis Saxonicis LUDWIGERORUM familia habetur. Huic nostra originem suam debet, Patre CASPARO, ERASMO Avo prognata, nobilitate ac virtute spectatissimis Viris, inq; civitate Halensi Salinatoribus primariis & Patriciis. Materna Avia ipsi fuit CATHARINA, Prudentissimi Viri CHRISTOPHORI HERMANNI filia. Mater septuagenaria major vivit etiamnum, MARIA, gravissimo hujus urbis qvondam Ædile LUDOVICO LOTTERO, & MARGARETA LAUTERBACHIA Parentibus edita, Matrona ut rarissimis virtutibus conspicua, sic eò infelix, qvòd ætati tam gravi orbitas etiam nunc à filia accedit. Nata est nostra

Wicker-

Digitized by Google

Wickerſtadii Thuringorum apud Avunculum JULIUM LOTTERUM, Nobiliſſimum Virum, dicti loci Hæreditarium, ad qvem vitandæ luis cauſa, qvæ tum per triennium Salinas Saxonicas vexavit, diverterant Parentes, anno ſeculi hujus decimo, Julii menſis decimo octavo. Et qvemadmodum optimi Parentes, ſimul atqve hac prole auctos ſe divina benignitate ſenſerunt, nihil prius habuerunt, qvàm ut eam ſalutari regenerationis lavacro veræ Eccleſiæ inſererent: ita qvamprimùm ætas ejus juſſorum atq; admonitionum patiens eſſe cœpit, unà cum veris de DEO & religione ſenſibus omnem illi probitatem inſtillaverunt. Patre orba in hanc urbem noſtram ingreſſa eſt, ut ab agnata ſua, caſtisſimi cultûs & eximiæ ſanctitatis fœmina, MARGARETA, Venerandi, dum viveret, Academiæ noſtræ Senioris ac Decemviri, Hiſtoriarumq; & utriusqve Lingvæ Profeſſoris celeberrimi, M. CUNRADI BAVARI, tum uxore, nunc vidua, exempla diſceret earum virtutum, qvæ commendari maximè in hoc ſexu ſolent. Hujus ductu atq; auſpiciis qvalis evadere potuerit, qvid attinet



Digitized by Google

tinet multis explicare, qvando hoc ipsũ speculum, ad cujus intutum se nostra speciosè componebat, fulget etiamnum & radios jaculatur? Magnum in fœminis formæ decus est: sed huic dum multæ nimium student, dum interim magis necessaria negligunt, fieri consvevit, ut, qvos facie sibi conciliant, eos moribus abalienent vicissim. At nostra, ut primam animæ curam haberet, & qvicqvid impenderet corpori, frustrà esse crederet, nisi dignum formoso vultu hospitem intus conderet, assvefacta est ab eâ, qvam memoravimus. His illiciis paravit sibi honestum amorem Clarissimi Collegæ nostri, Dn. M. JOHANNIS HORNSCHUCHII, cui de sententiâ & consilio Matris Anno 1639. die 18. Junii conjux data in hunc annum summâ fide, constantiâ pari adhæsit. Conjugum σύνδεσμον Philosophus in Ethicis liberos vocat, qvòd hoc velut communi vinculo animi etiam malè interdum coeuntes copulari soleant, atqve in nodum arctioris amicitiæ colligi. At penes nostros conjuges etiam absq; hoc vinculo incorrupta per annos viginti viguit amicitia, ut dubium sit, majoríne amore com-

complecti se, si vel maximè fœcundo matrimonio fuissent usi, potuerint. Neqve deerant interim marito, qvos pro filiis reputaret ac diligeret, qvoties Auditoria sua ingressus in Scholasticam pubem oculos conjiciebat. Eum nostra vicissim non modò ut Virum suum honore afficere, sed & ut filium curare, (hoc enim prædicantem ipsum audivimus,) ejusq; valetudinem atqve incolumitatem modis omnibus tueri. Ita facilè liberorum desiderium alter in discipulis restrinxit, altera in Viro, qvem longè potiorem habuit sobole qvantumvis numerosa. Qvin & hoc meminimus audire affirmantem, si qvid molestiæ, ut fieri amat, in umbratico illo pulvere contraxisset, id omne se protinùs vel primo aspectu, aut brevi alloqvio dulcissimæ conjugis abstergere consvevisse. Et verò qvî potuit illi non amœnissima esse conversatio ejus, qvæ [verè hoc dicemus] nulli mortalium gravis unqvam extitit? Adeò in ea ad pacem, ad concordiam, ad honestatem conspirabant omnia. Nimirum hi fructus fuerunt illius Spiritûs, cujus gratiam in in sacro baptismate semel acceptam per

omne vitæ curriculum piis exercitiis crebroqve sacrosancti epuli usu solicitè custodivit, qvantumqve Dei dono in se fuit, ne gravi ulla noxa effunderet, providit. Minimè hîc nobis tacenda est ejus patientia. Per annos enim sedecim parum abest qvin continuis, sæpissimè certè recurrentibus, dentium atq; capitis doloribus cruciata nunqvam animi cum Deo expostulantis signum edidit, sed ardenti precatione casûs suos Patri cœlesti commendans illi se unicè permisit. Atq; ab illo morbi, qvem nominavimus, fonte haud dubium, qvin illi deniqve moriendi necessitas profluxerit. Septembri enim mense anni proximè præteriti adeò increvit hoc malum, ut publico pedem abstinere coacta fuerit, ne in sacra qvidem æde, qvamvis vicinissima, miscere se cœtibus piorum potuerit. Eam rem cùm ipsa ægerrimè ferret, præ summo desiderio ad præsepia sui Salvatoris accedendi, in vigilia sacræ Nativitatis libero se aëri commisit, sed eo eventu, ut super pristinos eosqve jam auctos dolores accessio qvoqve fieret caloris. Interim prorsus habebat in animo Feria tertia unà cum

Con-

Digitized by Google

Conjuge munire se pharmaco immortalitatis in congregatione publica. Itaq; pridianæ concioni manè interfuit: pio magis, qvàm felici consilio. In ipso enim audiendi officio pungi se qvasi per totum corpus sic acriter sensit, ut absq; singultu spiritum ducere non liceret. E templo ergò non tam in domũ qvàm in grabatum se contulit. Consultum videbatur venam incidere: qvod & factũ Feria ipsa tertia. Sed tantum afuit, ut hoc pacto remitteret calor, ut crebro vomitu novum se malum proderet, nihil cibi, nihil potûs perferente stomacho. Recepit se tamen natura ad edendi patientiam: sed ita, ut malum malo, cruditatem tussi mutaret, negotium interim suum inexhaustus ageret calor. Tam prostrato corpusculo adhibita sunt porrò qvæ potuerunt remedia, qvibus vel valetudo utcunqve restitui, vel certè distineri morbus posse videbatur, spe non exigua proficiendi, nisi visum DEO aliter fuisset. Postridie Calendarum Januarii viribus exhaustis ne passum qvidem facere sola potuit ampliùs. Ibi Psalmi qvinqvagesimi septimi verba [ut aliàs sæpe] recitavit: *Clamabo ad Deum altissi-*

*tissimum, qui benefecit mihi.* Etiam maritum subinde consolata est, certò futurum dicens, ut in æterna vita & reviviscant ambo & floreant. Sub mediam noctem illius diei cùm vitæ finem adesse sibi persentisceret, orationem Domicam, inde & aliam qvandam precatiunculam inchoavit, subseqvente mox marito, & inchoata perducente ad exitum. Ita voces istæ postremæ ipsi fuerunt: paulò enim post, JESUM inclamante Conjuge, inter brachia ejus assidentis & fulcientis placidissimo halitu emisit animam, congruum vitæ tranqvilliter actæ exitum adepta. Vixit annos duodeqvinqvaginta cum ferè dimidio: sed ab hoc puncto annorum ejus inter Beatos agendorum non erit finis. Corpus hora post meridiem prima efferetur hodiè ex Ædibus Scholasticis. Funeri ut freqventes intersint nostri, & virtutes piè defunctæ, & Vidui in Remp. literariam merita flagitant. Cujus etiã mœrori consultum nos velle eò magis par est, qvò tristiora circa ipsum omnia conspicamur. Orbitatis suæ solatium multi in prole petere possunt. Ut enim hibernas arborum mortes servati in

cella

cellá fructus minùs nobis dolendas faciunt: sic rumpi matrimonia etsi non qveunt absqve acerbissimo sensu, moderatiùs tamen hunc casum ferunt, qvi conjugum ereptarum portionem haud aspernandam in liberis superstitem intuentur, præsertim si feliciter elocati illi, aut aliàs in justam maturitatẽ provecti succedere qvadantenus in officium possint defunctarum. Hoc destitutum remedio Excellentissimum Collegam, nostrum haudqvaqvam vulgariter percelli, certum est. Qvò enim cunq; oculos vertit, mera vastitas illi, mera solitudo occurrit. Eam ergò nobis, Cives Academici, qvantâ possumus maximâ exeqviarum celebritate corrigendam putatote. Sic enim hæc freqventia memoriam ejus, speramus, imbuet, ut qvoties ad eam referet cogitationes, solitudinis domesticæ saporem si non expungi penitùs, dilui certè sit persensurus. P. P. postridiè Festi Epiphaniarum Anno M DC LIX.



Digitized by Google

# Programma XVII.

# De Divitiarum Valore circa Nobilitatem.

*Præscriptum Orationi,*

qvam Anno 1659. d. 16. Martii habuit

JOHANNES CHRISTIANUS ab ARNIMB.

*De conjungendâ cum Nobilitate laude Magnificentiæ.*

QVantum ad beatam vitam afferant momenti Divitiæ, valdè fuit veterum sententiis variatum. Alii enim primo eas loco, alii qvovis alio ponebant: Fuerunt etiam, qvi nullo habendas numero existimarent; etiam, qvi obesse felicitati criminarentur, à prioribus extremè disidentes. Sed priorum, qvos dixi, opinio, ad vulgi judicium est accommodatior. Qvasi enim ex ore plebis sublectũ est illud Venusini Poëtæ: (*a*

*O cives, cives, qværenda pecunia primùm est;*
*Virtus post nummos.*

Qvanqvam & Sapientum qvibusdam, (qvos abnormes tamen verè dicas,) eadem prope invasisse persvasio videtur. Theognis (*b*) qvidem certè paupertatẽ fugere

(*a*) Horat. I. Epist. I. v. 53. (*b*) Sent. v. 175. ἣν [ πενίην ] δὴ χρὴ φεύγοντα καὶ εἰς μεγαλήτορα πόντον ῥίπτειν, καὶ πετρῶν κύρνε καθ' ἡλιβάτων.

Digitized by Google

fugere jubet, si aliter non qveas, vel præcipitio de saxis præruptis, vel saltu in vastum mare, prorsus ac si in eâ fastigium esset omnis mali. E diversâ parte Crates Thebanus (c) qvicqvid auri habebat, (habebat autem vim ingentem,) in mare projecit, malle se dicens opes mergere, qvàm ab opibus mergi. Credas eum de industriâ præceptum Theognidis refutare voluisse, cùm metuere se ostenderet, non ne à paupertate, sed ne à divitiis ad violenta consilia impelleretur. Hujus magister Diogenes paupertatem non modò malam esse negavit, sed etiam, ut beneficum Numen, veneratione prosecutus est. Cùm enim Cyzicum venisset, proq; civium foribus Herculis nomen tanqvam ἀλεξικάκου inscriptum legisset, præstare dixit, si deleto Hercule Paupertatem substituerent, omni scilicet malorum generi propulsando remedium longè præsentissimum (d). Adeo culpandis alii divitiis, alii extollendis deprædicandisq; modum servare non potuerunt. Neutra



(c) de qvo Hieronym. lib. II. adversus Jovinian. Tom. III. oper. f. 35. & iisdem verbis Jo. Saresber. lib. VII. Policrat. c. 13. p. 392. (d) Lege epistolam Diogenis inscriptam Timomacho (p. 144. seqq. farrag. Epistol. Laconic. ed. Basil.)

Digitized by Google

pars rectè. Neq; enim, si virtus absit, cui primæ debentur, ad felicitatẽ qvicqvam confert opulentia, neq; nihil præsente virtute. Qvod Peripateticæ Scholæ dogma merito cæterorum præfertur male probatis sententiis. Etiam ad Nobilitatem qvid valeant divitiæ, qvæsitum scimus: neqve minora hîc sententiarũ sunt divortia. Possumus nominare, qvi solis eam divitiis metirentur. Qvorum opinioni alii id tantùm adjiciebant, ut essent eæ inveteratæ, hoc est, per aliqvã Avorum seriem propagatæ in posteros, qvos hanc ob causam ἀρχαιοπλούτους nominabant. Qvi adhuc modestiùs sentire vellent, juxta divitias virtutem etiam reqvirebant, ut nobilis demùm is esset, qvi virtute pariter & facultatibus polleret (*e*). Atqve obtinuit sanè melior inter Philosophos sententia, ut, qvemadmodum Beatitudo, sic vera illa minimé-qve solâ specie blandiẽns Nobilitas nullâ re magis, qvàm justis laudabilium actionum exercitiis parari posse, eademqve postqvam illi publicè dictum sit pretiũ, trans-

(*e*) Qvæstionem, *an divitiæ nobilitent?* ventilat cumprimis Tiraqvellus c. 3. de Nobilit. f. 11. seqq. ed. Venet. A. 1584. cui adde Arnisæum lib. 1. doctrin. Polit. c. 12. (p. 121. ed. Argentor. A. 1648.)

Digitized by Google

transfundi credatur à genitoribus in filios. Qvòd si tamen his, dilapso (ut nihil est fortunâ instabilius) patrimonio, præter fumosas fortè Majorum imagines nihil sit residui, annon fugientes divitiæ ipsam secum Nobilitatem auferant, dubitaverunt etiam de recentioribus nonnulli, qvos Tiraqvellus commemorat capite vigesimo qvinto de Nobilitate (*f*). Judicio non penitùs inepto, si de illâ forte Nobilitate locuti sint, qvam in Oligarchicis aut hinc aliqvid trahentibus Rebuspublicis è fortunæ potiùs qvã animi bonorum affluentiâ spectare mos est. Nam & apud Romanos, postqvam Servius ex censu Senatores legit, pauperi non licuit ingredi Senatum (*g*). Claudiumqve Cæsarem relatum est eos laudâsse, qvi ob paupertatem Senatu cederent, removisseqve, qvi manendo impudentiam adjicerent paupertati (*h*). Vicissim ubi penes populum Imperii majestas residet, adeò non offuscatur paupertate Nobilitas, ut multis, qvi inter Nobilissimos habentur, ex ipsâ domesticæ rei angustiâ plus gloriæ advenisse, com-

(*f*) n. 1. f. 75. (*g*) Arnis. loco lit. e. citato. (*h*) Arnis. d. l. & Tiraqv. f. 75.

Digitized by Google

compertum sit : qvorum aliqvi etiam studiosè id egerunt, ne ditescerent. Tales ex Athenienſibus Ariſtidem, Phocionem, Lamachum, è Thebanis Epaminondam & Pelopidam laudat Ælianus, (*i*) maximis inter Græcos olim, cùm his populariter regi placeret, pace belloqve geſtis rebus homines clariſſimos. Si veteribus recentia componere libet, non parum Democratici Imperii in regno Poloniæ eſt (*k*). At ibi oppidanis & mercatoribus qvamvis ditisſimis ad Senatoriam dignitatem occluſus eſt aditus, qvi ſolus videlicet eqveſtri ordine natis patet (*l*). Qvapropter nullo majorum ſplendore commendatum Martinum Cromerum, (cujus qvidem aliàs inter eruditos vel ob hiſtoriam Patriæ ſcriptam luculentiſſima fama eſt,) in id culmen perveniſſe tantùm non pro miraculo narrat in ejus elogio Simon Starovolſcius (*m*). Qvid ? qvòd Sapientiſſimum huj9 gentis Regem Sigiſmundum hoc

(*i*) lib. II. Var. Hiſt. c. 43. & XI. 9. Adde Stobæi Serm. 93. f. 512. ſeqq. (*k*) in regimine Poloniæ temperiem Monarchiæ, Ariſtocratiæ & Democratiæ oſtendit Januſſovius, teſte Keckerm. curſ. philoſ. diſp. 36. §. 14. (Tom. II. Syſtem. Syſtem. p. 1437.) (*l*) Starovolſc. de Scriptor. Polon. p. 24. (*m*) l. c.

Digitized by Google

hoc nomine prædicant ſcriptores, qvòd Nobilibus qvibusdam jus negotiandi petentibus denegarit, nî permutatis vicibus pati vellent, ut Mercatores in ipſorum locum ſuccederent, ipſi inter Mercatores cenſerentur in poſterum (*n*). Sic igitur pro diverſo Reipubl. genio alibi Nobilitatem paupertas delet, alibi paupertatem illuſtrat Nobilitas. Qvod ſi ſeorſim ab his momentis cauſam expendimus, illud videmur rectiſſimè ſtatuere, poſſe mediam qvandam ſententiam amplexi, neqve divitiis ut fundamento inſiſtere Nobilitatem, ut his diſcedentibus illam corruere ſit neceſſe: rurſus tamen ab iisdem mirificas vires, perinde ut virtutem ipſam, qvâ nititur, ad pulcherrima qvævis facinora indipiſci, ut non mirum ſit, ubi copiæ iſtæ acciſæ ſint, jacere eam ſaltem & flaccescere. Qvod diximus, inopiâ Nobilitatem non extingvi, jam ante nos Petrus Bleſenſis decrevit Epiſtolâ, qvâ detractoribus Patris ſui jam mortui reſpondet, cui, ut filium Præpoſiturâ Carnotenſi, (ad qvam non niſi ſangvine claris fas erat adſpirare,)

(*n*) Vide Keckerm. Syſtem. Polit. lib. I. c. 14. p. 243. ſeq.

Digitized by Google

rare,) moverent, probri loco objectum erat, qvòd non fuerit de ditioribus regionis: hoc enim argumento utriusq; dignationem credebant subverti posse. Horum ergo iniqvitatem his verbis castigat Petrus (o): *Sanè etsi pauperrimus extitisset, tamen generositatis titulos paupertas non adimit. Sicut publicè notum est, Pater meus & Mater mea de optimatibus minoris Britanniæ traxerunt originem. Nec istud ad jactantiam dico, sed ut obstruatur os loqventium iniqva, qvi de suâ Nobilitate satis degèneres detrahendi sumunt audaciam. Veram qvidem & commendabilem reputo nobilitatem, qvæ defert cum generis claritate virtutem. Cujus omninò exortes sunt, qvi Patri meo objiciunt sui exilii paupertatem.* Qvod vero nec parum splendoris detrahatur Natalium decori per res domi curtas, non nobis, sed Tiraqvello credi postulamus. *Fateor*, inqvit ille (p), *Nobilitatem esse contemtui & ludibrio, ubi est paupertas.* Qvam in sententiam cùm alios Jureconsultos citavisset, Boni etiam Curtilii dictum subjicit: *Sicut fides sine operibus mortua est, ita & Nobilitas sine divitiis:* Lepi-

(o) Petr. Blesens. Epist. 49. (f. 23. oper. ed. Paris. A. 1519.)
(p) c. 25. de Nobil. f. 76.

Digitized by Google

Lepidum fortasse, nisi qvod Sacræ Scripturæ dicto abutendum fuisse non videtur. Idem tamen ex eo repetiit Arnisæus in Politicis (q). Illud verò Cardinalis Hostiensis (r) crasse admodum facetum est: *Qvi disputat de Nobilitate sine pecuniâ, disputat de nobili stercore.* Enimvero cùm aliàs ridiculos homines paupertas facere solet, tum maximè despicatui expositi sunt, qvi cum vix anhelitum possint ducere sub onere paupertatis, alterâ etiam premuntur, eaqve graviori sarcinâ qvadravitorum insignium, qvippe qvæ portari decenter vix possunt, nisi censu locuplete suffulciantur. Scitè hoc ab Annalium scriptore annotatum est, tunc verè splendorem Nobilitatis sustineri posse, cùm opes claritudini generis suffecerint (s). Itaqve prudenter Eqvestri Ordini in plerisqve Rebuspublicis de fundis atq; agris prospectum est, qvæ reliqvorum comparatione certissimæ solent esse maximéqve durabiles divitiæ. Alibi, ut apud Venetos, permissa præter Legum antiqvam severitatem Mercatura, cùm arva con-

(q) lib. I. c. 12. p. 121. (r) refert hæc Herm. Lather. de censu p. 721. (s) id. ibid.

Digitized by Google

conſerere in medio mari non poſſint. In Angliâ qvoq; primogenituræ conceſſum Nobilitas privilegium eſt, ne crebra poſſeſſionum partione res ampla concerpi paulatim poſſit in minutias. Hæc verò neqvaqvam eò pertinent, qvaſi ſatis ſit ilicò, claris natalibus opulentiam parem adjectam habere. Addenda virtus eſt: qvæ ſi abſit, è duobus alterum eveniet, ut copia rerum aut non utaris, aut abutaris ad luxum & ventrem. Qvorum illud inviſos reddit & execrabiles hominibus, hoc ad mendicitatem proximam ſternit viam. Neq; alia eſt benè nummatum hominem commendandi ratio, qvàm ſi dicas, non modò divitias illi divino munere, ſed & artem fruendi contigiſſe, qvod de Albio Tullio pronunciabat Horatius (*t*). Ars autem fruendi ea eſt, qvam Græci pariter & noſtri cum Latinis convenientiſſimo vocabulo *Liberalitatis* (*u*) appellavere. Neqve enim, qvem ita poſſident divitiæ, ut vel tanqvam rem ſacram tangere nõ audeat, vel cœco impetu exiturientes timeat remorari, *liberum* dixeris, ſed ſervum,

(*t*) lib. I. Epiſt. 2. v. 7.
(*u*) Ἐλευθεριότης, Freygebigkeit.

vum, qvo in hominem nobilem nullum potest convicium dici turpius. Reputavit hoc secum Prænobili stirpe commendatissimus Juvenis DN. JOHANNES CHRISTIANUS ab ARNIMB, qvi cùm illis instructum se à fortuna præsidiis cognosceret, qvibus à contemptu facilè vindicare posset gloriam tot AVORUM illustribus in Patriam meritis in se derivatam, novissimeq; à Generoso & Eminentissimo Viro DN. WOLFGANGO CHRISTOPHORO ab ARNIMB, Vigiliarum & Urbis hujus Præsidiariorum Præfecto supremo, Parente suo, Patrono nostro sibi traditam; neqvaqvam sibi ignavo otio torpescendum putavit, sed eam sibi præter cæteras animi dotes eruditionis supellectilem dicendiq; copiam adjunxit, ut jam dignum habeamus, qvi in Auditorio nostro differens à Viris gravibus & dignitate conspicuis audiatur. Qvoq; se magis, & qvos similes sui habet, in virtutum curriculo incitaret, eâ ipsâ de re Orationem composuit elegantem, sine qvâ opum abundantiam aut detestabilem esse aut periculosam diximus modò. Ad diem ergò Mercurii, DEO annuente, de conjungendâ cum Nobilitate laude

Magnificentiæ verba facturus est. Magnificum Academiæ Rectorem, Facultatumq; omnium Doctores, Licentiatos ac Magistros, eâ qvâ singulos appellari par est cum observantiâ officiorumqve pollicitatione rogamus, ut, postqvam sacris matutinis operati fuerint, præsentiam suam Nobilissimo Adolescenti commodare haud graventur. Neq; enim isthoc pacto nos tantùm sibi obstringent, sed & favori, qvo Excellentissimus ParensOrdinem nostrum complectitur, accessiones facient egregias. Vos verò, Studiosi Nobilissimi atqve Ornatissimi, facietis libenter, ut ad Optimi Commilitonis sermonem confluatis, & inde ad ausa præclara stimulos majores qvisqve concipiatis. P. P. Dominicâ Lætare, d. 13. Martii, Anno M DC LIX.

## PROGRAMMA XVIII.
## AN QVIS ANTE OBITUM BEATUS DICI DEBEAT?

*Præscriptum Orationi,*
qvam Anno 1659. d. 30. Martii habuit
JOHANNES FRIDERICUS BESSERUS
*De Laudibus* DITERICI WERTERI.

Nemi-

NEminem debere ante obitum & suprema funera beatum dici, Solonis qvondam oraculum fuit, in aulâ opulentissimi Lydorum Regis (a) prolatum (b). Et fuit in eo qvædam sanè correctio non incivilis, qvâ Rex ille beatulus moneri, si sapuisset, poterat, ut fortunæ bonis aliqvando diffidere inciperet, credereteq; fieri posse, ut è tanto felicitatis, qvam sibi opinionis errore de Divitiis erat commentus, fastigio in ultimas miserias detruderetur: sed adeò præstrinxerat ei mentis aciem auri cælati fulgor argentiq;, ut nec autori tam utilis moniti haberet gratiam, qvem dispretum potiùs ab se dimisisse fertur, nec ipsius vim sententiæ veritatemqve perspiceret, non nisi in rogo oculos aperturus. Est, inqvam, in eo dicto pulcherrima commonefactio de fragilitate atqve incertitudine opum, cæterorumqve id genus bonorum. Qvam ob causam dignum id Euripidi, & Sophocli, & Maximo Cyrio, ut alios omittam, visum est, cujus sensum in scriptis repeterent suis (c), velutiq; precioso panno lucen-



(a) Cræsi. (b) Prolixè hoc commemorat Herodotus lib. I. p. 12. seqq. ed. lat. Basil. A. 1550. (c) Hæc talia con-

Digitized by Google

tem gemmulam intexerent. At enimverò, si de solidâ ac genuinâ Beatitudine, qvam virtute metiuntur Sapientes, Solonis illud decretum exponas, vix est ut reprehensionem effugiat. Habemus de eo in manibus censuram Aristotelis (*d*) nostri & Ciceronis (*e*), qvantorum hominum! qvorum alterius judicio Græcus orbis, alterius eloqventiæ Latinus qvid anteponeret, nunqvam ullâ reperit memoriâ: qvanqvam Ciceronis illa reprehensio, qvam secundo de finibus libro & extremo tertio perscriptam habemus, non tam ejus, qvàm Stoicorum æsti-

congesta reperies apud Zvinger. Tom. II. mor. Philos. poët. p. 1436. seqq. item apud eos, qvi in Aristotelis locum lit. seq. citandum commentantur. Notissimum illud Ovidii III. Metam. v. 135. *ultima semper Expectanda dies homini est, diciqve beatus Ante obitum nemo supremaqve funera debet.* (*d*) lib. I. Nicom. ubi caput 10. hâc qvæstione orditur: πότερον οὖν οὐδ' ἄλλον οὐδένα ἄνθρωπον εὐδαιμονιστέον, ἕως ἂν ζῇ, κατὰ Σόλωνα δὲ χρέων τέλος ὁρᾶν; (*e*) lib. II. de finib. c. 83. *cùm semel est suscepta beata vita, tam permanet, qvàm ipsa illa effectrix beata vitæ sapientia, neqve expectat ultimum tempus ætatis, qvod Cræso scribit Herodotus præceptum à Solone.* Et lib. III. p. 106. *neqve expectet* [Sapiens] *ullum tempus ætatis, ut tùm deniqve judicetur, beatusne fuerit, cùm extremum vitæ diem morte confecerit; qvod ille unus è septem Sapientibus non sapienter Cræsum monuit. Nam si beatus unqvam fuisset, beatam vitam usqve ad illum à Cyro extructum rogum protulisset.*

Digitized by Google

æstimari debet, ad qvorum proferenda placita cursus illum disputationis abduxerat. Horum enim illud est, Beatitudinem semel partam eripi homini per universæ vitæ spatium nullâ vi posse, ne qvidem si in Phalaridis tauro mugiendum ipsi foret. Inhumanum prorsus atqve horribile decretum, cujus & auris nostra sonum reformidet, & sensum admittere respuat animus. Sed hinc tamen conficiebant illi, non esse expectandum ullum ætatis tempus ei, qvi de alienâ felicitate judicium expromere meditetur. Dura vox fuit Solonis, eum, cui abundè suppetere videas, qvicqvid ad beatam vitam pertinere creditur, beatorum in numero ponere nefas esse, nisi postqvam esse, qvi fuit, desierit. Durum hoc fuit, fateor: sed durius longè, qvod è porticu suo Stoici, ut Solonianæ sententiæ fidem mainuerent, protulere, Sapientem etiam inter tormenta qvantumvis exqvisita Beatitudine suâ svaviter pasci ac oblectari. Qvantò mitiora sunt, qvæ in Solonem Stagirita noster expedit? Qvi cùm concedat, civilis Beatitudinis statum in summis atq; humanâ patientiâ majoribus infortuniis con-



Digitized by Google

servari non posse, negat tamen ad præconium de beatâ vitâ faciendum opus esse, ut mortem cujusqve opperiamur. Qvamobrem obsecro? Nam si qvem è defunctis beatum, dum viveret, fuisse certum sit, necessariò in aliqvam peractæ vitæ partem incurrendum fuisse ratiocinatur, in qvâ præsens illi atqve durans etiamnum Beatitudo verè tribui qviverit. Qvod profectò tam validum est argumentum, ut negari, nisi ab imperito, non possit. Statuamus ergò, utrumqve rectè fieri, ut & mortuorum Beatitudo & vivorũ deprædicetur. Sed ut ita hæc se habeant, Defunctorum tamen laudationes, qvàm viventium, plus habent genii ac vividæ sinceritatis, non tam qvia viventes qvi laudat, ei, ne mutato felicitatis in contrarium curriculo vela encomiasticæ orationis retrò vertere cogatur, metuendum sit, (non enim qvis facilè à summo virtutis gradu, qvam qvidem seriò excolere cœperit, dejicitur,) qvàm qvia ab adulationis & cupiditatis suspicione remotior est, qvi fato suo functis pretium exolvit honoris atqve gloriæ, qvàm idem qvi præstat superstitibus atq; remunerandi potentibus.

tibus. Satis habuit famæ & decoris, etiam dum viveret, Illustris & Generosus Dominus DITERICUS WERTERUS, Sacræ Cæsareæ Majestatis Cubicularius Janitor, qvem & Potentissimus Elector Saxoniæ Cameræ Præsidem, Reiq; Tributariæ Præfectum Supremum, & Consiliarium Intimum inter paucos carum habuit, & turba clientelarum conspicabilem reddidit inter plurimos. Sed qvicqvid in vivum dignationis congestum est, pretium amitteret, nisi mortuum qvoqve par veneratio seqveretur. O qvàm obitum ejus acerbè tulit Serenissimus Princeps! O qvot eum suspiriis Propinqvi & Collegæ: qvot lacrymis Cives prosecuti sunt, ii præcipuè, qvibus ille de propinqvo benignum sidus effulserat! Testatum hoc faciet politissimus juxtim ac literatissimus Juvenis JOHANNES FRIDERICUS BESSERUS, Artium Optimarum Studiosus; cui cùm facultatem a nobis peteret, de laudibus Summi Viri, qvem & Parens suus, Vir integerrimæ fidei & spectatæ virtutis, & ipse per annos benè multos Patronum expertus esset singularem, dicendi, proximũ Mercurii diem destinavimus. Hunc

ergò, finitâ concione matutinâ in Auditorio Majoris Collegii Beatissimis WERTERI Manibus parentantem, ut audire velit Magnificus Rector, cumq; Proceribus Academiæ Amplissimis, & Facultatum omnium maximè conspicuis Viris, Eximius atque Nobilis Flos Studiosorum, etsi impetrare per se possunt tanti Herois merita in Patriam luculenta, in ordinem præcipuè nostrum insignia: nostra tamen hæc etiam compellatio intercedit, omnibus vicissim pro favore isthoc atqve officio digna obseqvia, studium, amorem, atqve prolixam benè merendi voluntatem deferentium. P. P. d. 27. Martii Dominica Palmarum Anno M DC LIX.

*****************

## Programma XIX.

## DE STATU NATURALI ADVERSUS HOBBESIUM,

*Præscriptum Orationi,*

qvam Anno 1661. d. 16. Januarii habuit

GEORGIUS LANDSBERGER, Dresdensis

*De constituendo maturè certo vivendi genere.*

QVod constanter hactenus docuerunt Scholæ, hominem ab ipsâ naturâ

turâ tùm præparatum esse mansvetudini, tùm civitati excolendæ dedicatum: id ante annos non ita multos memoriâ nostrâ magno Vir ingenio labefactare conatus est Thomas Hobbes, orbiq; in elementis Philosophicis de Cive (a) persvadere, adeò nos ad societatem ineptos esse natos, ut status naturæ nostræ alius non sit, qvàm bellum omnium contra omnes, in qvo qvidem statu jus sit omnibus in omnia: cur ergò homines congregentur, causam non esse, qvòd aliter fieri naturâ non possit, sed ex accidente; neqve originem magnarum & diuturnarum societatum à mutuâ hominum benevòlentiâ, sed à mutuo metu extitisse. Ac ne qvis eum putaret minùs seriò agere, ab hoc decreto totam suspendit doctrinam suam civilem, tantâ cum fiduciâ perficiundi operis, ut ex meris demonstrationibus compagem totam aptare voluerit. Opidò mirabilis artifex, qvi demonstrationes ac scientiam nobis ausus est hâc lege polliceri, ut subjectum ejus scientiæ naturâ valere priùs dedisceremus, ex accidenti demùm, & in alia omnia vergente hominis



(a) in Præfat. ad Lector. & cap. 1.

Digitized by Google

minis ingenio erupisse, assentiremur ipsi. Atqvi demonstrandi optimus magister Aristoteles in iis rebus, qvarum fortuita essent primordia, qværere nos vetuit scientiam: neq; antiqvius habuit qvicqvam, cùm Politicæ disciplinæ methodum præire nobis decrevisset, qvàm ut ab ipsâ naturâ non modo civitatem delineari, sed minorum qvoq; societatum formas omnes describi atqve effingi doceret. Verùm hæc temporum nostrorum & superioris ævi sors fuit, ut qvæ essent à principe Peripateticorum etiam rectissimè constituta, (nam erroribus ejus non patrocinamur,) præ nimiâ novandi libidine convellerentur etiam, si aliter non liceret, cum transfugio in castra sectæ longè deterioris. Qvod sibi permisisse Anglum doctissimum, sanè qvàm dolemus. Qvanqvam enim ipse, qvem in eo parodoxo autorem seqveretur, (libet credere, qvia pudebat,) non est professus: tamen qvi ista elementa cum iis comparabit, qvæ de hominum ortu, & qvemadmodum urbes esse cœperint, secundum Epicuri placita libro qvinto nugatur Lucretius; facilè odorabitur, ex iisdẽ hortis etiam

Hob-

Hobbesianam segetem succrevisse. Et verò cui sic sordebat Aristoteles, dignus erat, cui flores Epicuri olerent amaracinum. Qvid? etiam tristiora, & humanæ genti magis probrosa philosophatur Hobbesius, qvàm ille Gargettii Senis sectator Poëta. Qvod ne frustrà scripsisse videamur, confirmandum est. Etenim Lucretius (*b*) homines juxtà ac cætera animantia perfecta è terrâ sic vult initiò prorupisse, ut cicadas, qvæ folliculos suos æstate relinqvunt, suâq; sponte victum & vitam petunt. Obsecro an his saniora sunt illa, qvæ capite octavo (*c*) scribit Hobbesius, ubi ut statum naturalem oculis subjiciat, considerare nos jubet homines, *tanqvam si essent jamjam subitò è terrâ (fungorum more) exorti & adulti, sine omni unius ad alterum obligatione.* Itane loqvi decuit hominem Christianum, qvi aliqvando legisset sacram Creationis historiam? An credemus, idem in mentem venisse Hobbesio, qvod paulò posteà disseminavit horribilis Peyrerii liber (*d*), vastis ante Adamum seculis hominum non minorem qvàm

(b) Lib. V. v. 802. seqq. *Principiò genus alitum &c.* p. 665. edit. Lambini. (c) p. 139. (d) de Præadamitis.

Digitized by Google

qvàm brutorum copiam in terras primitùs fuisse effusam. Sed omittamus Hobbesium ád scripturas vocare: cum Lucretio eum conferamus, qvem detrectandis humani generis laudibus vincere videtur voluisse. Qvos enim ille cicadis, Hobbius fungis similes facit. Poterat etiam exitiales boletos vocare, si doctrinæ suæ satis memor fuisset. Nam homines inter se statim hostili animo affectos proseminasse naturam, cupit nobis esse persvasum. Qvanto modestior Lucretii fabula est, qvi humanum genus ad illa mutua prælia & conflictus non nisi per longas ambages, variorumqve casuum vices deducit. Commemorat enim, qvemadmodum primi illi atqve ex uteris terræ prognati mortales initiò vitam tractaverint more ferarum vulgivago (e), non sanè in suum genus sævientes, (neq; enim hoc faciunt feræ,) sed has ipsas infestas qvieti suæ saxis missilibus insectantes (f), posteà cùm & ignem sibi anteà ignotum vis fulminis in terras retulisset (g), & vires imminuisset

(e) p. 679. (v. 933.) *Volgivago vitam tractabant more ferarum.* (f) p. 683. (v. 968.) *Consectabantur silvestria sæcla ferarum. Missilibus saxis.* (g) p. 696. (v. 1094.) *Fulmen detulit in terras mortalibus ignem Primitùs.*

Digitized by Google

isset Venus, & ex connubiis nata soboles blanditiis suis superba Parentum ingenia fregisset, mollescere eos ait cœpisse, qviqve antea seorsim coluerint singuli, finitima nunc habentes inter se amicitiam junxisse (*h*). Ac fatetur qvidem, non omnimodis potuisse gigni concordiam: sed tamen & hoc addit, bonam magnamq; hominum partem servâsse fœdera, aliàs fieri non potuisse, qvin tota interiret propago (*i*): demùm post urbes ab iis, qvi ingenio præstarent, conditas, post pecudes & agros divisos, & aurum repertum, certamina hominum inter ipsos orta (k), donec fatigati inimicitiis ad leges sanciendas animum appulerint (*l*). Hæc ergò illa sunt, qvibus ultimas Rerump. origines explicuit Lucretius, parum ea qvidem genti nostræ honorifica, sed tantò tamen tolerabilioraScriptorisAnglicidogmate, qvantò turpius est homini omnibus aliis natura

(*h*) p. 689. (v. 1017. seq.) *Ignis enim curavit, ut alsia corpora frigus Non ita jam possent cœli sub tegmine ferre: Et Venus imminuit viris, pueriqve Parentum blanditiis facilè ingenium fregere superbum, &c.* (*i*) ibid. (v. 1026. seqq.) *Non tamen omnimodis poterat concordia gigni &c.* (*k*) p. 679. (v. 1109. seqq.) *Ingenio qvi præstabant &c.* (*l*) p. 701. (v. 1145. seqq.) *Inde magistratum partim docuere creare, Juraqve constituere &c.*

Digitized by Google

turâ esse inimicum, qvàm nec amicum, nec hostem. Sed ille fortasse Horatium maluit seqvi, cujus hæc sunt libri primi Satyrâ tertiâ (*m*):

*Cùm prorepserunt primis animalia terris,*
*Mutum & turpe pecus, glandem atq; cubilia propter*
*Unqvibus & pugnis, dein fustibus, atq; ita porrò*
*Pugnabant armis, qvæ pòst fabricaverat usq;*
*Donec verba, qvibus voces sensusq; notarent*
*Nominaq; invenere, dehinc abstinere bello,*
*Oppida cœperunt munire & ponere leges,*
*Ne qvis fur esset, neu latro, neu qvis adulter.*

Vix ovum ovo tam simile est, qvàm hæc sunt Hobbesianis principiis. Adeò datam esse dicas operam, ut è malis pessima potiùs seligerentur, qvàm non recederetur à communi, ac pervagatâ opinione, qvæ hominem dictitat animal esse mansvetum. E dentibus draconis in terram à Cadmo projectis subitò emersisse Virorum copiosam segetem Mythologi tradunt (*n*). Horum mutuas cædes verosimiles facere cùm vellent, veriti

(*m*) v. 99. seq. (*n*) Vide Natal. Com. VIII. Mythol. 23. p. 607. ed. Venet. A. 1581.

Digitized by Google

veriti sunt, ne sibi parum fidei haberetur, nisi cum viris arma enata, & ex iis unum non à sociorum aliqvo, sed per speciem socii à Cadmo clam lapide percussum atq; irritatum fingerent. Hobbesius hominibus, qvos & ipsos adultos è terrâ natos imaginatur, non audet qvidem gladios & tela congenita tribuere, audet tamen, qvod illam fingendi poëticam licentiam superat, hostiles & omnia ab omnibus suspectantes spiritûs dare, nondum sibi ullius experimento injuriæ notis. Reprehenditur Lycurgus, qvòd Lacedæmonem belli tantùm non simul & pacis temporibus aptam formaverit. Qvid huic faciemus seculi nostri Lycurgo, qvi è bellis non unam Rempubl. crescere, sed omnes vult crevisse? non unum hominem, sed omnes omnibus naturâ lupos esse conviciatur? Qvi si intra metas substitisset, fuissetqve de multorum hominũ turbulento conqvestus ingenio, ferri poterat. Nam hominem homini lupum esse, tam nemo est qvi negat, ut experientia locum fecerit proverbio (o). Atqvi alio nec minùs vero proverbio homini qvoqve homo

(o) Eraſm. adag. 70. f. 42.

Digitized by Google

homo esse Deus prædicatur (p). Qvamobrem hominum mores atq; naturas distingvere oportebat, neqve eodem pede metiri omnes. Saltem ingenitos Parentibus, liberis, cognatis, conjugibus, amoris igniculos excepisset Hobbesius: sed maluit, qvò causæ suæ hunc scopulum utcunqve præternavigaret, ablegare nos ad nescio qvam hominum familiam, tuberum instar è terris fortuito enatam, & nullo sibi obligationis vinculo connexam. Nos vero absit ut eum seqvamur, qvi & divinis oraculis edocti scimus, populos utcunq; hodiè lingvâ, moribus, religione, studiis dispares ex uno omnes sangvine olim esse procreatos: nec tam invidemus honori nostro, ut non fateamur, in hac etiam indolis nostræ corruptione ad ad mansvetudinem nos potiùs qvàm immanitatem naturæ impulsu ferri. Qvod si ferinis moribo non paucos reperias, hos certum est à primi ortûs sui bonitate flagitiosè degenerasse. Nos verò tales, ubi naturæ scrutanda sunt fundamenta, negligere, & rei cujusvis essentiam

(p) Id. adag. 69. f. 41. Utrumqve adagium agnoscit & Hobbes. dedic. * 2. de utroqve plura dabimus Programm. LXI. lit. b. n. u.

Digitized by Google

tiam secundum ea, qvæ in qvolibet genere optima sunt, æstimare, cordata jubet philosophandi ratio. Aureum est Aristotelis nostri monitum, qvod legitur capite tertio primi Politicorum (q): δεῖ δὲ σκοπεῖν ἐν τοῖς κατὰ φύσιν ἔχουσι μᾶλλον τὸ φύσει, καὶ μὴ ἐν τοῖς διεφθαρμένοις. διὸ καὶ τὸν βέλτιστα διακείμενον καὶ κατὰ σῶμα, καὶ κατὰ ψυχὴν ἄνθρωπον θεωρητέον. Qvare, ut finem tandem nostra reperiat præfatio, nihil est causæ, cur, qvod creditum est hactenus, hominem suapte naturâ civile esse animal, id abnegetur in posterum. Id potiùs operam dare unumqvemq; nostrum decet, ut hoc posito principio *mature sibi constituat certum vivendi, & humanitati, ad qvam natus est, consentaneum genus*, qvò in eâdem Societate viventibꝰ aliis commodus esse possit civis. Atqve de hoc argumento scriptam à se Orationem obtulit nobis eruditione & præclarâ morum probitate Juvenis præstantissimus GEORGIUS LANDSBERGER, Dresdensis. In qvâ cùm non prudentiæ tantùm signa luculenta, sed & casti minimèqve ineptientis stili expressa notaverimus vestigia, dignam habuimus, qvæ



(q) p. 20. 21. edit. Græco-lat. Francof. An. 1601.

*ad diem Mercurii proximum* in Auditorio Collegii Majoris post sacra matutina publicè ab eo recitaretur, ut ejus auditione Juventus Academica, si qvi sunt, qvi dicendi genus horridum, obscurum, luxatum, tortuosum in deliciis habent, flectantur ad consilia meliora, cæteri in præclarè cœptis confirmentur. Qvos hoc nostro motos præconio speramus eò majore cum celebritate adfuturos. Ipsi autem Oratori nostro ut perqvam honorificâ præsentiâ suâ Magnificus Academiæ Rector, Facultatumq; omnium Doctores, Licentiati ac Magistri in hoc ad eloqventiam civilemq; doctrinam curriculo stimulum addere velint, non ab eo tantùm, sed à nobis qvoqve singularem gratiam inituri, majorẽ in modum rogamus. P. P. Dominicâ I. post Epiphanias ineuntis anni MDCLXI.

---

## Programma XX.

## DE VETUSTO RITU POENITENTIÆ SOLENNIS,

*Præscriptum Orationi,*

qvam Anno 1661. d. 3. Aprilis habuit

Timotheus Ritzschius, Lipsiensis,

*De Passione Dominicâ.*

Cum

Digitized by Google

CUm tota Christianorum vita perpetuæ cujusdam Pœnitentiæ curriculum esse debet: tùm hâc in primis anni tempestate, qvâ PATIENTIS CHRISTI memoriam publica pietas celebrat, par est, ut veris lacrymis & gemitibus proseqvamur qvisq; peccata nostra, qvæ expiari aliter non potuerunt, qvam agni illius ἀμώμου καὶ ἀσπίλου (a) sangvine pretioso. Etenim qvod in via ad crucem Salvator mulieribus dixit (b), idem animabus nostris dictũ credamus: *Filiæ Hierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros; Qvia si in viridi ligno hoc faciunt, in arido qvid fiet?* Ac vetustioribus qvidem temporibus ii, qvibus graviorum criminum reis publica imponebatur pœnitentia, die statim Cinerum, qvem caput Qvadragesimæ vocant, ejiciebantur è templis, non nisi feria Viridium reducendi. Ritum ipsum transscribere huc placet è Decreto Gratiani, ubi can. 64. dist. 50. (cujus rubrica est: *Qva sint servanda in solenni pœnitentia?*) hæc leguntur: *In capite Qvadragesimæ omnes pœnitentes, qvi publicam susceipiunt aut susceperunt pœnitentiam, ante*



(a) 1. Petr. 1. v. 19. (b) Luc. 23. v. 28. 31.

Digitized by Google

*fores Ecclesiæ se repræsentent Episcopo Civitatis, sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram demissis reos se esse ipso habitu & vultu protestantes. Ibi adesse debent Decani, id est, Archipresbyteri Parochiarum, & Presbyteri pœnitentium, qui eorum conversationem diligenter inspicere debent, & secundum modum culpæ pœnitentiam per præfatos gradûs injungere. Post hæc eos in Ecclesiam introducant, & cum omni clero septem pœnitiales Psalmos in terrâ prostratus Episcopus cum lacrymis pro eorum absolutione decantet. Tunc resurgens ab oratione, juxtà quod Canones jubent, manûs eis imponat, aquam benedictam super eos spargat, cinerem priùs mittat, deinde cilicia capita eorum operiat, & cum gemitu & crebris suspiriis denunciet eis, quòd, sicut Adam projectus est de Paradiso, ita ipsi pro peccatis ab Ecclesiâ abjiciantur. Post hæc jubeat ministris, ut eos extra januas Ecclesiæ expellant; Clerus verò prosequatur eos cum responsorio:* In sudore vultûs tui vesceris pane tuo &c. *ut videntes sanctam Ecclesiam pro facinoribus suis tremefactam atq; commotam, non parvi pendant pœnitentiam. In sacrâ autem Domini Cœnâ rursus ab eorum Decanis & eorum Presbyteris Ecclesiæ liminibus repræsententur.* Proferuntur

hæc

hæc à Concilio Agathensi, qvod ineunte seculo sexto habitum esse constat (c). Qvanqvam autem in Tomis Conciliorũ frustra inqviras hunc Canonem, qvem ne Severinus qvidem Binius (d) inter Paralipomena Decretorum ejus recepit, ut taceam, dubiæ autoritatis eum præterea inde reddi, qvòd in Burchardi Wormatiensis, qvi & ipse Canonum collector fuit, manuscripto qvodam exemplari pro Agathensi Concilio Pœnitentiale Romanum citatur (e): tamen, ut certum est, magnam fuisse priscorum seculorum in Ecclesiastica disciplina severitatem, adeò, ut publicè pœnitentes primo anno mos esset ἐκβάλλεσθαι τῶν προσευχῶν, καὶ προσκλαίειν αὐτοὺς τῇ θύρᾳ τῆς ἐκκλησίας, ut habent verba Basilii (f), unde primo illi pœnitentiæ gradui nomen factum est τῆς προκλαύσεως (g): ita non difficulter persvadearis, in Occidentali orbe, qvi pœnitentiam publicam, sub qvarti jam seculi finem in Oriente abolitam,

 diuti-

(c) Hildebr. de prisc. Eccl. sacris G. I. (d) Tom. II. Concil. Part. I. f. 545. (e) vid. Corp. Jur. Canon. ed. Francof. A. 1590. p. 106. (f) cit. Salmas. in jud. de lib. post. Grot. p. 77. (g) Dilherr. II. Elect. I. Kettembeil. epit. Observ. Albaspin. p. 55.

Digitized by Google

diutius retinuit (h), qvotannis sub initium Qvadragesimalis jejunii lapsos ea, qvam descripsimus, ceremoniâ de magnitudine delictorum suorum commonefactos olim fuisse. Clara sunt verba glossæ (i) ad finem Decreti: *Ita fit qvolibet anno, ut tali die* (in Cœna Domini) *immittantur in Ecclesiam* (publicè pœnitentes:) *&, licèt stent in Ecclesiâ, non tamen communicabunt cum aliis Eucharistiâ vel osculo, & sic erunt usq; ad octavam Paschæ: & tunc iterum exibunt de Ecclesiâ, & erunt extra Ecclesiam usq; ad talem diem seqventis anni, & hoc fiet usqve ad finem pœnitentiæ.* Durandus in Rationali (k): *In die istâ,* [qvarta feria post Qvinqvagesimam] *fit Processio, qvalem per totum annum fieri non contingit. Pœnitentes namq; tunc ab Ecclesiâ cum Processione & cruce ejiciuntur.* Atq; hæc illa Pœnitentia fuit, qvam Interprètes Canonum Pontificiorum, cùm tres numerant Pœnitentiæ species (l), Solennem vocant, nec à *privatâ* tantùm distingvunt, sed & à *publicâ* non solenni. Ean-

(h) Salmas. d. l. p. 73. (i) Vincentio qvoqve Bellovacensi laudata spec. moral. lib. III. part. X. dist. 3. f. 1413. (k) lib. VI. cap. 28. p. 570. ed. Lugd. A. 1592. (l) de qvibus vide Vincent. Bellov. Spec. Histor. lib. VIII. c. 47. f. 289.

Digitized by Google

Eandem inter Scholasticos Simon de Tornaco Lib. de Sacramentis (m) solam ex pœnitentiæ istis generibus Sacramentum esse disputavit. Qvod si verum est, videat Ecclesia Romana, qvâ fronte jactet septem Sacramenta, cùm non nisi qvinq; cum dimidio repræsentare possit, ut qvæ & *Eucharistiam* mutilaverit, & *Pœnitentia Solenni* non demùm nudius tertius iverit exeqvias. Enimverò Angelus de Clavasio in summa Casuum propè ante ducentos annos scripta, ubi Pœnitentiæ hujus mentionem fecisset, (n) eam omittere se dixit, *cùm hodiè*, inqvit, *non sit in usu*. Nostri ævi scriptor Joh. Baptista Casalius justissimis de causis abolitam fuisse ait (o), potissimùm qvòd qvædam impudens mulier, inconsulto Presbytero ad id munus constituto, publicè in Ecclesia hoc ipso prætextu propalaverit occulta qvædam & libidinosæ incontinentiæ peccata, maximo totius populi scandalo. Respicit ad abrogationem Presbyteri pœnitentium, Constantinopoli factam à Nectario. At-



(m) teste Cassandro Consult. artic. 12. (n) Sub voce *Penitentia* f. 227. (o) c. 61. de vet. sacr. Christ. rit. f. 243.

Digitized by Google

qvi ut omittam, istud Nectarii consilium minime probari à Socrate (p), Sozomeno, (q) atqve Nicephoro (r), magna hæc rituum, magna temporum confusio est. Aliud enim Græcorum pœnitentia publica fuit, aliud illa Romanæ Ecclesiæ solennis. Hæc si maximè Agathensi Concilio natales suos debet, nondum nata erat scilicet, cum illa Constantinopoli moreretur. Joannis de Burgo verba sunt (s): *Joannes in Collect. dicit, qvòd hodiè solùm pro oppressione puerorum imponitur solennis Pœnitentia.* Qvartum ergò abhinc seculum exempla hujus animadversionis Ecclesiasticæ habuerit. Floruit enim Joannes de Burgo A. C. 1385. fuitq; Cantabrigiensis Universitatis Cancellarius, & sacræ paginæ Professor (t). Sed vel hinc æstimare licet, fuisse jam tùm morem illum præcipitio proximum. Vetustiores enim reprehendebant consvetudinem eorum, qvi mulieribus pro extinctione seu oppressione puerorũ, qvos penes se habebant in lecto, imponerent pœnitentiam publicam (u). Idem videlicet

(p) lib. V. c. 19. (q) lib. VII. c. 16. (r) lib. XII. c. 28. (s) in pupillâ oculi tract. de pœnit. c. 1. (t) Vide pupillam hanc ab Inis & Pitse. de illustr. Angl. Scriptor. p. 542. (u) vide summam Angelicam f. 227. & Sylvestrinam f. 367.

Digitized by Google

delicet in hunc modum distingvebant (w: *Solennem* Pœnitentiam irrogari debere delicto gravi, & totam urbem scandalizanti; *Publicam* gravi illi qvidem & publico, sed non scandalizoso, (liceat illorum verba proloqvi;) *Privatam* deniqve gravi, sed occulto: atq; hujus postremi ordinis sciscebant esse illud muliercularum, per somnolentiam nocturnam suffocantium in eodem lecto secubantes infantulos. In has ergò miserias, langvescente paulatim Ecclesiasticâ disciplinâ, primùm *Publicæ*, dein *Solennis* qvoq; pœnitentiæ asperitas omnis exonerata tandem fuit: nempe, qvod illa faba in neminem crederetur faciliùs cudi posse, qvàm in meretriculas ejusmodi, qvæ semel depuduissent. His enim ferè, ubi suam operam ad aliorum Parentum lactandos pueros elocarunt, casus iste obvenire solet. Certè vix in èum incidant opulentiores ac delicatæ fœminæ, qvæ nec ipsæ uberibus suis alunt, qvod pepererunt, & facilè prospiciunt natis suis lectulos separatos. Sed jam tùm Vincentii Bellovacensis ætate, qvi seculo integro Joannem de Burgo ante-

 vertit,

(w) testibus iterum Angelo & Sylvestro d. l.

vertit, Laicis in aliqvâ dignatione constitutis immunitas ab hâc censurâ speranda fuit ob interpretationem Decreti. Qvod cùm diserte Clericos exemisset à pœnitentiâ solenni, Vincentio placuit hæc annotare (x): *Qvia hoc statutum est propter Clericatus dignitatem, videtur posse concludi, qvòd nec Laicis personis insignibus, nec Religiosis debeat imponi propter dignitatem statuum.* Verùm annon hoc est, qvod canitur: *Dat veniam corvis, vexat censura columbas?* Nisi qvod passeribus potiùs comparandas dixeris illas meretriculas, in qvas horrendi illius fulminis furorem unicè desævisse dicebamus. Qvod tantisper factum est, donec zelus iste refrigerato prorsus calore, consumptoqve omni impetu, penitùs exspiravit, ut nec columbis hodiè, nec passeribus qvicqvam sit ab eo pertimescendum: sive puduit ad extremum, in delictis involuntarils exercere illam asperitatem, qvam summam esse Canones voluissent; seu fortasse alicubi Nutricum imperiosa natio intercesit, negavitq; Magnatibus ministerium suum, nisi eodem cum Clericis privilegio fruerentur. Duravit tamen ad

(x) Spec. moral. lib. III. part. X. dist. 5. f. 1412.

Digitized by Google

ad Avorum usq; nostrorum memoriam solennis illius pœnitentiæ aliqvod vestigium Halberstadii, Italis etiam admirabile: qvanqvam rectiùs cum B. Chemnitio (y) ludum appelles seu fabulam, in qvam apud Pontificios vetus pœnitentia desierit. Eam præter Chemnitium ab aliis qvoqve commemoratam (z) dabimus hîc è Sabellico (a): *Est Albestadium* (sic nominat pro Halberstadio) *Civitas eum Deipara templo augustissimo, qvò profanis non patet accessus, ut qvidam memorant: tantùm initiati id phanum subeunt. Introduciturtamen unus aliqvis è populo cinericio die, hominum opinione neqvissimus*: (conduci eum Chemnitius autor est. Videlicet eò res redierat, ut excussum novissimè à meretricibus jugum qvi imponi sibi pateretur, emendo esset pretio, qvantumvis homo pudoris aliàs profligati:) *Hunc velato capite, pullâ veste sacris admovent. Qvibus ritè perpetratis templo ejicitur,*

(y) Exam. Concil. Trid. Part. IV. f. 329. (z) Æn. Silv. Europ. p. 38. (vel Cosmograph. p. 114.) Volaterran. lib. lib. VII. f. 158. Geb. Franck Welt-Buch / f. 59. Joh. Gig. Fest-Pred. p. 137. Hartm. Braun Pred. von der Aschermitwoch p. 17. Joh. Olear. disp. de causis, cur ab Eccles. Pontif. fit facienda secessio? §. 29. (a) Ennead. X. lib. VIII. f. 527.

Digitized by Google

*tur, tjectus toto jejuniorum tempore nudis calcibus urbem pererrat, Divorum templa visitabundus. Sacerdotes illi victum suggerunt. Mox in Dominicâ Cœnâ iterum templo inductus post olei consecrationem ab universo Clero expiatus dimittitur, eleemosynâ priùs acceptâ, qvam piè offert templo. Hunc Adam vulgò vocant, qvia, ut Protoplastus ille, omni vacet crimine: perq; eum civitas creditur expiata.* Hæc Sabellicus. Qvi qvòd ἐξάγιστον illum Adamo innocenti potiùs, qvàm lapso, comparare videtur, vim illius mysterii non assecutus est satis. Nec enim aliâ de causa nomen Adami in hanc rem qvæsitum fuit, qvàm qvòd in illâ solenni pœnitentiâ *rememorationem*, ut Vincentius (*b*) loqvitur, agnoscerent *expulsionis primorum Parentum de Paradiso terrestri*, etiam hinc inter alia causam petentes, cur iterari ea non debeat, *qvia*, inqviunt, *& expulsio Adami semel tantùm facta est.* Qvàm aptè hoc dicant, non disputo. Id ago tantùm, ut intelligatur, qvi solennem agerent pœnitentiam, sic habitos esse, qvasi qvi migrassent in figuram exulum protoplastorum. Id qvod non tantùm Agathen-

(*b*) loco supra lit. x. citato. Adde Io. de Burgo ubi supra lit. 5. & Gvid. de Monte Rotherii in manip. Curator. tract. de pœnit. c. 2.

Digitized by Google

gathensis Canon innuit, sed insuper egregium in modum declarat hic locus Durandi (c): *Qvòd pœnitentes de Ecclesiâ ejiciuntur, repræsentat exilium & ejectionem Adæ & Evæ de Paradiso propter esum pomi. Peccatores ergò de Ecclesiâ ejicimus, & ejectis pœnitentiam septennem aut aliam pro criminum qvalitate imponimus, & ejecti per septem hebdomades extrà morantur, qvòd genus humanum in Adam lapsum judicio DEI in hoc exilio septem millibus damnatur annorum. Ejecti ferunt candelas in manibus ad significandum, qvòd pro opere, qvo primi Parentes porrexerunt manus ad pomum vetitum, apposita est ignea romphæa in Paradiso. Clauduntur coram eis fores Ecclesiæ, in signum aditûs Paradisi qvondam obclusi. -- Cilicium qvoq; portant in signum pellicearum tunicarum Adæ & Evæ. -- In terrâ etiam comedunt, qvasi ipso facto dicant: Maledicta est terra in opere tuo. Non dicitur eis Ave, qvia nondum erat mutatum nomtn Evæ. Qvòd pedes nudant, nuditatem repræsentat Adæ.* Gemina his sunt, qvibus solennitates istas interpretatur Joannes Antonius Cardinalis (d). Ac Durandus qvidem ad exemplum

(c) Rational. lib. VI. c. 73. p. 636. seq.

(d) Comment. super Decret. f. 173.

plum Mariæ etiam, Johannis Baptistæ, Jobi, Josephi qvædam refert (e): Nihil tamen est propè in istis ritibus universis, cui non Adamus & Eva inserviant: adeò ad horum exemplum violentis etiam expositiunculis rapta sunt omnia, qvalis illa est de candelis. Neq; tamen omnes improbamus. Atqve utinam lapsi qvique ad exemplum eorum se componant, qvi primùm nobis præiverunt pœnitendi viam ejecti Paradiso! Eqvidem cilicium sive saccus & cinis in Veteri jam Testamento perpetuus lugentium fuit atqve pœnitentium habitus, sed non nisi post Adami tempora memoratus in scripturis. Exemplo tamen ad Christianos transeunte, qvia eosdem, qvi primi lapsi essent, primos etiam liqveret pœnituisse, in his qvoq; habitûs istius rudimenta pulchrum fuit observare. Ambrosius (f) loco etiam in Decretis (g) recepto scribens: *Adam post culpam statim de Paradiso DEUS ejecit: non distulit, sed statim separavit à deliciis, ut agenet pœnitentiam: statim tunicam vestivit pelliceam, non sericam,*

*ad*

(e) Facit hoc & Honor. Solitar. Gemm. anim. lib. 3. c. 76. p. 58. (f) II. de Pœnit. c. ult. (Tom. I. Oper. f. 175.)
(g) de Pœnit. dist. I. c. Adam.

Digitized by Google

*ad cilicium allusit.* De eodem Rudulfus Ardens (*h*), Scriptor Gratiano paulò antiqvior: *Pili camelorum & Cilicium signa sunt pœnitentiæ tùm propter asperitatem & punctionem, tùm qvia signa sunt tunicarum pellicearum, qvibus induti primi Parentes à paradiso exclusi sunt.* Drexelius (*i*) inde usqve à foliis fici accersit cilicium: *Aspera sunt*, inqvit, *hæc folia, nec blandamadis: Sic Cilicium ab arbore sumptum in Paradiso cœpit esse usui.* Qvod ad cineres attinet, notum est, eos in capite Qvadragesimæ aspergi solitos sub his verbis: *Cinis es, & in cinerem reverteris*, qvod dictum fuit Adæ (*k*). Atqve hunc solum ritum ex illâ solenni pœnitentiâ retinent hodiè Papistæ. Nimirum Pœnitentia ad rogum damnata penitusqve exusta nihil illis præter *cineres* & favillas reliqvum fecit sui. Ad nos autem inde vix nomen *Diei Cinerum* pervasit, qvi satius judicavimus, putamina ista, posteaqvam nucleſi vermis hypocriseos erosisset, planè abjicere, dareqve operam interim, ut pœnitentiam, qvam illi extus simulant, agamus

(*h*) Homil. in Evang. Domin. I. Adv. p. 14. (*i*) Nicet. lib. II. c. 4. s. 3. (Tom. I. oper. p. 517.) (*k*) Durand. lib. VI. Rational. c. 28. p. 579.

mus intus veram, donec *utilissima illa Ecclesiæ veteris disciplina, quæ hisce profligatis temporibus summoperè necessaria est, Ecclesiæ sine Conscientiarum laqueis restituatur, quatenus ea Apostolicis scriptis consentanea est, & ad ædificationem Ecclesiæ pro ratione horum temporum servire potest*, quod jam ante seculum pientissimi Theologi Doctoris Chemnitii (l) votum fuit. In ordinatione quidem Ecclesiæ, quæ Eduardo VI. Rege in Angliæ regno sancita, & ex ejus gentis lingvâ in latinum sermonem ab Alexandro Alesio, hujus quondam Academiæ nostræ Doctore conversa est, ad diem Cinerum hæc reperiuntur annotata: (m) *Post matutinas signo dato per campanam, ut populus conveniat, & decantatâ Letaniâ, Parochus populum alloquatur: Fratres, in primitivâ Ecclesiâ fuit utilis disciplina, ut initio Quadragesimæ rei manifestorum criminum ejiserentur ex Ecclesiâ, ut agerent publicam pœnitentiam. Hujus publicæ pœnitentiæ vice interim, dum hæc restitui possit, quod optare debemus, visum est hoc tempore conducibile ad pietatem, ut præsentibus vobis legantur comminationes & execrationes*

(l) Exam. Concil. Trident. Part. IV. f. 722. & 725.
(m) Ord. Eccles. Anglic. p. 62.

*tiones contra impœnitentes ex 27. cap. Deut. & aliis locis Scripturæ, ut ad qvamlibet sententiam respondeatis Amen* (n). Apud nos verò singulis Qvadragesimæ diebus certa qvædam Dominicæ Passionis pars Christiano populo prælegitur & explicatur in Concionibus sacris, nimirum ut ex ligni viridis supplicio stipites aridi discant metuere sibi. Huic eidem pio fini, hoc est, excitando in nobis studio Pœnitentiæ non fictæ, inservire putavimus recitatione pagellarum aliqvot, qvas de PASSIONE CHRISTI conscripsit Optimo Parenti filius cognominis TIMOTHEUS RITZSCHIUS, Bonarum Artium Studiosus industrius, pietate in primis atqve Religionis veræ professione commendabilis. Eum ergò crastinâ luce post matutina sacra sistemus in Auditorio Majoris Collegii publico, non histrionis in morem veteris Adami personam indutum, sed usitato corporis cultu innocentissimi Salvatoris dolores, opprobria, colaphos, flagella, vulnera, necem, verbis ad sanctimoniam potiùs qvàm theatrorum lenocinia compositis,



(n) Germanicè versa hæc habes in Theoph. Großgebauers Geistr. Schrifften p. 409. 410.

Digitized by Google

in Auditorum animos infigentem, ut hoc etiam hortatu excitentur ad ingemiſcendum miſeriæ humanæ, qvæ Filium Æterni Patris devocatum è cœlo affixit infami ligno. Favebitis pietati Juvenis ornatisſimi, Magnifice Academiæ Rector, omniumq; Facultatum Proceres Amplisſimi, cæteriq; Graduum dignitate & Eruditionis præcellentiâ conſpicui Viri: & ſi precibus noſtris aliqvis locus eſt, præſentiâ veſtrâ ſplendorem dabitis Auditorio. Studioſorum verò natio florentisſima, qvam nō infreqventem adeſſe optamus, exemplum capiet earum meditationum, qvibus, qvod reliqvum eſt Qvadrageſimalis temporis, & domi & in publico tranſigere dignum eſt homine Chriſtiano. P. P. Feriâ tertiâ poſt Dominicam Judica poſtr. Calend. April. Anno M DC LXI.

## PROGRAMMA XXI. DE PONTIFICIORUM RISU PASCHALI,

*Præſcriptum Orationi*,
qvam Anno 1661. d. 13. Aprilis habuit
CHRISTIANUS DANIEL SATLER,
*De CHRISTO Liberatore.*

*Omnia*

Digitized by Google

*OMnia nunc rident, nunc formosissimus annus,*

ait Poëta (a) cùm Veris hilaritatem depingit. Nec verius qvicqvam dici poterat in hanc anni renascentis pueritiam, si natura leges custodit suas. Longè tamen diversa rerum facies erat, cùm hoc ipso Aprili mense passionem ac mortem Filii Dei, cujus anniversariam memoriam hoc in primis die colunt Ecclesiæ nostræ, mundus doleret universus. Sol alienissimo tempore obscuratus, mox totum orbem sub diurno sidere tenebris involvens, terra contremiscens, disilientes petræ, velum templi scissum, non gestientis naturæ, sed Creatori suo commori cupientis indicium dabant, ut dici potuerit:

*Omnia nunc lugent, nunc est tristissimus annus.*

Et omninò totius mundi ruinam tractura videbatur hæc calamitas, nisi mortis atqve inferiorum Victor post diem tertium se vitæ, vitam humano generi reddidisset. Enimverò resurgente Christo ilicò suus cœlo pariter ac terræ nitor rediit, inq; vires pristinas induta denuò



(a) Virgil. partim Eclog. VII. v. 55. partim Ecl. III. v. 57.

Digitized by Google

visibilium Dei operum machina haud ægrè solitos risûs, solitas choreas repetiit, tantâ cum asseveratione gaudii, ut plebeculæ persvasum fuerit, Solem & illo manè, qvo revixit Salvator, ternis eum subsultibus salutasse, & hoc tripudium qvotannis festo Paschatis die inter exoriendi initia renovare: qvasi Regii Vatis illud (*b*) huc qvoqve pertineret: *Ipse tanqvam Sponsus procedens de thalamo suo exultavit, ut gigas ad currendam viam.* Utiqve dignum est, ut, qvo tempore olim Redemtionis opere numeris omnibus absoluto Divinæ Majestati natio humana, hoc est Cœlo terra reconciliata fuit, publicâ non ætheris modò, sed elementorum omnium, & qvicqvid iis continetur, lætitiâ testatum hoc fiat qvotannis. Qvam in sententiam egregius extat hymnus Paschalis, qvem Lactantio adscriptum antè, Fortunato Viri docti vindicarunt (*c*) Episcopo Pictaviensi: qvo in Christianissimus Poëta certare cum natura videtur voluisse, majorésne illa

(*b*) Psalm. 19. v. 6. (*c*) Lactantii præscripto nomine exhibet hunc hymnum Herman. Torrentin. in hymn. & prof. Ecclesiast. D. 6. Sed Fortunato vindicat Cassander hymn. Ecclesiast. 173. 177.

Digitized by Google

illa saltando, an ipse canendo faceret delicias:

*Salve*, inqvit, *Festa dies toto venerabilis ævo,*
*Qva Deus infernum vicit, & astra tenet!*
*Tempora florigero rutilant distincta sereno,*
*Et majore poli lumine porta patet.*
*Altiùs ignivomum Solem cœli orbita ducit,*
*Qvi vagus Oceanas intrat & exit aqvas:*

& qvæ in hunc sensum seqvuntur qvamplurima, non minùs varia & dulcia, qvàm res ipsæ sunt, qvas modulantur. Atq; ut sub autumno in senium vergens annus, crebrisq; pluviis qvasi sortem deplorans suam, admonere nos potest lacrymosissimi lapsûs Parentum primorum, (hunc enim peræqvè ut mundi creationem in istuc solaris curriculi momentum incidisse magnæ placet Eruditorum parti:) ita ex hibernis sqvaloribus eluctata elementa risu nos suo invitant ad capiendam è resurrectione Christi, qvâ lapsus ille correctus fuit, lætitiam. *Hæc* enim *est dies, qvam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea*(*d*)! Sed gaudiũ nostrum gaudium spirituale est. *Non* enim *in fermento veteri, neqve in fermento*



(*d*) Psalm. 118. v. 24.

Digitized by Google

*malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis epulandum est nobis* (*e*). *Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis* exultandum, *sed induendus est Dominus Jesus* (*f*), *ut quomodo ille surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus* (*g*), *renovataq; ut aquilæ juventute nostra* (*h*) dicere possimus: *Refloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor DOMINO* (*i*). Quam Prophetæ sententiam proferens alicubi Ambrosius (*k*), & ad ipsum Christum accommodans, hæc adjungit: *Videte, quo verbo usus est. Non ait*, floruit, *sed* refloruit. *Non enim reflorescit, nisi quod antè floruerit. Floruit autem caro Domini, cùm primùm de Mariæ virginis illibata vulva processit, sicut ait Esaias* (*l*) *dicens*: Exibit virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet. *Refloruit autem, cùm succiso per Judæos Corporis flore rediviva de Sepulchro resurrectionis gloria germinavit, & in floris modum odorem pariter & nitorem cunctis hominibus immortalitatis afflavit: odorem, bonorum operum suavi-*

(*e*) 1. Cor. 5. v. 8. (*f*) Rom. 13. v. 13. 14. (*g*) Rom. 6. v. 4. (*h*) Psalm. 103. v. 5. (*i*) Psalm. 28. v. 7. (*k*) Serm. 54. cujus inscriptio, *de innovatione fidelium*, Tom. III. Oper. Ambros. f. 280. (*l*) c. 15. v. 1.

Digitized by Google

*ſuavitatem circumferens; nitorem, incorruptelam perpetuæ divinitatis oſtendens.* Sanè piis ac devotis mentibus nulla evenire voluptas major poteſt, qvàm qvâ perfundi ſe contemplandis CHRISTI beneficiis experiuntur: neq; dubium eſt, in eâ guſtum eſſe qvendam illius mellis, qvo in æternâ vitâ paſcendi ſumus. Porrò iſthæc voluptas tantò ſincerior nobis eſt, qvantò fideliores habemus in Eccleſiis noſtris verbi Divini præcones, non noſtro merito ullo, ſed DEI miſericordis immortali nec unqvam ſatis æſtimando munere. Etenim ſi ſuperiorum temrum memoriam repetimus, heu qvanta mellis iſtius publicè corruptio fuit! cùm populo Chriſtiano in templis pro gaudio ſpirituali neſcio qvi *Riſus* edebantur, verbo *Paſchales* (*m*), re infernales & animabus exitiales. Confingebantur fa-



(*m*) *Bugenhag. dedic.* Des Leidens Christi aus den vier Evangeliſt. alſo / das auf Oſtern etliche Prediger nur darnach trachteten / wie ſie das Volck zu den Oſterfladen möchten frölich machen / und *riſum Paſchalem*, das iſt ein Oſterlachen mit ihren Fabulen anrichten. Mentionem riſus Paſchalis faciunt & Andr. Wilk. plejad. I. Orat. 7. p. 177. item Joach. Hildebrand. Exerc. Theol. de ritib. ſacris theſ. 42.

Digitized by Google

bulæ de mutilatis diabolo naribus, cùm eas, arietante portam Erebi Salvatore, objecisset pro pessulo (*n*): vel de strophis Petri, qvibus hospites symbolis defraudasset (*o*). Nec profanis tantùm & impiis, sed & obscœnis nugis risus captabatur, qvales ne in convivio qvidem Vir probus sustineat absq; pudore commemorare (*p*). Fuerunt etiam, qvi ne concio absq, cachinnis solveretur, edicerent, ut carmen Servatoris nostri triumphale Vir ille inciperet canere, qvi non esset γυναικοκρατούμενος: alius idem fœminis imperavit, continuò certatim inclamantibus (*q*). Hæc ergò talia qvi faciebant, *Risus Paschales* edere dicebantur: qvos non licitos modò fecerat consvetudo, sed legitimos qvoq;, & ita propè necessarios, ut iis abstinere turpe habere-

(*n*) Mathes. Histor. von D. Martin Luthern. conc. VII. p. 63. & inde Casp. Tit. Exempelb. p. 351. ed. Witteb. Anno 1657. Fabulam hanc, licèt paulò aliis vestitam circumstantiis, elegiâ exprimit Lucas Lossius Epigram. p. 199. seqq. qvam & refert Melander lib. I. Jocoser. n. 293. p. 331. ed. Smalcald. Anno 1611. (*o*) Hospinian. de fest. Christianor. f. 64. ex Oecolampadio. (*p*) Erasm. lib. II. Ecclesiast. p. 268. (*q*) Joh. Gastius Tom. I. conviv. serm. p. 200. Conf. Bebel facet. p. m. 4. Tymp. mens. Theolophilos. p. 188. seq.

Digitized by Google

beretur Concionatori. Nimirum ea erant tempora, qvibus religio sacra conversa erat in histrioniam. Nam & extra Paschalem solennitatem mos erat dormitantes excitare aut aliqvâ fabulâ, eâqve interdum parùm verecundâ; aut totius populi screatu, qvem ad singulas orationis partes fieri jubebat, qvi declamitabat è suggesto (r). Qvod ægrè crederemus factum à seriis Oratoribus fuisse, nisi eorum Homiliæ typis mandatæ unam atqve alteram ejus generis fabellam hoc eodem nomine lectori commendarent. In Qvadragesimali (s) qvidem secundo Fratris Pelbarti de Themeswar serm. 14. Apologi talis hoc initium est: *Pro excitatione dormientium dicam consolatorium exemplum* (t). Neqve somno tantùm discutiendo ista qværebantur, sed & ciendo plausui. Qvâ in re humani aliqvid passæ sunt vetustiores etiam minusq; corruptæ Ecclesiæ, cùm è scenâ & theatro migrantibus in templa moribus, si qvid placuisset Audito-



(r) Eram. d. l. (s) Qvadragesimale hoc pars est sermonum Pelbarti de tempore. (t) Aliud hujus notæ exemplum qvære ibid. serm. 22.

Digitized by Google

rio, acclamatione & fremitu festivo exciperetur. Eum porrò morem Viralias admirandæ sanctitatis Augustinus (u) adeò non tulit invitus, ut instrueret potiùs Doctorem Christianum, qvemadmodùm cum audientium voluptate diceret. Verùm Chrysostomo non perinde se illa consvetudo approbavit. Qvi apertè testatur in Homiliis (w), non opus habere se plausu illo & vociferatione populi, optare potiùs, ut monita sua facto exprimerent; plurimùm enim inter theatrum & Sancti Spiritûs officinam interesse. Nec tamen eo ævo ineptis jocis aut scurrilibus nugis personabant Cathedræ: tantùm si qvod illustrius enthymema protulisset sacer rhetor, aut vegetioris ingenii sententiam intorsisset, clamore digna res videbatur. Sed cucullati isti ludiones, qvos Atavorum nostrorum ætas vidit, planè æmulabantur comœdorum licentiam, anilibusqve & sacrilegis næniis officii divini dignitatem conspurcabant. Ut omninò gravissima causa B. Luthero fuerit, hoc etiam

(u) IV. de doctr. Christ. 26. Casaub. ad Vulcat. Gallican. p. 199. (W) homil. 17. in Matth. cit. Rittershus. III. sacr. lect. 22.

Digitized by Google

am fermentum expurgandi (x), & illas Paschales juxta & excitatorias fabulas referendi ad μωρολογίαν, qvâ Sanctus Paulus (y) Ephesis severe interdixit. Ac puditum est ab eo tempore consvetudinis tam impiæ etiam Pontificios, nisi qvod Johannes Matthæus Meysartus (z) autor est, sub finem superioris seculi blateronem qvendam de illo grege Paschales ferias Aichstadii hunc in modum finiisse: **Nu/ lieben Leutlein/ ich muß die alte Gewohnheit in acht nehmen / und euch ein Ostermährlein sagen. Weil mir aber keines zufället / so mercket dieses: Welche Frau Herr über ihren Mann ist/ die hebe itzunder beyde Arme auff/ und schreye**

(x) In der Kirchen-Postill über die Epistel auf den III. Sontag in der Fasten f. 256. ed. Wittenb. Anno. 1562. his verbis: und sonderlich ist das unchristlich / wo man solche Narrentheidung treibt in der Gemeine/ da man zusammen kommt/ Gottes Wort zu hören/ und die Schrifft zu lernen. -- Wie bißher geschehen ist/ daß man auffs Osterfest ein närrisch lächerlich Geschwätz unter die Predigt gemenget hat/ die Schläfferigen damit wacker zu machen. (y) Ephes. 5. v. 4. Lutherus vertit, Narrentheidung. (z) lib. I. Von der Academ. Discipl. c. 9. p. 78.

schreye Juch. Erasmus certè Roterodamus [a], dum de ratione concionandi præcipit, morem illum seriò detestatur. Imò & Luthero & Erasmo paulò antiqvior Johannes Keyserspergius profanitatem illam his verbis castigavit [b]: *Qvid est hoc. qvod tempore Paschali invaluit corruptela, ut ad risum & levitatem populus per qvosdam Prædicatores ridendos cum excessu nimio etiam provocatur? Planè devotionem, qvam prius conceperant, prorsus extinguèntes: Profectò in talium labiis mors est.* Profert hæc Hospinianus (c) ex libello, qvem ad Capitonem *de Risu Paschali* nominatim scripserat Oecolampadius hac occasione: Cùm enim Winsbergæ, qvod ipsi patrium fuit opidum, severus nimiùm concionator audiret, qvi aures vulgi insanis clamoribus non percellere, neqve inficetis facetiis actionem sacram exhilarare consvevisset, qvemadmodùm tùm solebant mendicabula Monachorum: iniqvitas ista judicii causam ei dedit scribendi commentariolum illum de risu Paschali (d). Prodiit hic libellus A. Chri-

(a) ubi supra lit. p. (b) in catulo peregrini. (c) de festis Christianor. f. 64. (d) Vide Capitonem in vitâ Oecolampadii, & inde Meleh. Adam. in vitis Germanor. Theol.

Digitized by Google

Christi 1518. Basileæ (e), qvò tùm ante triennium (f) migraverat Oecolampadius, qvi & ipse in qvadam ad Capnionem Epistolâ Basileæ scriptâ (g) libelli hujus sui meminit. Atqve in eo inter alia testatur (h), se vidisse gravissimos Viros, alioqvi verbi divini non parùm diligentes auditores, qvi eâ horâ domi delituerint, ne talibus nugis contaminarentur: nonnullos item, qvi, ridentibus aliis concionatoris ineptias, indignabundi tam Auditorium, qvàm Concionatorem reliqverint. Hi ergò qvantumvis cum densis adhuc Papatûs tenebris luctarentur, viderunt tamen, qvàm parum convenirent sacris conventibus illæ theatrales ineptiæ. Nam si Seneca Epist. 52. (i) *nihil turpius* esse pronunciat *Philosophiâ captante clamores:* qvid æqvum fuit de Theologiâ statui? Ac leguntur in illâ Epistolâ Senecæ non pauca, qvæ uno alterove immutato vocabulo γελωτοποιοῖς illis non absurdè qvis opposuerit. Ne qvic-

p. 48. (e) hoc titulo: *De risu paschali Oecolampadii ad V. Capitonem Theologum epistola apologetica.* (f) Anno scil. 1515. teste Melch. Adam. d. l. (g) vid. lib. II. epist. illustr. Viror. ad Reuchl. A. 3. (h) p. 6. (i) part. I. Oper. Senec. p. 363. ed. Amstelod. Anno 1619. ubi vide & notas Lipsii.

Digitized by Google

qvicqvam autem hos excusat virtus τῆς εὐτραπελίας, qvam exprobranti Oecolampadio qvidam de ista Mimorum natione objecit (k). Ea enim ipsa εὐτραπελία est, qvam unà cum αἰσχρότητι & μωρολογίᾳ per caput pedesqve præcipitat Apostolus (l) non è templis modò, sed Christianorum cœtibus universis. Reperti fuerunt, qvi dicerent jocis illis diluendũ fuisse, qvicqvid austeritatis resedisset in animis auditorum ex Qvadragesimali jejunio (m). Qvasi ignotum esset orbi Curiorum, istos simulatores toto jejunii tempore Bacchanalia vixisse. Nam qvi dictitarunt tristitiam ex memoriâ Dominicæ Passionis haustam hoc remissionis genere dispungi debuisse (n), in hos planè est, ut in

(k). Verba Oecolampadii p. 7. libelli citat. *Admonuit me inscitiæ meæ, qvipulcherrimam, concionatoriqve in primis necessarium τῆς εὐτραπελίας verbum ignorarem.* (l) loco supra lit. y. citato. Vetus interpres εὐτραπελίας ibi reddit *scurrilitatem.* (m) Testem audiamus Joh. Matthesium loco supra lit n. citato. Etwan pfleget man um diese Zeit Oster-Mehrlein und närrische Gedichte zu predigen / damit man die Leute / so in der Fasten betrübet / und in der Marterwochen mit dem HErrn Christo Mitleiden getragen / durch solch ungereimte und und lose Geschwätz erfreuet und wieder tröstet. (n) respice ad lit. præced.

in blasphemos homines, despuendum. Calix ille, qvi sangvineum sudorem bibenti Domino expressit, merum nectar sapit veris Christianis, Paschales istos risûs nauteâ omni & veneno pejus aversantibus. Qvòd si post vulnerum, colaphorum, spinarum, scuticarum, crucis & lanceæ commemorationem lætiora audire qværimus: obsecro qvi lætior esse nuncius potest, qvàm debellatis hostibus reducem è sepulchro triumphare Salvatorem, Jonæ, Samsonis, Davidis γιγαντοφόνου, ac similes typos implentem? Hæ nimirum svaves illæ historiæ sunt, qvarum recitatione finem olim imponi Paschalibus feriis solitum Valerius scribit Herbergerus (o), ex ejus consvetudinis abusu risûs istos Paschales enatos fuisse autumans. O nos beatos, qvos ex illo Babylonicæ meretricis regno in libertatem asseruit DEUS! Non enim hominum ii risûs fuerunt, sed sarcasmi diabolorum, sanctissimo Paschali gaudio sic illudentium (p). Qvibus per has ferias in

(o) Oster-Schatz p. 2.3. Conf. Matthes. Part. IV. Kirchen-Postill f. 12. ed. Nürnb. Anno 1567.

(p) His diaboli sarcasmis annumerari merentur & illi paschales ludi, de qvibus Durand. Rational. lib. IV. c. 68

in ædibus nostris, in plateis, in templis, in Auditoriis opponemq; sacros hymnos, meditationes devotas, pios sermones, CHRISTI LIBERATORIS victoriam celebrantes. Talis Oratio futura est, qvam crastino manè, in ipsâ scilicet parasceve Paschatos Christiani post octavam horam, ex voluntate nostrâ conscriptam à se, publicè in Majore Principum Collegio pronunciabit politiore literaturâ moribusqve ad honestatem optimè formatis admodùm præstans Juvenis CHRISTIANUS DANIEL SATLER, Patre natus Amplissimæ Dignitatis Viro, Consule Hertzbergensi. Non dubitamus, gratam DEO fore pietatem nostram. Cui ut suam qvoqve addere, celebriq; confluxu testatam facere velint non humaniorum modo Artium, severarumq; disci-

pli-

(cujus inscriptio, de sancto die Paschæ) p. 706. *In qvibusdam qvoqve locis hâc die aleis in natali Prælati cum suis clericis ludunt, vel in claustris, vel in domibus episcopalibus, ita ut etiam descendant ad ludum pilæ, vel etiam ad choreas, & cantus: qvod vocatur libertas Decembrica, qvia antiqvitus consvetudo fuit apud gentiles, qvòd hoc mense servi, pastores, & ancillæ qvædam libertate fruerentur, & cum dominis suis dominarentur, & cum eis facerent festa & convivia post collectas messes.* Sanè mos Clericorum lusus, aleas, cantûs & choreas paschali risui jungit Voetius c. 6. de exercit. fid. pag. 174.

plinarum Studiosi, sed Academiæ qvoq; Magnificus Rector, unà cum aliis Collegiorum omnium Proceribus, debitam cuiqve sive observantiam sive propensionem animi cum studiis prolixissimis pollicentes, majorem in modum rogamus. P.P. Die Passionis τȣ̃ θεανθρώπȣ, prid. Id. April. Anno MDCLXI.

## Programma XXII.

## DE CHILIASMO ET CHILIASTIS,

*Præscriptum Orationi,*
qvam Anno 1661. d. 22. Aprilis habuit
**Fridericus Landsbergerus,**
Dresdensis,
*De felicitate, qvæ anno proximè præterito Europam respexit.*

*Non pendere Sapientem ex futuris, sed exspectare qvidem illa, præsentibus interim frui*, placitum qvondam fuit, ut è Cicerone (a) cognoscimus, Epicuri. Qvâ sententiâ qvid effici ille in vitâ hominis voluerit, difficile dictu est, qvoniam nondum satis deliberarunt Eruditi, utrum virtutis magister haberi ipse debeat, an pædagogus ad flagitia? Qvanqvam



(a) l. de finibus p. 61.

qvam nec causam habemus, cur ullam vivendi regulam velimus debère illi Philosophiæ carcinomati Epicuro: & in hoc ipso argumento expromptum est nobis sapientissimi Regis monitum (*b*): *Tempore boni versare in bono: tempore autem mali utere! Etiam hoc ex adverso illius fecit DEus, ut non possit assequi homo eorum, qvæ instant sibi, qvicqvam.* Singulari consilio Deus hominibus illa celavit, qvæ cuiqve essent, dum fragile seculum colitur, eventura. Nimirum sibi servatam voluit istorum casuum dispensationem. Itaqve nos voce Filii unigeniti vetuit de crastino solicitos esse, Patrem se nobis futurum pollicens, qvi cùm aviculas pascat, floresq; vestiat, non possit non habere rationem nostri longè accuratiorem (*c*). Et est tamen humanæ mentis ea perversitas, ut multi sibi vitam acerbam reddant

(*b*) Ecclesiastæ 7. v. 15. ex versione Tremellii, qvi qvidem versiculum hunc pro 15. numerat 14. Minùs benè hîc alibi vulgata: *In die bonâ fruere bonis, & malam diem præcave. Sicut enim hanc, sic & illam fecit Deus, ut non inveniat homo contra eum justas qveri monias* Rectiùs Lutherus: Am guten Tage sey guter Ding/ und den bösen Tag nim auch für gut. Denn diesen schaffet GOtt neben jenem/ daß der Mensch nicht wissen soll/ was künfftig ist. (*c*) Matth. 6. v. 26. seqq.

Digitized by Google

dant eventuum futurorum anxiâ perſcrutatione, præſentemq; felicitatem faſtidientes circumſpiciant undiqve, num qvi ſe aurei montes vel per ſomnium oſtentent. Nec ſui tantùm cura ſingulos vexat: inveſtigantur etiam fortunæ Imperiorum, & jam veteribus ruinas, jam novis exordia prædicit alius è Babylonicis, alius ex Apocalypticis numeris, alius è viſionibus Danielis aut Esdræ, alius ex vaticiniis veraculorum, qvalem Anglia Merlinum olim, Joachimum Abbatem Italia, non æqvè dudum Germania noſtra Lichtenbergerum, Gallia Noſtradamum aluére. In primis multorum ingenia ſuſpenſa tenuit exſpectatio neſcio cujus aureæ ætatis, qvam in his terris à Mesſiâ ſuo nondum exhibito gens Ebræorum, à JESU redivivo non pauci Chriſtianorum ſibi promiſerunt. Qvod eò minùs miramur, qvòd hanc opinionem videmus ſanctisſimam diſcipulorum Chriſti rationem tam profundè penetraſſe, ut eam ante Pentecoſtes diem profligare ab ſe non potuerint. Cùm præceptum à Salvatore accepiſſent, ne diſcederent ab Hieroſolymis, ſed exſpectarent promisſionem Patris: illicò re-


Digitized by Google

gni terreni imago mentem subibat. Itaqve interrogabant eum [d): *DOMINE, an in hoc tempore restitues regnum Israël?* Somniabant scilicet per morbum suæ genti familiarem, sanctissimi Patriarchæ posteros, qvos regno divinitùs accepto violenta Romanorum arma exuissent, in pristinam esse dominationem à promisso Salvatore asserendos: cùm ea contra decrevisset Deus, eversis Hierosolymis, qvod paulò postea contigit, abolitaqve penitùs populi qvondam sui politia, eum ut pulverem per omnes orbis angulos dissipare. Ac Judæi, ne ab eo qvidem tempore desierunt apertis, ut ajunt, ad omnes fulgurantis ac tonantis cœli minas fenestris, captare adventum Regis sui, nubes aliqvando fortè sic perrupturi. Sed evenit illis, qvod Britonibus, qvorum, ut facetè canit Josephus Iscanus (e),

*---ridenda fides, & credulus error*
*Arturum exspectat, exspectabit qve perenne.*

Et qvanqvam fuerunt inter Rabbinos, qvi nescio cui Cabalæ innitentes certum temporis articulum deprehendisse sibi visi sunt, qvi spei populariter receptæ opta-

(d) Actor I. v. 7. (e) lib. III. de bello Troj. in fine.

Digitized by Google

optatum finem faceret: Paulus tamen, Episcopus Burgensis, doctrinæ opinione primùm inter Judæos, post inter nostros, ad qvos ejuratis erroribus transiit, Vir admirandus ostendit (*f*), omnes terminos, qvos qvidem celebriores suæ gentis magistri Messiæ adventui destinavissent, elapsos esse; etiam hoc addens (*g*), in præcipuis istorum terminorum talia contigisse, qvæ vel maximè facerent sive ad honorem Catholicæ fidei, sive ad Judaici populi confusionem. Sed jam Apostolorum temporibus similis qvædam superstitio Judæorum contage affricata est religioni nostræ, cùm Cerinthus primus Judaicam δολοτέρωσιν commutasset in fabulam mille annorum. Qvam qvo autore Joannes Saresberiensis (*h*) scripserit primùm à Pythagora inductam fuisse, haud facilè dixerim: nisi fortasse collegit hoc è Lanctantio, qvi huc trahit (*i*) illos apud Virgili-



(f) Part. I. Scrutin. Script. dist. 3 c 4. (g) Part. II. dist. 6. c. 10. (*h*) lib. VII. Policr. c 4. in fine: *Impiè tamen fabulam mille annorum primus* (Pythagoras) *dicitur introduxisse.* (*i*) lib. VII. c. 22. *Nam qvòd peractis apud inferos mille annis, rursus ad vitam restitui* (animas) *cecinerunt* (Poëtæ,) Marone ita dicente,

Digitized by Google

um (*k*) mille annos, ab Hieronymo (*l*) rescriptos Pythagoræ (*m*). Cæterùm per antiqvus Ecclesiæ Doctor Papias (*n*), (eorum qvippe, qvi Apostolos familiariter audivissent, auditor,) qvasi acceptum ab Apostolis sermonem propagare cœpit, post resurrectionem primam aliqvando cum sanctis Dominum per mille annos in carne regnaturum. Post Papiam Irenæus qvoqve, Tertullianus, Victorinus Pitabionensis, Lactantius, alii, Chiliasmo (sic

*Has omnes, ubi mille rotam volvere per annos,*
*Lethæum ad fluvium Deus evocat agmine magno:*
*Scilicet immemores supera ut convexa revisant,*
*Rursus & incipiant in corpora velle reverti:*

*hæc eos ratio fefellit, qvòd resurgẽt defuncti non post mille annos mortis suæ, sed ut restituti rursus mille annis cum Deo regnent.* Observa obiter, Chiliastico errori Lactantium qvoqve addictum fuisse. (*k*) lib VI. Æn. v. 743. seqq. (*l*) Apolog. adv. Ruffin. (Tom III Oper. f. 112.) *Audi, qvid apud Græcos Pythagoras primus invenerit. Immortales esse animas, & de aliis corporibus transire in alia. Qvod qvidem & Vergilius in sexto Æneidaq volumine seqvens loqvitur: Has omnes, ubi mille rotam &c.* (*m*) mille annorum (ad Chiliastica somnia utcunqve alludentium) mentionem qvoqve fieri reperies in Platonis X. de Rep. f 761. item in Phædro ejusd. f. 1223. Unde Platonis millenarium annum Chiliastico similem vocat Job. Bapt. Crisp. de Ethn. cautè leg. f. 527. in marg. Futuram, Chiliasticæ utcunqve similem, Remp. in Zoroastris qvoqve dogmatibus, & oraculis Sibyllarum qværit Besoldus discurs. de Rerumpubl. inter se compar. c. 3. (III. Oper. Polit. p. 200.) (*n*) de hoc & aliis Chiliastis vide Calixt. de supremo judicio p. 151. seqq.

Digitized by Google

(sic enim appellatur,] patrocinati sunt: id qvod non Hieronymi (*o*) tantùm è testimonio, sed & ipsorum scriptis (*p*) innotuit nobis: nisi qvòd Commentarius in Apocalypsin, qvi Victorini nomen præscriptum habet, disertè improbat Millenariorum opinionem, ut Doctis non immeritò, si non liber ipse totus, saltem qvod in eo Chiliastis adversatur, suspectæ sit autoritatis (*q*). Nam de Irenæo qvod dubium, cùm in qvinqve ejus adversus hæreticos libris millenarium dogma non compareret, sublatum est, prolatis à Fevardentio, & Parisiensi editioni adjectis ad ultimum librum qvinqve capitibus (*r*), qvibus cæteræ editiones caruerant. Nefas autem sit existimare, qvæ de mille annis opinio Semijudæi fuit Cerinthi, eandem Papiam qvoqve, Irenæum, aliosqve pios Ecclesiæ Patres suam fecisse. Ille enim tale somniabat Christi regnum, qvale Muhammedes postea suos (propè



(*o*) de Scriptorib. Eccles. ubi Papiam memorat, (Tom. I. Oper. f. 126.) Conf. ejusd. proœm. Comment. XVIII. in Esai. (Tom. V. Oper. f. 113.) (*p*) de Lactantio vide supra lit. i. (*q*) Vide Bellarmin. de Script. Eccles. p. 66. Calixt. de supr. judicio p. 157. Rivin. præf. ad scripta duor. Victorinor. p. 13. seq. Jo. de Launoy diss. de Victorino p. 39. (*r*) qvâ de re Pareus in Apocal. p. 1098. 1099. Elmenhorst. not.

Digitized by Google

ſues dixeram ) exſpectare in altera vita vitâ juſſit, corporeis planè voluptatibus ad prodigium diffluens: Hi verò beatum qvidem Eccleſiæ in his terris, ſed intra leges temperantiæ perſeverantem ſtatum animo conceperunt, inducti præcipuè textu vigeſimi capitis Apocalypſeos (s). Sed inſeqventium tamen ſeculorum Eccleſiæ maluerunt interpretationem, qvaliscunqve fuit, inter nævos eorum referre, qvàm iisdem commodare obſeqvium. Ita per annorum plus mille ſpacia dogma illud jacuit propè (t) occiſiſſimum. Ævo ſuperiore cùm purioris Evangelii lux per Lutherum è diuturnis tenebris in auram ſe vindicaſſet, paulò poſt in Anabaptiſtis deliria Cerinthi hæreſiarchæ reviviſcere viſa ſũt, qvaſi per ipſorum cœtûs jamjam inchoanda eſſet regni Davidici novi felicitas. Qvorum tibiis non diſpares citerioribus annis

ad Gennad. de Eccleſ. dogm. p. 155. (s) v. 2.3. ubi expreſſa mentio mille annorum, qvibus draco ligatus. (t) propè inqvam. Nam in Prophetiâ Hildegardis qvædam ejus ſemina obſervavit Beſoldus loco ſupra lit. m. citato p. 202. qvi & p. ſeq. Chiliaſtis accenſet Chriſtianum Belvacenſem & alium qvendam, item p. 207. Joannem Annium Viterbienſem, (de qvo & conſuli poteſt Aventinus lib. VII. f. 349.) Seraphinum Firmanum, & Autorem Onoris Eccleſiæ.

Digitized by Google

nis à Roseæ Crucis fratribus, & asseclis Paracelsi inflatas fuisse, tenemus memoriâ. Qvid illos memoremus fanaticos homines, qvi nuper migrare jussi ex Angliâ, cujus gentis lingvâ Trepidatores vocari accepimus, apud Belgas exscensum fecerunt, faciliùs ibi scilicet, qvàm alibi terrarum copiam sui similium adepturi? Vidimus certè non ita pridem Belgico idiomate exaratam paginam, qvæ spectatum hoc anno Cometen signum esse hariolaretur auspicandæ propediem qvintæ Monarchiæ spiritualium hominum. Nec obliti sumus eorum, qvi superiore bello svavibus insomniis decepti per nostras provincias famam spargerent, felici Svecorum expeditione jam Romam esse, jam Constantinopolin exscindendam, ut per utriusqve Antichristi ruinas ad aureum seculum gradus fieret. Sed horum qvidem prophetiam subvertit eventus. Qvàm verendum est, ne parem exitum sortiatur Andreæ Rallii Occitani Ecclesiastæ computatio, qvi post Piscatorem, Alstedium, Launæum, regni mille annorum novissimus vindex apparuit, vulgato

ante biennium libro (u), qvem Halcyonia Ecclesiarum Evangelicarum inscripsit, Romæ incendium, eâ deletâ Ecclesiæ decem seculorum gaudia præsagiens, tantâ cum fiduciâ maturescentis vaticinii, ut in præfatione (w) scribat: *Nos hoc certè scimus, si Deus nobis non dederit videndum tempus illud beatum hisce oculis corporeis: nos certè hoc certò scimus, datum nobis videre primitias. Utiqve Moses è monte Nebo promissam conspexit terram Canaan: ita concedit Magnus ille Deus istud futurum citò, præsens nunc intueri oculis fidei. Evax, prope adest! jam pulsat fores.* Verùm qvod de prædictionibus Christi pronunciat Augustinus epistolâ octogesimâ (x), id haud dubiè Apocalypticis etiam visionibus accommodare tutissimum fuerit. *In qvibus omnibus*, inqvit, *sunt qvædam manifesta, qvædam verò sic obscura, ut vel laboriosum sit ea dijudicare, vel temerarium, qvàm diu non intelligantur, de his aliqvid definire.* Nam, (qvod in eâdem epistolâ (y) Sanctus Pater scribit,) *si Apostolis dictum est,* non

(u) Genevæ Anno 1659. hoc titulo: *Halyconia Ecclesiarum, sive de regno Christi glorioso in terris, ubi aperitur mysterium Regni mille annorum.* (vv) sub fin. (x) Tom. II. oper. f. 359. (y) f. 362.

Digitized by Google

non est vestrum scire (z): *quantò magis qvilibet homo, qvalis ego sum, modum suum debet agnoscere, ne plus sapiat, qvàm oportet sapere.* Qvamobrem rectissimè illi faciunt, qvi præsentis, qvantulacunqve est, felicitatis copiâ in timore Domini frui malũt, qvàm obsignatis ab ipso Deo futuri seculi gazis malefidam clavem adhibere. Qvo nomine mirificè placuit nobis consilium politissimi, & ingenuam indolem ornantibus doctrinis instructissimi Juvenis, FRIDERICI LANDSBERGERI, Dresdensis. Qvi cùm decrevisset, anteqvam ex Academiâ nostrâ in alias transiret, Magnifico Rectori, Patribus Academicis, totiqve Literato Ordini eruditionem suam faciendis in publico verbis approbare, id argumentum Orationi elegit, qvod animum ab illâ futurorum eventuum caligine ad ea se revocantem, qvæ præsens Dei benignitas cumulatim admetitur nobis, argueret. Eapropter, ut horam à nobis petenti facilè indulsimus, ita nunc ab Adolescentis doctissimi Patronis, qvos eum arbitros optare sibi temporis apud nos non malè collocati dixi-

(z) *Act. I. v. 7.*

Digitized by Google

diximus, Magnificis, plurimùm Reverendis, Consultissimis, Experientissimis, Clarissimisqve Viris majorem in modum contendimus, ut cras post sacrum matutinum in Auditorio nostro *de Felicitate, qvæ anno proximè præterito Europam respexit*, dicturum perqvàm honorificâ suâ præsentiâ dignari velint. Nobilissimi ejus præstantissimiqve Commilitones qvin ultro advolaturi sint, qvanqvam minimè dubium habemus, tamen ut hâc nostrâ qvoqve compellatione benevolè invitatos se intelligant, celebritatem illorum non magis Oratori nostro, qvàm Nobis gratam fore testamur. P.P. Dominicâ Qvasimodogeniti, XI. Calend. Maji Anno M. DC. LXI.

## Programma XXIII.

## DE OPERE SANCTIFICATIONIS,

*Præscriptum Orationi,*

Qvam Anno 1661. d. 1. Junii habuit

Johannes Andreas Weissius,

*De*

*Spiritu S. piorum cordium Hospite.*

*DOMINE Dominus noster, qvàm admirabile est nomen tuum in universâ terrâ!*

Digitized by Google

*rà! Qvid est homo, qvòd memor es ejus? aut filius hominis, qvoniam visitas eum?* Incinuit hunc hymnum omnipotenti Deo sanctismus ejus Propheta David (*a*), cùm reputaret insigne beneficium, qvod in diebus Creationis collatum est humano generi, cùm natura ejus, paulò qvidem inferior angelicâ sublimitate poneretur, infinitis tamen animantium formis juberetur dominari. *Minuisti* enim, inqvit (*b*), hominem *paulò minùs ab Angelis*, sed *gloriâ & & honore coronasti eum. Et constituisti eum super opera manuum tuarum: omnia subjecisti sub pedibus ejus; oves & boves universos, insuper & pecora campi; volucres cœli, & pisces maris, qvi perambulant semitas maris.* Qvid vetat, qvo minùs hoc piissimi Regum cantico utamur nos & ad reliqva ter-venerandi Numinis celebranda beneficia, qvibus hanc alioqvi miseram & lacrymabilem massam in celsissimo dignitatis solio collocavit? Visitavit nos Deus *Pater*, cùm crearet; visitavit Deus *Filius*, cùm redimeret; visitavit Deus *Spiriritus Sanctus*, cùm sanctificaret. Qvis in his singulis non exclamet cum Davide:

(*a*) Psalm. 8. v. 5. (*b*) v. 6. 7. 8. 9.

Digitized by Google

de: DOMINE *Dominus noster, qvàm admirabile est nomen tuum in universâ terrâ! Qvid est homo, qvòd memor es ejus? aut filius hominis, qvoniam visitas eum?* Salutaris est visitatio prima; sed salutarior secunda; tertiâ verò ne optari qvidem salutarius qvicqvam potest. Adeò cum numero crescit beneficiorum excellentia. Conditi sumus ex limo terræ, & majores facti omnibus corporibus, in qvibus est spiraculum vitæ: sed minores Angelis. Atqvi etiam his majores Filii fecit incarnatio. *Nusqvam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit* (*c*). Porrò Filius, cùm semine mulieris se vestivisset, contrivit ipse qvidem caput serpentis (*d*): sed ut idem nos qvoqve faciamus, ut *sub pedibus nostris conteratur Satanas* (*e*), *ut exstingvamus omnia tela neqvissimi ignea* (*f*), Spiritûs Sancti opus est, scuto fidei, & galeâ salutis, & gladio suo (*g*) nos armantis. Creavit nos Pater? Creavit & Angelos, *qvi non servaverunt suum principatum, sed dereliqverunt suum domicilium, & in judicium magni diei vinculis æternis sub cali-*

(*c*) Hebr. 2. v. 16. (*d*) Gen. 3. v. 15. (*e*) Rom. 16. v. 20. (*f*) Eph. 6. v. 16. (*g*) ibid. v. 17.

Digitized by Google

*caligine reservantur* (*h*). Redemit nos Filio & Redemit eos, *qvi ipsum conculcant, & sanguinem testamenti pollutum ducunt, in qvo sanctificati sunt, & Spiritui gratiæ contumeliam faciunt* (*i*). *Lucebat lux in tenebris, sed tenebræ eam non comprehenderunt* (*k*), donec *Deus, qvi dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi JESU* (*l*). At hæc Spiritûs Sancti gratia est, qvem ubi semel pectora nostra conceperunt, ad beatitudinem summam nihil reliqvum nobis est, nisi ut hospitem tam sanctum ne cogamus excedere. Qvid ergo? Præferemusne Patri & Filio Spiritum Sanctum, si in opere ejus magis acqviescimus? Absit hoc à nobis longissimè, qvi æqvalem ut Filium Patri, sic utriqve profitemur Spiritum Sanctum. Præclarè Origenes (*m*): *Ne qvis existimet, nos ex eo, qvòd diximus, Spiritum Sanctum solis sanctis præstari, Patris verò & Filii beneficia vel inoperationes pervenire ad bonos & malos, justos & injustos, prætulisse per hoc Patri & Filio Spiritum San-*

(*h*) Epist. Judæ v. 6. (*i*) Hebr. 10. v. 30. (*k*) Joh. 1. v. 5. (*l*) 2. Cor. 4. v. 6. (*m*) lib. I. περὶ ἀρχῶν c. 3. (f. 677. oper. Orig. ed. Basil. Anno 1620.)

Digitized by Google

*Sanctum, vel majorem ejus per hoc asserere dignitatem. Quod utique valdè inconsequens est. Proprietatem namque gratiæ ejus operisque descripsimus. Porrò autem nihil in Trinitate majus minusve dicendum est, cùm unius Divinitatis fons Verbo ac Ratione suâ teneat universa, Spiritu verò oris sui, quæ dignæ sunt sanctificatione, sanctificet.* Nimirum unus essentiâ, & idem trinus personâ Deus omnia in omnibus operatur. Sed cùm in numero personarum servandus sit aliqvis ordo, talem se nobis manifestavit ipse, ut intelligamus principio maximè salutis nostræ Patrem, medio Filium, fini Sanctum Spiritum intercedere voluisse. Itaqve singula Divinæ in nos Misericordiæ monumenta sic accepta referimus singulis Sacrosanctæ Trinitatis Hypostasibus, ut in singulis tamen omnem infinitæ essentiæ plenitudinem atqve præsentiam admiremur. Qvidenim est, qvòd formationem hominis deliberans Deus secum ipso numerô multitudinis loqvitur (*n*): *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*: nisi ut sciamus, Filio qvoqve & Spiritui Sancto suas hîc partes neutiqvam defuisse? Por-

(*n*) Gen. i. v. 26.

Porrò ſolus qvidem Filius induit carnem noſtram, ſed ex conſilio Patris, mundum ſic diligentis, ut pro eo daret unigenitum (o), nec ſine operâ Spiritûs Sancti, Mariæ virgini ſuperveniens (p). Jam ut de Sanctificationis meritò loqvamur, annon Spiritum illum regenerationis, qvem incolam accipiunt corda noſtra, Pater & Filius ablegaverunt? *Expedit vobis*, inqvit Salvator (q), *ut ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos. Paracletus* (r) *autem Spiritus Sanctus, qvem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, qvæcunqve dixi vobis.* Hoc igitur in primis die, qvo ſe Pentecoſtali celebritati præparat Eccleſia, mutuemur hymnum Regii Pſaltis, & noſtrum faciamus: DOMINE DEUS Pater, *Dominus noſter, qvàm admirabile eſt nomen tuum in universâ terrâ! Qvid eſt homo, qvod memor es ejus? aut filius hominis, qvoniã* in virtute Spiritûs tui recti, Spiritûs tui S. Spiritus tui principalis (s), *viſitas eum*? Jubilemus cum B. Auguſtino

Q (t),

(o) Joh. 3. v. 16. (p) Luc. 1. v. 35. (q) Joh. 16. v. 7. (r) Joh. 14. v. 26. (s) Pſalm. 51. v. 12. 13. 14.

Digitized by Google

(t): *Qvanta & qvàm ineffabilis pietas Redemptoris! Hominem portavit ad cœlum, & Deum misit ad terras! Qvanta est authori cura pro instauratione factura sua! Ecce iterum nova de supernis medicina mittitur! ecce iterum infirmos suos per se ipsam majestas visitare dignatur! ecce iterum humanis divina miscentur! id est, Vicarius Redemptoris, ut beneficia, qva Salvator Dominus inchoavit, peculiari Spiritus Sancti virtute consummet, & qvod ille redemit, iste sanctificet; qvod ille acqvisivit, iste custodiat: ac sic unitas Deitatis per unitatem gratiæ ac muneris approbatur, ut Spiritus Sanctus, Deus in substantiâ unus, in personâ alius, aqvali miseratione unicus, aqvali reverentiâ sit colendus. Ergò Spiritus Sanctus in hâc die ad præparata sibi Apostolorum suorum templa, velut imber sanctificationis, illapsus est: non jam visitator subitus, sed perpetuus consolator, & cohabitator æternus. Nam sicut de semetipso Apostolis suis dixerat (u)*: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usqve ad consummationem seculi: *ita etiam de Spiritu Sancto*, Paracletum, *inqvit (w)*, dabit vobis Pater, qvi vobiscum sit in æternum. *Affuit*

(t) Serm. 185. de temp. Tom. X. Oper. f. 1007.
(u) Matth. 28. v. 20. (w) Joh. 14. v. 16.

Digitized by Google

*fuit ergò in hâc die fidelibus suis non jam per gratiam visitationis & operationis, sed per ipsam præsentiam majestatis: atqve in vasa non jam odor balsami, sed ipsa substantia sacri defluxit ungventi, ex cujus fragrantiâ latitudo totius orbis impleretur, & appropinqvantes ad eorum doctrinam Dei fierent capaces atqve participes.* Qvod ungventum hîc est Augustino, id devotus Abbas Bernhardus vinum vocat (x), dulcissimis verbis, & hîc etiã legi dignis: *Hoc vinum vera illa vites fuderat de excelso, vinum lætificans cor, non statũmentis, evectens vinum germinans virgines, non apostatare faciens sapientes. Novum vinum, sed habitantibus super terram. Nam in cœlis qvidem olim copiosissimè redundabat, non in utribus, nec in testeis vasis, sed in cellâ vinariâ, in spiritualibus apotheciis. Fluebat per vicos & plateas omnes illius civitatis vinum, in qvo lætitia cordis, non carnis luxuria est: nam terrigenæ & filii hominum vinum ejusmodi non habebant. Sic igitur cœlum qvidem vino proprio fruebatur, qvod terra interim nesciebat: sed ne ipsa qvidem terra penitus inops carne Christi gloriabatur, cujus præsentiam nihilominus*



(x) serm. 3. in fest. Pentec. Tom. II. Oper. f. 101.

Digitized by Google

*cœlum sitiebat. Qvidni fidelissimum fieret gratissimumqve commercium inter cœlum & terram, inter Angelos & Apostolos, ut exhiberetur illis caro Christi, istis vinum cœli, essetqve in terrâ spiritus, caro in cœlis, ac deinceps omnia omnibus communia in æternum?* Benè addis, Pater melliflue, omnia omnibus in æternum communia esse. Nam, ut hoc nobis iterum de suo largiatur Hipponensis Antistes [y], *magna planè gratia, duplex gaudium, qvòd abeuntem Christum non amisimus, & venientem Spiritum possidemus.* Cum Christo autem fieri non potest, qvin & Patrem habeamus. Sic enim ipse promisit (z): *Si qvis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Imò sic & promisit Pater apud Prophetam [a]: *Erit tabernaculum meum in eis: & ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus. Et scient gentes, qvia ego Dominus Sanctificator Israel, cùm fuerit sanctificatio mea in medio eorum in perpetuum.* O præclarum Sanctissimi Spiritûs beneficium! qvo mortalem folliculum corporis nostri subeunte, tota Trinitas Beata

(y) Augustin. serm. 183. de temp. Tom. X. Oper. f. 100.
(z) Joh. 14. v. 23. (a) Ezech. 37. v. 27. 28.

Beata dignatur nos pro suo palatio sic incolere, ut corpora nostra membra sint Christi (*b*), & membra nostra membra Spiritus Sancti (*c*), & Spiritus noster Spiritus Dei. Etenim, qvemadmodum Christus adventu suo in carnem, qvod nostrũ est, effecit suum: sic Spiritûs sui in Ecclesiam effusione, qvod suum est, dedit nobis ut ipse nobiscum una caro, nos cum eo vicissim unus efficeremur spiritus. Dicamus nos ad eum: *Hæc est caro de carne nostrâ*; Respondebit ipse nobis: *Hic est Spiritus de Spiritu meo.* Poteratne ulla inter divinam naturam humanamqve excogitari arctior conjunctio? *Qvod* enim *anima est corpori hominis, hoc est Spiritus Sanctus corpori Christi, qvod est Ecclesia* (*d*). Triumphat Salomon, cùm imperatum sibi à summo Numine templum dedicaret ipsi? *Domine Deus Israel*, inqvit (*e*), *non est similis tui Deus in cœlo desuper, & super terram deorsum: qvi custodis pactum, & misericordiam servis tuis, qvi ambulant coram te in toto corde suo. Qvi custodisti servo tuo David, Patri meo, qva locutus es ei:*



(*b*) 1. Corint. 6. v. 15. (*c*) ibid. v. 19. (*d*) Augustin. Serm. 186. de temp. Tom. X. Oper. f. 1011. (*e*) III. Reg. 8. v. 23. 24.

Digitized by Google

*ore locutus es, & manibus perfecisti, ut hæc dies probat.* Et nos non triumphemus, qvos Deus non ædificatores templi sui, sed ipsos templum esse suum jussit? Neq; verò lapides & cæmenta præsentem sibi Deum agnoscunt, qvippe sensu omni destituta materies: anima hominis agnoscit, qvam ad similitudinem sui effigiavit Creator. Sed de hoc argumento, qvemadmodum scilicet *Spiritus Sanctus piorum cordium hospes* sit *atqve incola*, plura verba crastino manè ex inferiore Auditorii Philosophici cathedrâ facientem dabimus. Optimi qvondam in hâc urbe Civis filium JOHANNEM ANDREAM WEISSIUM, Juvenem eruditũ & pium. Qvare Magnificum Academiæ Rectorem, Facultatumqve omnium Doctores, Licentiatos & Magistros, excellenti autoritate & præclarâ existimatione Viros, rogamus decenter, ut huic recitationi honorificam præsentiam suam horâ octavâ commodare dignentur. Idem nobis officium Studiosos eximios ac præstantissimos ultrò daturos confidimus. Nemini peribit tempus, qvod in meditatione Pentecostali collocabitur: neqve nos patiemur animum memo-

mo-

morem referendæqve cupidum gratiæ à nobis desiderari. P.P. pridie Calend. Junias Anno M. DC.LXI.

********:**********

# PROGRAMMA XXIV.
# DE ARTE MEDICA,

*Præscriptum Orationi,*

Qvam Anno 1661. d. 26. Junii habuit

JACOBUS HOLTZAPFEL, Mœno-Franco-furtensis,

*Adversus Medicinæ vituperatores.*

CUm versus Homeri (*a*) etiam pueris notus Medicum faciat multis aliis præstantiorem, miretur aliqvis qvid in mentem venerit Virgilio, Homerici carminis imitatori aliàs studiosissimo, ut *Medicum Japidem inglorium, & artes* ejus *mutas* vocaret. Sunt enim ejus ex ultimo Æneidos libro hi versûs (*b*).

*Jamqve aderat Phœbo ante alios dilectus* Jäpis
*Jasides, acri qvondam cui captus amore*
*Ipse suas artes, sua munera lætus Apollo*
*Augurium, citharamqve dabat, celeresqve sagittas:*

Q 4 *Ille*

[a] *Iliad.* A. *v.* 514. Ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. (b) XII. *Æneid. v.* 391. *seqq.*

Digitized by Google

*Ille ut depositi proferret fata Parentis*
*Scire potestates herbarum, usumqve* medendi
*Maluit, & mutas agitare* inglorius artes.

Qvibus verbis id significat Princeps Poëtarum, Jasi filium Japidem Apollini tam carum fuisse, ut optandi ab eo potestatem acceperit, sive augurali scientiâ, sive fidium tangendarum peritiâ, sive arte jaculandi, sive deniqve medicâ facultate eminere super alios vellet: (Harum enim omnium virtutum præsidem, & hominibus dispensatorem Apollinem illa sæcula credebant:) sed Japidem, qvòd deploratâ valetudine Parentem haberet, cæteris votis Medicinam prætulisse, ut genitori hoc pacto, qvam ab eo accepisset, vitam redderet; adeoqve pro pietate in Parentem suum maluisse *mutam artem* factitare *inglorium*, qvàm summâ cum nominis sui existimatione Vatem agere, aut citharœdum, aut jaculatorem. Hæc ergò qvis in Virgilio legens non stupeat, medendi artem sic ab eo contemptim habitam, ut inferiorem faceret etiã venandi, etiã nervos pulsandi studio? Qvis non aut judicium reqvirat Poëtæ, si Medicina commendari satis non potest;

test; aut, si ille non est nugatus, hujus suspectam habeat præstantiam? Verum & Virgilium, & Apollineam artem pariter à reprehensione vindicant commentarii Serviani, qvi versûs illos non de qvalibet Medicinâ, sed eâ, qvam *Empiricen* vocamus, interpretantur (*c*). Nam qvòd Joannes Ludovicus de la Cerda (*d*) sibi debere gratiam Medicos ait, qvi Virgilium inclusérit intra cancellos solius Empiricæ, nimirum sibi rapit, qvod erat Servii. Proditum est memoriæ, duas olim inter Græcos fuisse Medentum sectas, *Empiricam* & *Dogmaticam*, qvarum illa solis experimentis, unde & nomen traxit, subnixa fuerit, hæc usui rationem addiderit, Rationalis inde appellata, Medicinamq; non parùm aliàs claudicantem integritate suâ donaverit. Sed Dogmaticam certè vetustate antegressa est Empirice, sic ferente ipsâ hominis naturâ, ut qvæ ad rationem non aliter qvàm per sensûs progredi soleret. Qvan-



(*c*) Verba Servii ad h. l. f. 1774. (ed. Virgil. Basil. Anno 1561.) Usumqve medendi) *ἐμπειρίαν scientiam, hoc est, medicinam in usu, non ratione constantem.* (*d*) *Debent*, inqvit ipse ad h. l. f. 716. *certè mihi gratiam Medici, qvi Virgilium inclusi intra cancellos solius empiricæ, ac proinde exclusi illum à clinicâ.*

qvam enim jam Æsculapii filius Podalirius in abditas morborum causas inqvirere cœperit ejusqve Medicinæ Principia condere, qvæ posteà dicta est λογικὴ seu rationalis: tamen præcipuas sibi partes tam diu sumpsisse experientia videtur, donec rationali disciplinæ majestatem primus ac splendorem afflaret Hippocrates, qvem verisimo elogio Cornelius Celsus (e) omnis vocat Medicinæ parentem. Ab eodem Celso (f) & illud observatum est, Podalirium & Machaonem bello Trojano non in variis generibus morborum aliqvid tulisse auxilii, sed vulneribus tantùm ferro & medicamentis mederi solitos, unde appareret has partes medicinæ solas ab his esse tentatas, easqve esse vetustissimas. Constat autem, qvi manu curant, indeqve nomen græcum (g) invenerunt, ab iis usum & experientiam reqviri, rationis & doctrinæ minimum flagitari. Qvapropter talem omninò cum Japidem suum vellet facere Mantuanus Vates, (qværebatur enim, qvi sagittâ istum Æneam curaret) Em-

(e) proœm. lib. VII. (f) proœm. lib. I. (g) vocantur enim Chirurgi.

Empiricum facere debuit, in ea præsertim tempora conjectum, qvibus ad Dogmatici nominis celebritatem Artium utilissima nondum profecisset. Vide autem, qvàm ingeniosè maximus Poëtarum hoc ipsum, qvod diximus, significatum iverit. Nam ut in eo, qvod Japidi *usum* medendi tribuit, satis manifesta est ad Empiricen allusio: sic idem qvoqve rectè innuunt verba tùm ea, qvibus Jasum *depositum* [*b*], tùm qvibus artem Japidis *mutam* cognominat. Solebant olim, qvi periculoso morbo laborabant, desperatâ jam salute pro foribus domorum collocari, ut si qvi fortè transeuntes è simili morbo convaluissent, horum de consiliis curarentur [*i*]. Ab hâc collocatione depositos vocaverunt latini, qvanqvam consvetudo ipsa plurimarum fuit gentium [k]. Qvam Plutarchus [l] & Maximus Tyrius [*m*] memo-

(*h*) respice ad versum: *Ille ut depositi &c.* (*i*) vid. Servium ad hunc versum. (*k*) conf. Heins. ad Maxim. Tyr. p. 143. Jo. Henr. Ursin. Acerr. Philol. p. 256. (*l*) libell. *an rectè sit dictum, latenter esse vivendum?* (λάθε βιώσας.) Part. II. Moral. p. 116. ed. Francof. A. 1592. (*m*) Dissert. XL. p. 399. 400. ed. Lugdun. Batav. A. 1614. cum not. Heins. Utriusqve (Plutarchi, & Max. Tyrii) locum notavit Tiraqvellus de Nobilitate, cap. 31. n. 40. f. 92. ed. Venet. A. 1574.

Digitized by Google

morantes isthoc pacto ajunt medendi artem crevisse; illam scilicet, cui nomen fecissent experimenta: nam sic eam rem Joannes Heurnius interpretatur, celeberrimi nominis apud Batavos ævo superiore Medicus, cujus verba [n] adscribere visum est: *Cùm ægri*, inqvit, *in compita deferri, & à prætereuntibus remedia sciscitari inciperent, inde Empirica secta enata fuit, qvæ ab usu artem solo petebat.* Jam qvòd artes Japidis *mutas* appellat Maro, neq; hoc aliò pertinet, qvam ad Medicinam Empiricam. Nam ut Scriptoribus latinissimis [o] passim *mutæ* qvadrupedes, *mutæ* animantes, *mutæ* pecudes idem sunt, qvod ἄλογοι seu *carentes ratione*: pariter hîc apud Virgilium artem non meliùs Græcè reddas, qvàm τὴν ἄλογον τέχνην. Sic enim accepimus, Empirici qvi essent, rationem prorsus repudiâsse, cùm qvidem ita dissererent, supervacaneam eam esse, si idem, qvod usus, traderet; falsam, si ab illo rerum magistro diverteret in contrarium [p]. Qvæ convicia tametsi non ab illis Heroicorum temporum

(n) lib. I. Inst. Med. c. I. (o) Ciceroni, Horatio, Senecæ, Petronio, Plinio, Fabio, Lactantio & aliis. (p) vid. Heurn. loc. cit.

Digitized by Google

rum Empiricis ſparſa videntur : qvalis tamen cunqve eorum ars fuit, rationis certè & intelligentiæ atq; literarum fuit expers, ut hoc nomine meritò potuerit contra λογικὴν illã muta vocari & ἄλογον. Fuerunt qvi Virgilii mentem inde exponerent, qvòd tota Medicinæ vis in operationibus ac remediis potiùs, qvàm ſermonibus atq; eloqventiâ collocetur. Qvam interpretationem Fulvio Urſino tribuit eruditisſimus Mercurialis (q), ſuoqve approbat ſuffragio: qvanqvam ante Fulvium idem Petrarchæ in mentem veniſſe Invectivæ ejus in Medicum qvendam, in ſummâ ſuæ artis ignorantiâ minimè elingvem, declarant: *Nec à caſu*, inqvit (r), *medicinam Virgilius mutam vocat, ſed qvoniam muta debet eſſe, non loqvax*: *vos*

(q) lib. III. Var. Lect. c. 13. Citat Fulvium Urſinum è Mercuriali etiam Biſciola tom. I. ſubſeciv. lib. XIII. c. 10. f. 980. Qvi alias f. præc. *mutam*. Medicinam ait appellatam à Virgilio, ſi cum Muſicâ conferatur: mox & Gorgiam affert Platonis, ubi diſtinctio artium vocalium à mutis. Verùm ibi Platonis ipſa, qvæ Biſciola profert, verba unà cum Rhetoricâ Medicinam conjiciunt in eandem claſſem artium, nempe vocalium. Parum ergò locus ille Platonis ad rem. Sed non inſolens hoc eſt Biſciolæ, ut congerat potiùs, qvàm digerat. (r) Invectiv. III. contra Med. p. 335. Petrarcham qvoqve citat Tiraqvellus c. 31. n. 415. f. 257.

*vos autem eò rem deduxistis impudentiâ vestrâ, ut de mutis parabolani* [s] *dici meruerit is.* Meibomius [t] cùm hanc Fulvii Urfini aliorumqve cum eo sentientium expositionem protulisset, hæc subdit: *Et ego, qvod pace aliorum interpretum dixerim, non ineptum putaverim, si qvis artem nostram etiam hanc ob causam à Poetâ mutam vocari censeat, qvòd taciturnum Medicum esse oporteat, & cumprimis silentio ea premere, qvæ ab ægris ipsi concreduntur, qvæq; secreta hi esse cupiunt, & aliis aut in vulgus esse nota minùs conducit.* Veruntamen nec Medicum dedecet facunda Oratio, in tempore ad ægrum adhibita; neq; si Medicinam commendat silentium, artem Japidis, qvem mox inglorium vocaturus esset, eâ parte, qvâ laudabilis foret, nominare Virgilius videtur voluisse. A cujus mente qvàm longissimè dixeris eos recessisse, qvi mutas artes, ut è Servio

(s) I e. loqvaces. Nam, ut Vossii verbis utar IV. de vit. Serm. 16. p. 720. *Parabolare, notat loqui; ac parlare Gallicum ex parabolare factum est* Ὁ συγχωρῶν. Notandum interim, cur Mediti dicantur parabolani, non eandem esse omnium sententiam. vid. Joseph. Laurent. Polymath. lib. II. Differt. 21. f. 127. seq. & confer, qvæ prope finem Programmatis hujus è Villanovano proferentur. (t) c. 29. in jusjur. Hippocr. p. 192.

Digitized by Google

vio (u) cognoſcimus, tactum venæ interpretati ſunt, ſi hoc putaverunt ad doctrinam Herophili pertinere, qvi venarum pulſum per gradûs ætatum in muſicos pedes deſcripſit [w]. Eqvidem arteriarum illos modulos mutas artes, mutas hârmonias eleganter dici poſſe, non abnuerim, nec enim audiendo, ſed tangendo leges illæ, ut Plinius [x] vocat, metricæ percipiuntur. Verùm ſi hoc maximè admittamus, non Medicus, ſed venæ artes illas agitare dicendæ fuerunt. Condonemus & hoc: qvis credat, in illâ primâ Medicinæ ruditate, qvam Æneæ tempora præ ſe ferebant, ſubtiliſſimam Herophili ſcientiam fuiſſe à Virgilio in Chirurgum collatam? præſertim qvam conſtaret hâc ipſâ de cauſâ deſertam poſteà, qvòd in ea neceſſe foret ſcire literas [y]. Et qvomodo inglorius Japis, ſi eam calluit diſciplinam, qvæ Herophilo ſummam conciliavit nominis celebritatem?

(u) Hic ad v. 396. ita commentatur: Poteſtates herbarum.) vim, poſſibilitatem. *Nam in herbarum turbâ nulla eſt ratio: undè etiamne ait*, mutas artes; *licèt alii mutas artes tactum venæ velint, alii mutas artes Muſicæ comparatione.* (W) Plin. lib. XXIX. c. 1. (x) lib. XI. c. 37. (y) Idem iterum lib. XXIX. c. 1.

Digitized by Google

tatem? Enimverò Medicis iter ad gloriam maximè aperuit eruditæ cognitio doctrinæ. Qvæ cùm in Hippocrate maxima fuerit, in Medicis ante ipsum propè nulla, non difficile est, rei, qvæ Plinio (z) mira videtur, causam reperire, cur scilicet inde à Trojanis temporibus usqve ad Peloponnesiacum bellum, [hoc est, per annos plus septingentos,] in nocte densissima latuerit Medicina. Qvæ nox & Japidem comprehendebat, nisi suis artibus inglorio qvantulamcunqve lucem Virgilii carmina & Ausonii [a] affudissent, aut etiam prorsus anonymo nomen aliqvod dedissent. Deniq; & in eo decorum observatum dicas, qvòd in persanando Æenea [b] omnis irrita fuisse canitur Japidis opera, ut à Venere occultè qvasi δόλῳ μηχανῆς subministratas herbas & succos laboranti non minùs Medico qvàm ægroto subvenire oporteret (c). Videbat perspicacissimus Poëta, concinniùs depingi Empiricum, si qvantum à ratione, tantundem à fortuna destitui memoraretur. Nam qvod ne in Apol-

(z) d. l. (a) Epigr. 19. (b) Huic enim vulnerato lapidem adtuisse memorat Virgilius. (c) Inspice Virgilium v. 411. seqq. *His Venus indignata nati concussa dolore &c.*

Apolline qvidem, auctore Medicinæ, qvicqvam auxilii fuisse proditur [d], in eo nimirum Apollineæ artis infantia demonstrata est & ruditas. Adeò ab omni parte prospexit sibi Virgilius, ne, dum artificem, ut illa ætate, non pessimum laudaret, simul ipsius artis inertiam laudare videretur. Porrò qvi Empiricæ factionis tàm malignus præco est, is eo ipso germanam illam & Rationalem Medentium familiam celebrasse censeri debet. Hujus enim laudes crescunt ex opprobriis adversariæ sectæ, certè non minuuntur: Et cur, amabo, Dogmaticis lumbi doleant, si Empiricos Virgilius ut inglorios, Heraclitus (e) ut impostores & falsarios, (ἀπατεῶνας καὶ φένακας.) nescio qvis apud Athenæum (f) ut Grammaticis stultiores incessit? ὦ φεγγὸς Ἱπποκλείδου. Postqvam sapere didicit Medicina, sensuumqve & experimentorum subsidiis intelligentiæ lumen addere, longè aliud illi acroama Orbis accinit. Nihil eâ preciosius, nihil opportunius, nihil venerandum magis ab im-

R mor-

(d) v. 405. 406. *nihil auctor Apollo subbenit.* (e) Epist. ad Amphid. cujus initium: συνῆλθον. (f) Athen. cit. Mercurial. III. Var. Lect. 19.

Digitized by Google

mortali Deo ægris esse mortalibus concessum, nemo tam infensus est valetudini suæ, quin & tacitus agnoscat apud se, & prædicet gratus apud alios. Tanti profectò Aristoteles noster Medicos fecit dogmaticos, ut ab invisâ & inauspicatâ Empiricorum turbâ perqvàm honorifico τῶν χαριέντων, sive *gratiosorum* titulo separandos putaverit. Qvâ in voce elegantioris culturæ, supraqve vulgum enitentis, & honestissimis rationibus gratiam sibi & amorem qværentis ingenii laudem esse, facilè ex aliis Philosophi textibus persvadeas, ubi τὰς χαρίεντας jam τοῖς πολλοῖς (*g*), hoc est, vulgo, jam τοῖς φορτικωτάτοις (*h*), hominibus abjectis, vilibus, sordidis atqve illiberalibus (*i*) opponit, jam eosdem etiam σοφὰς (*k*), sapientes, item νῶν ἔχοντας (*l*), cordatos, qviqve mentem haberent, appellat. Sed juvat de Medicis ipsa ejus verba (*m*) cognoscere: Τῶν ἰατρῶν οἱ χαρίεντες πολλὰ πραγματεύονται περὶ τὸν τοῦ σώματος γνῶσιν θεωρητέον δὴ καὶ τῷ πολιτικῷ περὶ ψυχῆς. Jubet Ethicum doctorem

(*g*) I. Nicom. 4. p. 22. & 5. p. 24. II. Polit 5. p. 103. 104. (*h*) I. Nicom. 5. p. 24. (*i*) Vid. Muret. ad Arist. Nicom. p. 63. (*k*) I. Nicom. 4. p. 22. (*l*) VI. Polit. 5. p. 409. (*m*) è I. Nicom. 13. p. 57.

Digitized by Google

ctorem non minus laboris ac diligentiæ suscipere in pernoscendâ animæ naturâ; qvàm in rimandis humani corporis partibus adhiberi videat à Medicorum Schola gratiosâ. Qvin hoc elogio solos ornet Dogmaticos, dubitare non potest, qvi scit, anatomicam πραγματείαν, ab Empiricis prorsus insuper habitam, à Dogmaticis studiosissimè fuisse excultam. Εἰσὶ μὲν καὶ τῶν ἰατρῶν πολλοὶ, ait græcus Interpres (*n*), καταφρονοῦντες τῆς τοῦ σώματος γνώσεως, ἀλλ' οἱ τυχόντες ἔτοι, καὶ φαύλως ἔχοντες· οἱ δὲ χαρίεντες, καὶ ὥσπερ τρυφόν τι καὶ καθορθωτικὸν ἐν ἰατρικῇ ἔχοντες, οὐκ ἔτως. Ac facit apophthegma Archidami apud Plutarchum (*o*), magnæ dignationis Medico Periandro impolitiem carminis objicientis, cùm eum diceret videri pro *gratioso* Medico, (ἀντὶ χαρίεντος ἰατρῷ,) malum Poëtam appellari cupere: facit, inqvam, hoc Plutarchi testimonium, ut credamus, sectæ Medicorum optimæ, hoc est, Dogmaticæ τῶν χαριέντων



(*n*) Eustrat. ad I. Nicomach. 13. (*o*) apophtheg. Lacon. Tom. II. Oper. Plutarch. f. 218. edit. græcolat. Francofurt. Anno 1620. ubi ἀντὶ χαρίεντος ἰατρῷ Gulielmus Xylander vertit: *proscito Medico*; Philippus Melanchthon explic. Proverb. Salom. c. 27. (II. Oper. f. 924.) *pro eleganti Medico.*

Digitized by Google

cognomen familiariter inter Græcos adhæsisse (*p*), propagatâ ad nostram usqve ætatem nostrasqve Academias consvetudine. Solemus enim Medicorum Collegium nuncupare *gratiosum*: convenientisimâ sanè appellatione, ut qvemadmodum ex titulo *Experientissimorum* (*q*), usum scientiæ addidisse, sic scientiã ipsam possidere, dum audiunt *Gratiosi*, noscantur: genuini videlicet veterum Dogmaticorum successores, qvi literarum notitiam copulent experientiæ, neqve agyrtas empiricos in suis cœtibus ferant, hominum genus non nisi per nundinarum licentias tolerandum, ubi agresti indoctæqve plebi, h. e. sui similibus stentoreo mercium suarum præconio nummulos excantent. Ad *gratiosi* titulum alludere credas hæc verba Petri Blesensis (*r*), qvi ante hos qvingentos annos floruit: *Fre-*

(*p*) conf. Johan. Henr. Meimb. in Hippocrat. jusjur. c. 4. extrem. (*q*) titulum hunc eqvidem indignatur Petrus Castellanus tribui Medicis dogmaticis, relinqvendum videlicet solis Empiricis: verum ipse viderit, an *οἱ τῶν ἰατρῶν χαρίεντες* hoc ejus judicium sint approbaturi. Sic autem ipse loqvitur in vitis Illustr. Medicor. p. 76. *His autoribus* (puta Serapione Apollonio, Glauciâ & aliis,) *Empirica secta jactationem obtinuit, cujus studiosos vocare licet experientissimos, qvod nomen stultissima consvetudine rationalis Medicinæ Professoribus accommodamus.* (*r*) Epist. 43

*Freqventer eqvidem ex aptitudine Medici* gratiosâ (*s*), *& ex qvâdam confidentiâ, qvam ægrotus inde concipit, natura jam deficiens convalescit.* Neqve non hæc Arnoldi Villanovani (*t*), causam, cur Medici parabolani vocentur, volentis reddere: *Doctor* gratiosus *& efficax parabolis utitur ad occulta per sensibilia declaranda.* Sed in laudem Artis gratiosæ ad proximè futurum Mercurii diem horâ octavâ matutinâ plura disseret in Auditorio Majoris Collegii Præstantissimus juxtà ac Politissimus Juvenis JACOBUS HOLTZAPFEL, Mœno-Francofurtensis, Philosophiæ & Medicinæ Studiosus. Cui, cùm orationem obtulisset nobis, in qvâ *Medicinam ab opprobriis vindicat* sic acutè, sic eleganter & facundè, satis ut appareat, ipsum qvoqve Gratiis litasse, minimeq; mutarum artium sectatorem esse, facilè cathedram jussimus patere. Magnificum Academiæ Rectorem, Proceres Reipubl. Literariæ universos, inqve omni Disciplinarum genere qvemcunq; gradum adeptos, Viros Amplissimos, Spe-



(*s*) an forte legendum *gratiosi*? (*t*) parabol. medicat. doctr. 7. c. 3. (f. 1038. edit. Oper. Basil. Anno 1585.) citat hæc ex Arnaldo & Tiraq. de Nobil. c. 31. n. 418.

Digitized by Google

ctabiles, Clarissimos atqve Eximios, eâ qvâ par est cum veneratione rogamus, ut indicto tempore Oratori nostro vacivas ac benevolas aures commodare velint, non nobis tantùm, sed Laudatiss. Medicæ Facultati qvoq; officium ut gratissimum, sic per occasionem vicissim liberaliter demerendum præstituri. Vos autem, Honestissimarum Artium Cultores industrii, qvi hæc legitis, agite, & ut optimi Commilitonis exemplum vos moveat, freqventes intereste! P.P. Dominicâ II. post Trinit. pridiè Festi S. Johannis Baptistæ, An. M DC LXI.

## Programma XXV.

## DE DYSCOLO, ET AUTORE OPERIS DE DISCIPLINA SCHOLARIUM:

*Præscriptum promulgationi Lectionum publicarum Facultatis Philosophicæ,*

Anno 1662. d. 4. Maji.

DUm Negotiatores, qvi lucri faciendi causâ in hanc urbem è variis terrarum locis advenerant, jam sua, finitis scilicet nundinis, convasant,

so-

solenne nobis est, merces nostras, publicarum Lectionum indiculo proposito, palàm proscribere, longè qvidem eas majoris æstimandas, qvàm qvicqvid vel ab Indiâ usq; aut Arabiâ preciosi aromatis advehitur, sed ab his ipsis, qvibus unicè caræ esse debebant, sic contemptas atq; dispretas, ut ne gratis qvidem prostantes attingere pleriqve dignentur: tanta est in Auditoriis publicis solitudo! Nimirum adolescentuli nostri, sive domi statim inter vernarum blanditias corrupti, sive ab ineptis pædagogis malè formati, sive Scholarum qvarundam inferiorum licentiâ & barbarie pessundati, sive his omnibus de causis vitium trahentes, ubi in Academias pedem posuerunt, cùm præ inscitiâ suâ castigatioris sapientiæ cultum capere se vident non posse, ne nihil agant, malè agendo sibi dedecus, aliis molestiam creant. Ac tametsi præclara nos exspectatio sustentat, fore brevi, ut bellum cum Academiarum pestibus (a) commissum nuper, & jam bonam partem profligatum, feliciter tandem, præ-



(a) Innuuntur illi, qvi Pennalismo, (sic enim vocabatur malum hoc epidemium,) tùm erant corrupti.

Digitized by Google

claris Magistratuum cœptis successus prosperos porrò adspirante Deo, conficiatur: supererunt tamen nobis haud dubiè cum reliqviis feralis monstri aliqvot annorum conflictûs ærumnabiles. Verùm adversum hos qvoq; animo generoso & philosophicâ patientiâ educare decretum est. Solatium nobis tùm alia præbebunt, tùm hæc affundet ratio, qvod compertum habemus, multis abhinc seculis alios qvoqve Magistros optimos similibus à probrosa pube intemperiis infestatos fuisse: ut conqveri certè non possimus, novi qvicqvam nobis accidere: qvanqvam, nisi nos rerum facies vehementer fallit, ad hunc proterviæ gradum, qvem scenæ Academicæ illatum coram intueri coacti sumus, nulla ante nos ætas ausa fuit progredi. Age colligamus qvædam memoriæ veteris testimonia. Commemorat *Autor operis de disciplinâ Scholarium*, qvod perperam præ se fert nomen Boëthii, se in Civitate Julii Cæsaris, qvæ Parisius dicebatur, multos *discolos* reperisse. Qvi verò sint *discoli*, ibidem his verbis (*b*) declarat: *Non*

*sit*

(*b*) cap. 2. Verba hæc, mutatis tamen qvibusdam, reperies & apud Vincentium Bellovacensem (cui & Boetius

*sit autem scolaris dyscolus. Dicitur enim dyscolus, quasi à scola divisus. Scola enim græcè dicitur, vacatio latinè: inde dyscolus, quasi vacatione divisus. Dyscolus autem dicitur ille, qui discurrit per vicos & plateas, & tabernas, & meretricum cellulas, per publica spectacula, per pompas & coreas, & per comessationes, & per publicas cenas, & hoc vagis oculis, & effrenâ linguâ, petulanti animo, vultu incompositio. Omnibus his scola postponitur.* Vel hæc insulsa interpretatio convincat, hunc librum non esse Boëthii (*c*). Græca vox est δύσκολος. Utitur eâ noster Aristoteles in Ethicis (d), ubi de comitate disserens ab hâc virtute descisce re ait hinc ἀρέσκους, seu assentatores, illinc δυσκόλους καὶ δυσέριδας, morosos inque contendendo pervicaces. Usurpata est posteà à latinis, sed non optimæ notæ Scriptoribus. Vetus Interpres epistolæ Petrinæ prioris: *Servi subditi estote in omni timore Dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis* (*e*). Videtur legis-



de Scholasticâ disciplinâ citatur, Spec. doctrin. lib. I. c. 30. f. 26. (*c*) ad abjudicandum Boëthio hunc librum utitur & Bisciola Tom. II hor. subseciv. lib. IX. c. 2. f. 622 & ante hunc Henr. Bedel. de epist. confic. p. 64. (*d*) I. Nicom. 6. p. 175. & 177. (*e*) I. Petr. 2. v. 18. Voce *dyscoli* utitur & Juvencus lib. II. Hist. Evangel. v. 689. - - *venietsed dyscolus*

se δυσκόλοις, cùm tamen in nostris codicibus sit σκολιοῖς (*f*). Asperos certè & intractabiles significare voluit. Et in hunc sensum *dyscoli* vox exaudita est, anteqvam græcæ lingvæ ignorantia plenis velis in latinum orbem invecta esset. Vocabularium Vincentii Bellovacensis (*g*): *Discolus, difficilis, indisciplinatus, vel immoralis.* Nec malè Joannes Tortelius (*h*) *toleratu difficilem* interpretatur, qvanqvam minùs benè à χολὴ vel χόλος deducit, & ideò scribi jubet per literam aspiratam dy-

*aliter.* Qvem ad Juvenci locum consuli potest Dan. Heins. Sacr. Exerc. ad N. T. lib. IV. c. 4. p. 206. *Dyscolum* Fabricius Comment. in Poët. Christian. p. 46. interpretatur intractabilem, sui cujusdam juris, sine disciplinâ & bonitate. Petrus Blesensis epist. 129. f. 61. ubi Episcopi officia describit, jubet inter alia, ut ipse sit *mitis inter discolos*, atqve sic mites qvodammodo dyscolis opponit. (*f*) σκολιοῖς Lutherus hîc vertit denen wunderlichen/ Tigurini, *prava.* conf. Laur. Vall. annotat. in N. T. p. 222 (*g*) Spec. doctrin. lib. I. c. 49. f. 49. (*h*) de orthograph. f. 74. Nestor Novariensis à κίλομαι deducit in Lexico suo *ita ut dyscolus is dicatur, cui difficulter jubetur.* Verùm & hæc Nestoris etymologia non magis approbabit se eruditis, qvàm illa Tortelii à χολὴ deducentis. Ineptum qvoq; illud Wesseli seu Basilii Groningensis de potest. Eccles. (p. 750. Oper. ed. Amstelod. Anno 1617.) δύσκολος *est, cui difficile vacatur: Matth. 19.* (v. 23.) *Qvam difficile dives vacat, ut intret in regnum cœlorum.* Nempe δύσκολος derivare voluit à verbo χολάζειν, qvod est vacare.

Digitized by Google

dyscholus: cùm tamen originem debeat verbo κόλον (i), proprieq; signet fastidiosi stomachi hominem, qvi facilè aspernetur cibum propositum. Nimirum nondum plane eluctatus erat Tortelius è voragine seculi inficeti, qvo, qvi Scholæ vocem notissimam haberent, per alium errorem dyscolum exposuerant hominem scholæ, vel publicæ saltem institutionis, fugientem. Vocabularius Gemma Gemmarum inscriptus: *Discholus, discors à scholâ, & dicitur qvasi à scholâ divisus*, Winckel-Schüler. Dicas præ oculis illi fuisse locum Pseudo-Boëthii nostri. Hugo qvoq; Carensis, Erasmo (k) teste, *dyscolis* in Epistolâ Petrinâ interpretatur *indoctis, ineruditis, qvi non sint versati in scholis*; & Beda (l) pro confirmando etymo adducit illud è Psalmo (m): *Vacate & videte*, ubi pro *vacate* Græcis sit σχολάσατε. Hoc sensu ita publicè recepto *Discolatus* qvoqve Apostasiam, & à Scholâ qvasi defectionem significare Scriptoribus

(i) Joh. Scapula in Lexico f. 828. vocabulum δύσκολος adjungit compositis à κόλον, qvod est cibus, ut adeò δύσκολος sit *difficilis in sumendo cibo, qvi est fastidioso stomacho.* (k) Annot. in N. T. f. 749. Conf. Gloss. ordinar. (l) teste eodem Erasmo d. l. f. 750. (m) Psalm. 45. v. 11.

bus medii ævi cœpit. *Impletis vasis Propheticis, & Sanctis Regibus ad Patres appositis, in apostasiam & discolatum versum instabile vulgus in se non retinuit locum, quem posset Spiritus Sanctus inhabitare:* Verba sunt Auctoris incerti (*n*) Sermonum de cardinalibus Christi operibus (*o*), qvem Arnoldum Bonæ Vallis in Carnutibus Abbatem, Bernhardi Clarævallensis æqvalem esse volunt Theophilus Raynaudus (*p*), & Philippus Labbe (*q*): Cypriano certè, sub cujus nomine fucum aliàs illi sermones fecerunt imperitioribus, si nihil aliud, usurpata hoc sensu vox *discolatus* abjudicaret (*r*). Nam ne in Boëthii qvidem ævum, nedum eruditionem Græcè doctissimi Scriptoris, qvadrant illæ ineptiæ de *discolis* à Schola divisis, perq; vicos & plateas discurrentibus. Ut mirum esse dicerem, qvomodo hæc ipsa verba legens Joan. Baptista Pius (s), Vir elo-

(*n*) Salmas. in judic. de libro postumo Grotii p. 172. auctorem medii ævi vocat. (*o*) Serm. de unct. chrism. f. m. 318. (*p*) erotem. de malis ac bonis libris p. 136. Conf. Rivet. lib. II. Crit. sacr. c. 15. p. 233. (*q*) Tom. I. de Script. Eccles. p. 108. & 239. (*r*) Cypriano etiam abjudicant Bellarm. de Script. Eccles. p. 62. & Cassand. schol. in hymn. Eccles. p. 168. (*s*) c. 63. Annot. Poster. (Tom. I. Lampadis Gruteri p. 471.)

Digitized by Google

elogio Magii (*t*) *in antiqvitatibus exqvirendis pernoscendisq;, & bonis autoribus illustrandis neutiqvam suâ ætate postremus*, persvadere sibi potuerit, genuinam esse, istum Boëthii fœtum: nisi appareret, maluisse eum suspicionem incurrere naris obesæ, qvàm jacturam facere inventi sui de Julio Cæsare Parisinæ urbis Conditore, cui unde fidem faceret, præter illam Boëthii simiam, & Poëtam Archithrenium, nominare posset neminem (*u*). Sed illud de disciplinâ Scholarium opus per ὑποβολίαν suppositum fuisse disertissimo Scriptori, vix qvisqvam dubitabit hodiè facilè: ac sunt in manibus eâ de re judicia hominum doctissimorum (w). Verùm & γνήσιον ejus libri Auctorem, qvando illum in hunc diem ignorari ab eruditis video, semelq; placuit evagari, operæ pretium fuerit fortasse hîc indicare. Nam qvòd à Dionysio Rikelio Carthusiano

(*t*) lib. II. Miscell. c. 17. (Tom. II. Lamp. Grut. p. 1346)
(*u*) Vid. Mich. Rit. lib. II. de Reg. Franc. p. 36. Conf. Jan. Parrhas. Syllog. IV. epist. 10. (Tom. I. Lamp. Grut. p. 759)
(*vv*) Glareani, Jul. Martiani Rotæ, Murmellii, præf. & prolegom. in Boëth. Voss. de Poet Latin. c. 5. p. 66. 67. Barth. lib. LV. Adverf. c. 12. f. 2615. Bisciol. Tom. II. Hor. Subcesiv. lib. IX. c. 2. qvi suspicatur esse Petri Blesensis, vel Hugonis Eteriani.

Digitized by Google

ſiano ſcriptus is liber fuiſſe dicitur (x), nihil eſt, cùm mentionem ejus faciat Vincentius Bellovacenſis (y), Scriptor Dionyſium duobus ſeculis antevertens; neqve temerè inſimulatum velim ecſtaticum Doctorem crimine falſi, à qvo ille Pſeudo-Boëthius abſolvi nõ poteſt, qvando ſtudioſè id egit, ut non alius qvàm Boëthius videretur. Cauſam errori dedit, qvod Rikelius eodem titulo, *de diſciplinâ Scholarium*, volumen exaravit. Atqvi diverſum illud eſſe à Pſeudo-Boëthiano, verba utriusq; initialia (z) produnt, qvæ & apud Trithemium (a) legere eſt. Ne diu moremur Lectorem, exſtat Libellus Autoritatum Ariſtotelis & aliorum Philoſophorum, Coloniæ in Chalcographeo Qventeliano ſuperioris ſeculi nono anno impreſſus, in qvo, ubi ad hoc opus Pſeudo-Boëthii perventum eſt, diſertim hæc admonentur, qvæ in aliis autoritatum iſtarum editionibus, qvas qvidem inſpicere nobis datum fuit, mi-

(x) Labb. Tom. I. de Script. Eccleſ. p. 206. (y) Hunc jam ſupra citavi lit. b. Adde jam & alium ejus locum è Spec. hiſtorial. XXI. c. 15. f. 823. (z) Ea verò ſunt in libro qvidem hujus argumenti Pſeudo-Boethiano: *Veſtra novit intentio*; in libro autem Dionyſii Rikelii: *Qvemadmodum Ariſtot.* (a) Catal. Script. p. 43. & 148.

Digitized by Google

minimè legas : *Sequuntur Autoritates* Thomæ Brabantini *ex Libro de institutione Scholasticâ pratitulato, qvem humilitatis & majoris autoritatis causâ Boëtio ascripsit.* Ac ne dubites hoc ipsum opus signari, illa qvoqve de dyscholo glossa in autoritatibus istis locum invenit. Hujus ergò Codicis fide illum subdititium partũ rescribemus in posterum germano suo parenti *Thomæ Brabantino*, seu, ut aliàs vocatur, *Cantipratano*, qvem ante annos admodum qvadringentos floruisse constat. Humilitas an arrogantia fuerit, qvòd in alieni nominis celebritatem ille Scriptor furtim se induit, hîc non disputo. Id initiò agebam tantùm, ut ostenderem, illo qvoqve ævo, qvod ad tantam petulantiam, qvantam hodiè experimur, nondum profecerat, Rectoribus Academiarũ negotium exhibuisse vacua, obstipa, & plusqvàm δύσκολα degenerum Scholarium capita. Qvod ipsum, si qvis fortè Cantipratano fidem abroget, sic satis confirmabit, ut alios (b) taceam, suppar illi,

(b) Poteratin his memorari Hugo de S. Victore, (qvi & ob septem libros Didascali nomine insignitos appellari solet Didascalus, & A. 1140. obiisse dicitur, teste Labb. Tom. I. de Script. Eccles. p. 480.) Hujus Hugonis Dida-

illi, vel potiùs paulò antiqvior (c) Nigellus Wireker (d), Cantuariensis Ecclesiæ Præcentor, qvi in Epistolâ Speculo stultorum, [qvod sub Vigelli nomine per hos menses recusum (e) seculi sui mores egregiè repræsentat;] præfixâ sic infit inter alia (f): *Asinus, qvi Parisiis scholas freqventat, & literas penè discendo & operam perdit & impensam, qvia discedens nomen urbis non potuit retinere, in qva per septennium moram fecit, illos signat, qvi cùm sensûs non habeant exercitatos vel aptos ad literas & apices intelligendos, tamen ut videantur in utrog; testamento eruditi, libros legunt, qvos non intelligunt, qvorum etiam nomina eis perlectis non meminerunt: cupientes potiùs, ut ab hominibus multa & magna scire credantur ex assiduâ librorum aspectione, qvàm*

scalum citat Vinc. Bellovac. Spec. doctrin. lib. I. c. 27. & inde c. 31. hæc etiam f. 27. profert; *Scholares nostri aut nesciunt, aut nolunt modum congruum in discendo servare, & idcirco multos studentes, paucos sapientes invenimus.* (c) Oræus pag. 106. Nomencl. adscribit Nigello annum 1196.

(d) Sic eum præter Oræum jam citatum vocant Magdeburgens. Cent. XII. c. 10. f. 1678. Balæus Cent. III. c. 50. Wolfius Tom. I. memorab. f. 425. Pits. de illustr. Angl. Script. p. 270. (e) Wolferbyt. Anno 1662. Alia editio habetur in Praxi jocandi Regii Gonaddivi Francof. Anno 1602 p. 351. sed absqve Epistolâ. Excerpit inde qvædam Flacius catal. Test. Verit. f. 539. (f) p. 8.

Digitized by Google

*qvàm ut aliqvid sciant in rei veritate.* Seculi decimi qvarti Scholares depingit nobis suis coloribus Richardus de Buri Episcopus Dunelmensis: *Est enim,* inqvit (*g*), *Scholarium gens perperam educata communiter, & nisi majorum regulis refrenetur, infrunitis inscitiis insolescit. Aguntur petulantiâ, præsumptione tumescunt, de singulis judicant tanqvam certi, cùm sint in omnibus inexperti. Videbis fortasse juvenem cervicosum, in studio segniter residentem: & dum hyberno tempore hyemis alget, nasus irriguus frigore comprimente distillat, nec prius se dignatur emunctorio tergere, qvàm subjectum librum madefecerit turpi rore. Cui utinam loco codicis corium subderetur sutoris. Ungvem habet fimo fœtente refertum, giganti simillimum, qvo placentis materia signat locum.* Seqvuntur in hunc sensum longè plura: sed qvinti decimi seculi nomine se etiam hîc audiri postulat Joannes Gerson, Parisiensis Academiæ Cancellarius, cujus hæc est qverela (*h*): *Sic adolescentiæ frena la-*

S *xan-*

(*g*) c. 17. Philobibl. Opusculum hoc Richardi Goldastus addidit Centuriæ epist. philol. ed. Francof. Anno 1610. ubi verba hîc citata qvære p. 487. (*h*) epist. ad Studentes Collegii Navarræ (Tom. I. Oper. XVIII. 2. ed. Basil. Anno 1518.)

Digitized by Google

*xantur: sic eunt in adinventionibus suis dimissi secundum desideria cordis eorum, & per vitiorum avia ruunt præcipites. Fiunt exinde contumeliosi, vagi, petulantes, inobedientes, proni ad inimicitias inferendas, impatientissimi ad illatas; irreligiosi præterea, nihil amplius à paganis de Christianâ religione perdocti. Postremò, ut de qvibusdam Judas Apostolus* (i) *ait,* Maculæ *sunt, vel, ut vulgus loqvitur,* sacci carbonum, *alter alterum pessimis modis maculantes. Sed & qvales domi sint, foris in sermonibus palam faciunt. Ubi pro summâ; qvæ ibi observanda erat, morum modestiâ, insolentissimis atqve incompescibilibus sibilationibus, gestibus & obmurmurationibus omnia confundunt, & verbum Dei cum suo evangeliZante probrosè spernunt, impediunt, turbant, & obrumpunt. Nec parvum existimandum est illud incommodum, qvoniam satis est scitum illud Aristotelis* (k): Non parum refert, juvenem sic vel sic assvefieri. *Et qvia certè ex non benè morigeratis, & ex sinistrè instructis adolescentibus fiunt juvenes atqve Viri postmodum non tantùm inutiles reipublicæ Universitatis, sed*

(i) epist. v. 12 σπιλάδες. Interpres videtur legisse σπῖλοι ut 2. Petr. 2. v. 13. Vide Pricæum in h. l. f. 995. (k) lib. II. Nicom. c. I. in fine.

Digitized by Google

*sed ipsius etiam totum corpus fœdant, lacerantqve, & in bonorum perniciem crudeliter saeviunt: qvid sanè mirandum, si ex* dischol*is discipulis fiunt perniciosi Doctores?* Hæc eadem nostri qvoqve seculi calamitas fuit hactenus, utinam in lætiorem vultum propediem immutanda! Licebit interim sperare, neqve fas erit aliqvid de diligentiâ nostrâ & officii partibus remittere. Sint maxima discentium pars nodosi stipites & trunci, unde Mercurium sculpere ne Phidias qvidem possit: juvabit tamen vel paucis, qvi benè præparatum pectus ad hæc studia adferunt, cum fructu audientibus publicæ doctrinæ semina spargere. Qvod ergò DEUS benè fortunet!

## *MANE.*

*Horâ* VI. JOHANNES ITTIGIUS, *Phil. & Med. D. Physices P. P.* Academiæqve h.t. Rector, Naturalis Scientiæ præcepta, novissimis Lectionibus à se absoluta, denuò per novam Epitomen inculcare incipiet, initium facturus à libris Acroaseon, qvantumqve per occupationes publicas, & Scholasticæ Juventutis modestiam licebit, in iis perspicuè interpretandis perget.

*Horâ* VIII. L. GOTFRIDUS SLUTERUS,



Digitized by Google

*Organi Aristotelici P. P.* ad finem jam perductis libris duobus posteriorum Analyticorum, exorsurus est libros octo Topicorum, eosqve consvetâ suâ methodo per aphorismos & theses breviter explanabit.

*Horâ* IX. M. JOHANN. Kühn / *Professor Mathem.* Continuabit & absolvet doctrinam Opticam, rediturus postmodùm ad Elementa Euclidea, ubi qvartum, ordine jubente, exponet, qvod est de circum-& inscriptione figurarum figuris, & usum hujus στοιχείου in dimetiendis ac permutandis illis ostendet.

*Horâ* XI. FRIDERICUS RAPPOLT, *Poës. P.P.* Enarrationem Epistolarum Horatii continuabit, & in singulis non humaniorum tantùm literarum & Antiqvitatis, sed Philosophiæ qvoqve Studiosos proficere posse ad bonam frugem, manifestum faciet. Aliud in illis alibi qværant pueri; aliud maturiore adolescentes judicio hîc admirentur.

## *A MERIDIE.*

*Horâ* I. M. JAC. THOMASIUS, *Oratoriæ P. P.* & Collegii Philosophici h. t. Decanus, antiqvi Rhetoris P. Rutilii Lupi de figuris sententiarum & elocutionis libros duos enarrabit, textum nec à Beato Rhenano, nec à Francisco Pithæo satis emundatè vulgatum constituet, notas & observationes addet.

*Horâ* II. L. DAVID Schwertner / *Philosophiæ Practicæ P. P.* absolutis Ethicorum quatuor libris,

Digitized by Google

bris, reliqvos sub explicationis incudem revocabit, initio facto à V. libro de Justitiâ: cumqve Auditores pleriqve destituantur ipso Aristotele, in gratiam eorum Breviarium Aristotelicum ab Excell. Dn. Thomasio editum ita explicabit, ut singulis horis duo ad minimum capita qvoad thesin & antithesin det absoluta.

*Horâ* III. M. JOHANN. Hornschuch / *Gr. L. Prof.* si DOMINUS voluerit, non solum cœptam SCAPULÆ thematum lustrationem continuabit, sed scitum etiam HOMERICÆ Iliadis B. somnium, concionem atqve naves referens, enodabit.

*Horâ ead.* CHRISTIAN FRIDERICUS FRANCKENSTEIN, *L. L. & Histor. P. P.* ubi Dei beneficio valetudinem firmam recuperaverit, ad explicationem Taciti de moribus Germanorum revertetur, qvam per semestre hoc inevitabiles, qvas Rectoratus Academicus secum fert, occupationes suspenderant. Nec deerit iis, qvi privatim in Historicis, Geographicis & aliis exercitiis operâ ejus uti volent.

*Horâ* IV. M. JOHANNES SIGISMUNDUS Schwenck / *Dialecticæ Philippi & Metaphysicæ P. P.* aggredietur in Lectionibus diei Lunæ & Martis Logicis utilissimas, qvæ restant, doctrinas de Demonstratione, Syllogismo Topico & Sophistico; in Lectionibus diei Jovis & Veneris Metaphysicis tres superstites Entis affectiones breviter perstringet, transitum dehinc rectà fa-



Digitized by Google

ſturus ad partem ſpecialem de Subſtantiâ & Accidente. Sperat, ante ferias Caniculares ſe benedicente Deo, aut abſoluturum eſſe penſum utrumqve, aut non multùm à fine abſuturum.

P. P. Dominicâ Rogationum 4. Maji A. C. M. DC. LXII.

## PROGRAMMA XXVI.

## *PENTECOSTALE,*

Præſcriptum Carmini,

Qvod Anno 1662. d 17. Maji in vigiliâ Pentecoſtes recitavit

THOMAS ITTIGIUS, Lipſienſis

*De Spiritu Sancto, Chriſti triumphantis Dono.*

Appetit Lux illa, ſancto qvam dicatam Flamini
Feriis nullis minorem, qviſqvis haud fictus Dei
Cultor eſt, habere debet, ſive Libycas æſtuet [mari
Fortè per ſyrteis viator, ſive Barbarico
Deprehenſus erret exul, ſeu Byzantini gemat
Subditus jugo Tyranni. Nemo, qvem baptiſmatis
Sacra fecit Chriſtianũ lotio, ſe ſubtrahat.

Pha-

Phathuelidis Prophetæ carmen invenit fidem,
Spiritum æterni Parentis defluentem ab æthere
Pectora hauserunt piorum. Sicut emorientibus
Sole cùm multo perustum marcet herbis aridum.
Ecce clivosi qvis undã de supercilio elicit
Tramitis, repentè leves illa per scrupos cadens
Stridulum ciet susurrum, pæneqve enectos siti
Undiqvaq; potat agros: Talis è cœlo latex
Aridis Apostolorum cordibus sese intulit,
Exitum pandente CHRISTO, cùm TRIUMPHATOR necis
Extimos ultra polorum subvolâsset terminos,
Dexter ut Summo Parenti DONA diriberet suis.

Copiosiore venâ cras, ubi octavam sonans
Malleus pulsarit horam promet hæc mysteria
Digna Magnifico Parente, digna proles omnium



Digitized by Google

Eruditorum favore, publico de pulpito
Carmen heroum paratus canere THO-
MAS ITTIGES.

Commodate qvæso Cives aurium vacuas domos
Optimo Vestro Sodali! Vos at ô Clari Patres,
Seu Dei verbum docetis, sive leges Cæsarum,
Sive placita Pergameni, seu Stagiritæ Senis,
In pii versûs Poëtæ flate Zephyros gratiæ!
Sic Beati vos vicissim recreet aura Spiritûs!

*P.P. pridie vigiliæ Pentecostes 16. Maji Anno 1662.*

❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋

# Programma XXVII.

## DE AMORE VIRTUTIS,

*Præscriptum Orationi,*

Qvam Anno 1662. d. 30. Augusti habuit

Eduardus Ridelius, Silesius

*De cupiditate gloriæ.*

CElebre dictum est Platonis (*a*), *Virtutem, si videri oculis posset, incredibilem*

(*a*) Plato Phædr. (Oper. f. 1224. D.) ὄψις γὰρ ἡμῖν ὀξυτάτη τῶν διὰ τοῦ σώματος ἔρχεται αἰσθήσεων, ᾗ

Digitized by Google

*tem sui amorem in pectoribus mortalium excitaturam.* Sensit haud dubiè Vir sapientissimus, cùm nihil sit virtute formosius, cur tamen ejus cupiditate adeò pauci incendantur, inde fieri, qvòd oculos habeant illos qvidem ejusmodi, qvalibus & formicæ & culices & muscæ præditæ sunt: careant autem oculis, qvibus Angeli res à sensibus maximè abductas intuentur, qvorumqve possessione Antonius Didymum Alexandrinum de suâ cæcitate dolentem consolatur [*b*]. Ita

 enim

Φύσις οὐχ ὁρᾶται· δεινὰς γὰρ ἂν παρεῖχεν ἔρωτας, εἴτι τοιοῦτον ἑαυτῆς ἐναργὲς εἴδωλον παρεῖχετο εἰς ὄψιν ἰόν. Cicero II. de fin. p. 75. *Oculorum, inqvit Plato, est in nobis sensus accerrimus, qvibus Sapientiã non cernimus. Qvam illa ardentes amores excitaret sui, si videretur.* Eqvidem loqvitur hîc Plato de *Sapientiâ*: sed ad *Virtutem in genere* hoc trahere nihil vetat. Fecit hoc Muretus Volum. I. Orat. II. sic inqviens: *Nimirum illam tu* virtutis *pulchritudinem, qvam Plato, si cerneretur, mirabiles sui amores excitaturam esse dicebat, - - animi oculis videras.* (*b*) Socrat. lib. IV. Hist. Eccl. c. 20. (f. 665. ed. græcolat.) *Fertur, Antonium --- cum hoc Didymo in colloqvium venisse, ejusqve doctrinam & intelligentiam cùm perspexisset, ei dixisse: nihil te conturbet Didyme, qvòd sensu oculorum corporeorũ orbatus sis. Nam qvamvis tales oculi, qvales muscis & culicibus tribuuntur, ad servandum* (videndum,) *tibi prorsus desunt, tamen lætari plurimùm debes, qvòd illos habeas oculos, qvibus Angeli aspiciunt,* (οἷς καὶ ἄγγελοι βλέπουσι,) *qvibus Deus ipse cernitur, qvibus deniqve clarissimum ejus lumen comprehenditur.* Hieronymus epist. ad Castrutium (Tom. I. Oper. f. 93.) hæc memorans pro

Digitized by Google

enim est, si, ut Paris Helenam, ita nostrûm qvisqve Virtutem corporeis oculis usurpare posset: non minùs in nobis esset flagrans virtutis desiderium, qvàm fœminæ illius pulcherrimæ fuit in juvene molli ac delicato. Qvare & Herculem Chius Sophista (c), cùm in famoso illo bivio Matronarum duarum specie apparentes ei fecisset hinc Virtutem, illinc Voluptatem, Virtutis gestu atqve oratione ita captum fuisse scripsit, ut eam sibi per ætatis reliqvum spacium seqvendam statueret, frustrà in adversam partem inclinante Voluptate. Enimverò qvantò æterna caducis, cœlestia terrestribus, humanis divina potiora sunt: tantò qvicqvid est uspiam venustatis, qvod oculo minimè absurdo delicias facere possit, superatur ab eximiâ Virtutis specie, si qvis in eâ mentis aciem rectè defigat; ut qvod de Justitiâ scriptum reperitur in qvinto Nicomacheorum (d)

*Angelis* memorat *Apostolos*. Sic enim loqventem fistit Antonium: *Miror,---non lætari illius possessione, qvam Sancti soli & Apostoli meruerunt.* Putem hîc pro *Apostoli*, rescribendum esse *Angeli*. Sanè Angelos hîc etiam è Petri de Natalibus Martyrologio exhibet Conrad. Lycosth. apophth. p. 129. (c) i. e. Prodicus, cujus fabula de bivio Herculis passim obvia.

Digitized by Google

(d), *neqve Vesperum, neqve Luciferum perinde admirabilem esse*, (Constat autem in illo sidere præcipuam laudari venustatem;) id utiqve ad Virtutem, (qvid enim aliud est Justitia, qvàm omnibus suis partibus ac numeris absoluta Virtus?) censendum sit pertinere. Verùm ad hoc divinum Virtutis jubar excipiendum longè aliis opus est oculis, qvàm qvibus formarum discrimina in sexu fœmineo arbitrantur proci. Ne mentem qvidem hominum, cætera satis acutorum, sed qvos amor ille sui, qvem stultum & improbum Horatius [e], vocat, occupaverit, pulchritudo Virtutis feriet. Illis solis retecta erit, qvi à commercio sensuum, omniqve contagio corporis, à seqve adeò ipsis qvàm longissimè discedentes veritatem non in cortice qværunt, sed in nucleo rimantur. His nudam se Virtus ostendit, sed absqve obscœnitate; his familiarem se præbet, sed absqve contemptu; amicam, sed absqve metu offensionis; hos in amplexûs suos invitat; his oscula pudica dividit; horum osculis ipsa vicissim lætatur.

(d) cap. 1. (e) Serm. lib. 1. Sat. 3. v. 24.

Digitized by Google

tur. Minervam ſæpè inducunt Poëtæ ſic uni cuipiam è Viris probis conſpicabilem factam, ut cæterorum adſtantium obtutûs interim fugeret. Prorſus in hunc modum ad præſentiam Virtutis cæcæ ſunt terreſtres ac profanæ animæ; oculati illi ſoli, qvibus caliginem divinior lux abſterſit. Hi nimirum illi ſunt, qvi in Virtute non præmium qværunt, ſed Virtutem, ſolâqve rectè agendi conſcientiâ beati honeſtate propter ipſam delectantur, à turpibus ſolius turpitudinis contemplatione abſtinent. Hos Plato ajebat, ſi Gygis annulum haberent, nihilo plus peccaturos, qvàm ſi non haberent (f): nihil avarè, nihil injuſtè, nihil libidinosè, nihil incontinenter eſſe facturos, etiamſi id non hominibus modò omnibus, ſed ipſi Deo futurum ſit ſemper ignotum. Rarum opidò hominum genus, ac potius [cur enim diſſimulemus?] in hoc orbe terrarum planè nullum. Nam qvi præmio omni pœnâq; ſublatâ Virtutem velit, Sapiens ille eſt, qvem Stoici qvondam cogitatione deſignabant, monſtrare digito nusqvam poterant.

(f) vid. Cic. lib. III. de offic. p. 59.

Digitized by Google

terant. Ac ratio qvidem recta nobis inspirat, esse omninò ejus, qvod honestum est, dignitatem atqve excellentiam tantam, ut expeti suapte vi, & non modò omnibus orbum opportunitatibus, sed miseriis etiam acerbissimis oppletum, qvavis tamen animi pariter & corporis contentione anhelari debeat: Verum qvis est, qvi bonâ fide affirmare ausit, paratum se esse etiam in Phalaridis tauro, si nulla Virtuti suæ sit alia merces proposita, constantiam tueri? Adeò scilicet corrupta in nobis est illa facultas etiam honesta appetendi, ut in hoc Virtutis curriculo eveniat nobis, qvod paralyticis, qvi qvam partem corporis dextrorsum movere animum inducunt, eam in alia omnia perversè ferri experiuntur. Qvâ similitudine cùm alicubi (g) Aristoteles utatur, fuerunt, qvibus ipse fatalem illum humani generis morbum hariolatus fuisse visus est [h]. Enimverò animus noster, posteaqvam divino interdicto vetitæ arboris illecebras primi

(g) lib. I. Nicom. c. ult. (h) in his Jac. Schegkius, cujus verba dedi Præf. disp. p. 439. 440. lit. c. Præf. LXX. in qvâ demonstro, falli eos, qvi putant, Gentilibus notum fuisse peccatum originis.

Digitized by Google

primi Parentes prætulerunt, ita mancipatus est sensuum cupiditati, ut pro eo atqve his jucundum qvidqve aut molestum est, ita proseqvendi fugiendiqve momenta, neqvicqvam reclamante ratione rationis judicio, temperet. Est autem, ubi blanda Siren Voluptatis, sic aspera Virtutis via, aculeatisqve vepribus impedita. Qvo minus mirandum est, si Paridis fabulam qvotidiè agant homines, hoc est, præ Pallade Venerem, præ Virtute Voluptatem laudent formosam. Itane ergò, qværat aliqvis, eâdem decempedâ omnes homines metiris? inqve tanto numero nemo probus, omnes juxtà scelesti? Ego verò nolim hoc qvidem. Sunt enim improbitatis gradus. Virtutem alii pedibus calcant, & ab se propulsant; alii non contemnunt illi qvidem, sectantur potiùs: non sectaturi tamen, nisi pretium facerent operæ. Atqve hi priorum comparatione probi qvodammodò merentur dici, non qvòd nulla sit planè ipsorum improbitas, sed qvòd minor. Delectantur enim si non ipsâ Virtute, Virtutis umbrâ certè & simulacro: cùm isti, qvos improbissimos dixerim, etiam umbram Virtutis, ceu bestiæ vene-

venenatæ, stomacho prorsus depravavato, aversentur. Qvòd delicatis illis, qvos gratis probos esse pœnitet, Virtutẽ detraxi, simulacrum ejus tantùm reliqvi, philosophico rigore factum est. Adeò aptæ inter se connexæqve sunt Virtutes, ut unam verè qvi habeat, omnes habere à Philosophis censeatur. Omnes autem, qvi qvidem homo natus est, habet nemo. Ad hæc qvi uti volunt Virtute, non frui, præmium amant, non Virtutem. Si qvis Conjugem ex divitiis sibi legat, recusaturus, ubi rerum omnium egestatem ea pro dote afferat, qvis dubitet pronunciare, non Sponsam ab hoc amari, amari loculos? In causâ pari cur idem judiciũ ferre de procis Virtutis non liceat? Ipse Philosophorum Princeps (*i*) fortitudinem illam, qvam in Civibus aut honoris excitat desiderium, aut ignominiæ metus, fatetur qvidem, à verâ fortitudine, qvàm proximo intervallo abesse, non audet tamen eximere generibus simulacrorum Virtutis. Recteqve Macrobius (*k*), *Virtutis*, ait, *fructum Sapiens in conscientiâ ponit, minùs perfectus in gloriâ.* Est igitur in omnibus nobis, qvi incitamento

(*i*) lib. III. Nicom. c. 8. (k) lib. II. in somn. Scip. c. 10

mento gloriæ ad Virtutem ducimur, ut mitissimè dicamus, mixtura qvædam vitii [l]. Qvæ cùm expungi planè in hâc mortalitate non possit, ferenda non modò & condonanda, sed provehenda qvoq; & nutrienda est, qvando satius est habere Virtutem vitio temperatam, qvàm sine omni Virtutis admixtione puram putamqve malitiam. Id probè intellexerunt conditores Rerumpublicarum. Itaqve ut Cives ad honestam vitam probitatemqve, sine qvâ nulla consistere potest Societas, educarent, publicis legibus Virtuti gloriam, honorem, opes, potentiam addixerunt: Pædagogorum morem imitati, qvi imbecillam puerorum ætatem mellitis crustulis alliciunt, ut prima literarum elementa cupiant addiscere. Qvòd si jam illos Civium, qvi præmiorum dulcedine permoti animum ad egregia facinora appellunt, non cum Sapiente Zenonis contendas, qvi nihil præter honestum in bonorum numero habet; sed cum iis, qvibus non nisi suppliciorum metus peccandi libidinem minuit: non dubium, qvin his illi tanto spacio

(l) Augustin. lib. V. de civ. Dei c. 13. ab initio: *Saniùs videt, qvi & amorem laudis vitium esse cognoscit.*

Digitized by Google

cio anteponendi sint, qvanto relinqvuntur ab illo perfecto Sapiente. Sic autem nos docuit Philosophus, formidine mali qvæ fiant, non æqvè sponte fieri, qvàm qvibus principium sit cupiditas boni. Itaqve serviles animas, qvæ sensum laudis amiserunt, metus doloris in officio continet; liberalibus contrà ingeniis blandissimum calcar adhibet gloriæ cupido: tetra qvidem illa, si immodica sit, Reipublicæ pestis; sed eadem, ubi intra suas metas circumscribi sè patiatur, efficacissimus ad virtutem stimulus. Atqve hoc nomine patiemur crastinâ luce post octavam matutinam à Politissimo doctissimoqve Juvene EDUARDO RIDELIO, commendari *Cupiditatem gloriæ.* Cumqve Orationem obtulerit nobis non modò civilis prudentiæ præceptis irrigatam, sed æqvabili qvoqve latinitate svaviter fluentem, recitationem ejus, qvam in Auditorio Collegii Majoris inferiore instituet, auscultantibus non ingratam fore confidimus. Aluntur honesti impetûs plausu hominum cordatorum. Qvare Magnificum Academiæ Rectorem, Facultatum omnium Primores Amplissimos Clarissimos-

qve, Nobilisſimum Studioſorum ornatisſimumqve cœtum rogamus enixè, ut celebritate ſuâ, benevolâqve auditione igniculos probitatis in Oratore noſtro magis excitare dignentur. Stabit ejus facti cùm apud nos, tùm apud ipſum memoria ſempiterna. P. P. IV. Calend. Septembr. A. C. 1662.

## PROGRAMMA XXVIII.

# DE INTELLECTU AGENTE,

*Præſcriptum Orationi,*

Qvam Anno 1662. d. 27. Septembr. habuit

JONAS HERTZBERGERUS, Martisburgenſ.

*De Angelico in liberalia ſtudia favore.*

CUm Orationem attuliſſet nobis optimus atqve humaniſsimus Juvenis JONAS HERTZBERGERUS, Martisburgenſis, qvam *de Angelico in liberalia ſtudia favore* ab ſe conſcriptam Chriſtiano Sanctorum Angelorum honori publicè deſtinare decreverat, in eamqve præfari ratio nos officii juberet: illicò venit in mentem ejus opinionis, qvam hodiè ſepultam pænè in Scholis aſſeruerunt olim non incelebres qvidam Philoſophi, cùm ſtatuerent, id ipſum in homine, qvod *Intellectum agen-*

*tem*

Digitized by Google

*tem* appellare mos est, *esse qvemplam ex Angelis sive Intelligentiis*. Qvâ de re si qvid vel tumultuariâ operâ in hanc chartam congereretur, rem esse nos facturos putavimus, qvæ ab argumento nostri Oratoris minimè abhorreret. Nam si verum illi sunt opinati, jam non opportunum modò nobis in studio artium occupatis erit ministerium angelicum, sed etiam omnibus modis necessarium. Videtur autem hujus sententiæ auctoritas in Aristotelem nostrum conferri ferè: Satisne rectè an secus, hîc non disputo, tantùm qvid & qvibus initiis evenerit, memoraturus. Opus esse ad actum intelligendi duabus rebus, qvarum alteri facultas insit patiendi, alteri agendi, (unde agentis patientisq; intellectûs orta sunt vocabula,) satis qvidem clarè demonstratum est à Philosopho nostro, qvi & similitudines qvasdam adhibuit, alterum tabulæ rasæ, alterum lumini comparans. Verùm qvam agentis illius naturam esse suspicaretur, perqvàm obscurè prodidit. Cujus tantæ obscuritatis causam sunt ex iis, qvibus Intellectus agens aliqvid ab homine separatum esse creditur, qvi in eo

qværant, qvòd hæc disputatio sit à Philopho naturali aliena (*a*); alii hanc fuisse conjiciunt, qvòd pertimuerit Vir prudẽtissimus, ut & vulgo vix persvaderet istam opinionem, & multa, qvæ ad mores vitamqve civilem spectant, per eam abolerentur (*b*). Qvæcunqve sit ex his ratio, sanè fecit hîc Præceptoris tenebrositas, ut velut in Cimmeriâ nocte palparent discipuli, neq; ullam Philosophiæ Peripateticæ partẽ pluribus implerent dissidiis (*c*). Omnes numerare velle sententias, majoris operæ est, qvàm pro modulo hujus scriptionis. Satis erit per classes ivisse (*d*). Intellectum ergò Aristotelis agentem alii negant esse qvicqvam ab essentiâ hominis aut animâ rationali, qvæ formæ, uti vocant, informantis munus obit, secretum; alii contrà formam assistentem esse pugnant. Itaqve ut, priori genere Interpretum omisso, de posterioribus dicere pergamus, ubi assistens

(*a*) Zabarella c. 12. de mentẽ agente, p. 1020. Conf. Gassend. Tom. II. Oper. f. 434. 435. (*b*) Vicomercat. disceptat. de anim. ration. §. *Quamobrem ut Aristotelem.* p. 453. (*c*) conf. Vicomerc. l. c. p. 463. 542. (*d*) Simili methodo utor hoc de argumento in Physicâ meâ p. 286. seqq. (*e*) Fortun. Licet. lib. II. de Intell. ag. c. 7. Inqvirendum autem, an satis hoc congruat cum iis, qvæ de Algazelis sententiâ proferunt Vicomerc. p. 542. Gassend. Tom. II. O-

Digitized by Google

ſtens illa forma nomine tandem ſuo appellanda eſt, vicisſim in partes abitur, aliis DEUM, aliis Intelligentiam qvandam DEO inferiorem, h. e. ut Chriſtiano more loqvamur, Angelum nominantibus. Neqve hìc divortiorum finis: cùm Algazel, ſi Fortunio Liceto fidem habemus, hoc officium illi det Intelligentiæ, qvæ orbem Lunæ moveat (*e*); Avicenna huc advocet Colcodeam ſuam, a-animam videlicet mundi ſublunaris (*f*); Averroës planè peculiarem & propriam humano generi Intelligentiam, nulli alii curationi præfectam, deſtinet (*g*). Niſi nos animus fallit, vero ſimile eſſe hi Philoſophi arbitrati ſunt, ſi intellectus agens eſſet homine qvid ſuperius, aut Intelligentiam ſupremam, qvæ ſecundum ipſos DEUS eſt, aut infimam eſſe eum oportere (*h*); infima verò hæc, uni qvidem, qvòd crederet infra Lunam ab Ariſtote-



per. f. 432. (*f*) Fort. Licet. ibid. c. 10. Conf. Vincent. Bellovac. Speci natur. lib. XXVII. c. 42. f. 1947. (*g*) Fort. Licet. ibid. c. 13. De Averrois ſententiâ conſuli etiam poterunt Scalig. de ſubtil. Exerc. 307. n. 18. p. 910. Raynaud. Theol. nat. diſt VI. q. 1. art. 1. n. 5. p 563. Voſſ. de orig. & prog. Idol. lib. III. c. 42. f. 475. Joſ. de Voyſin ad c. 14. Diſp. Cabal. R. Iſrael de animâ p. 443. 444. (*h*) Supremam fort aſſe ob operis præſtantiam, vel infimam ob operis ex

Digitized by Google

le nihil poni Geniorum (*i*), visa fuit esse illi citimi planetæ motrix; alteri, qvi Spiritum Mundi admitteret, hunc ipsum Spiritum; tertio, qvi maximè liberaliter agendum putaret, dignosqve haberet homines, qvibus non aliud agendo inserviretur, Intelligentiam privatam. Neqve verò soli Arabes, qvosdam è Græcis secuti (*k*), in hanc classem abierunt. Etiam Rabbini Hebræorum Intellectum agentem alii Numen ipsum, alii Intelligentiam omnium postremam humano generi; alii discrimine qvodam adhibito, genti qvidem suæ, velut ex prærogativâ nationis, DEUM, cæteris, qvam diximus, Intelligentiam postremam imponunt, ut è Seldeno (*l*) didicimus. Cui & hoc debemus, ante annos qvadringentos fuisse hanc sententiam Christianorum qvoqve Academias pervagatam. Rogerii certè Baconis hæc verba profert: *Ostendo, qvòd Intellectus agens est Deus principaliter, & secundariò Angeli, qvi illuminant nos. Nam & Deus respectu animæ est sicut*

propinqvitate facilitatem. (*i*) conf. Zabarell. c. 12. de Mente agente p. 1029. (*k*) de Græcorum interpretationibus vide Gassend. Tom. II. Op. f. 429. De Arabum pariter & Græcorum Flam. Nobil. III. de Felic. 25. seqq. (*l*) lib. I. de Jure Nat. & Gent. c. 9.

Digitized by Google

*sicut Sol, respectu oculi corporalis, & Angeli sicut stella*, & posteà: *Qvando per tentationem & irrisionem aliqui minores præsumtuosè qvæsierunt à fratre Adam* (de Marisco majore:) *qvid est Intellectus agens? respondit: Corvus Heliæ; volens per hoc dicere, qvòd fuit Deus vel Angelus.* Fuerunt autem in hunc sensum testimonia etiam qvædam è Sacro Codice advocata. Verùm cùm à perversis ingeniis huic dogmati assueretur posteà ex Arabum impietate propagatus error pestilentissimus, qvi animas nostras corporibus superstites esse negat, factum est, ut unà cum hâc appendice tota isthæc philosophandi ratio proscriberetur è Scholis, ut intelligi datur ex articulis, qvi anno Christi 1270. damnati sunt Parisiis sub Stephano II. ejus urbis Episcopo. Ita paulatim emersit altera Doctorum familia, qvæ agentem Intellectum nihil aliud esse, qvàm animæ nostræ facultatem qvandam naturalem, affirmavit. Neqve non tamen reperti sunt recentiore memoriâ, qvi veterum illa placita resuscitarent. Omitto Pomponatium (*m*), Zabarellam (*n*), Vicomer-



(*m*) De qvo testatur Licetus lib. II. c. 1. f. 35. qvi addit Cajetanum, Madium, Castellanum. Alios etiam me-

Digitized by Google

catum, Cardanum (o), similes alios, qvi se hîc vel non tam de veritate, qvàm de mente Aristotelis laborare sunt professi (p), vel profanitatis haud parum suspectos reddiderunt. Scriptor minimè pœnitendus, à nostrisqve repositus in Catalogo Testium Veritatis (q), Basilius Groningensis apertè propugnat [r], Deum esse Intellectum agentem, & ex hâc unâ veritate latam Scripturæ superficiem illustrari & inclarescere ait. Fuerunt olim etiam, qvi paciscerentur inter sectas extremas, qvasiqve dispersam inter omnes veritatem in hos sensus excerpendam putarent: & Deum, & Angelos, & lumen nobis ingenitum agentis Intellectûs operâ defungi: ad ea qvippe mente comprehendenda, qvæ sunt *supra* nos, humanamqve rationem excedunt, qvalia de Divinâ essentiâ & Trinitate Personarum intelliguntur divino modo,

mort Livius Galantes comparat. Christ. Theol. cum Platon. lib. XIII. f. 359. (n) Vide ipsum de Mente agente, ubi c. 12. p. 1028. asserit, *qvòd Intellectus agens non possit esse ulla Intelligentia præter illas, qvæ movent cœlestes orbes:* & c. 13. p. 1030. *qvòd Intellectus agens non possit esse alia Intelligentia, nisi omnium prima.* (o) de qvo Seldenus d. l. qvi & Bodinum addit. (p) Zabarell. de Mente ag. c. 1. in fin. Vicomerc. p. 467. 578. (q) Vid. Flac. Catal. Test. Verit. p. 978.

Digitized by Google

do, ab ipſo nos Deo irradiari; ab Angelis autem circa ea dunxat, qvæ *juxta* nos ſunt; deniqve ad ea pernoſcenda, qvæ *in nobis* exiſtunt, aut *infra nos*, nõ opus habere animam externo jubare, inſitum ipſi lumen ſufficere. Rectene hanc ſententiam Cœlio Rhodigino tribuat doctisſimus Licetus (*s*), tametſi eam in Antiqvis Cœlii Lectionibus (*t*) reperio, haud temerè dixerim. Movent me verba, qvibus caput illud de Intellectu agente vaſtisſimæ Vir Lectionis obſignat: *Caterùm*, inqvit, *parte hâc commonitos legentes velim, ſicubi pugnantia videbor prodere, mirandum haud ita eſſe, qvando ex diverſis racematio fit. Et Platonicos conſectamur parte plurimâ: ſed & in aliis diverſitas ad ſuos regerenda autores eſt, ne qvis agreſtis ac indomitus certator protinùs calumniam intendat.* Voluit ergò non, qvid ipſe ſentiret, edifſerere, ſed ex agris diverſorum, etiam pugnantium, compingere ſpicas in unum faſcem. Videmur autem, qvæ Cœlio imputat Licetus, cujus ſint, deprehendiſſe. Prorſus enim iis gemina ſeguntur apud Albertum Magnum in



(*r*) De Provid. Dei (Oper. p. 720.) (*s*) lib. II. de Intell. ag. c. 31. (*t*) lib. Lect. Antiq. c. I.

Digitized by Google

Philosophiâ Naturali (u), auctorem Cœlio tribus seculis vetustiorem. Sed nec illis dissimilia describit è Joanne de Rupellâ, qvi vixit suppar Alberto, Vincentius Bellovacensis (w). Hæc ergo qvaliscunqve est opinionis illius de Angelis humano Intellectui assistentibus historia. Nam qvod Seldenus, Vir aliàs hoc in genere versatissimus, huc etiam trahit illos Gentilium, qvi animam nostram dæmonem esse suum cuivis adjunctum tradiderunt (x), nescio an non sit ab hoc loco alienum. Hi enim planè in aliis erant castris, qvàm qvi agentem Intellectum sciscebant esse Intelligentiam separatam. Illi corpus vestem hominis, hi partem faciebant. Illi tot genios, qvot homines agnoscebant (y); hi cœtui hominũ universo non nisi unam Intelligentiam rectricem associabant. Qvare nec illud Scaligeri (y) valdè probaverim, non penitùs temerè dixisse eum scribentis, qvi Aristotelis Intellectum agentem eundem cum

(u) Part. III. Philos. nat. c. 30. (vv) Spec. natur. lib. XXVII. c. 29. & 41 ff. 1938. 1946. (x) Conf. Kipping. Antiq. Rom. lib. I. c. 2. p. 82. (y) Conf. Vicomerc. p. 543. sub fin. Gassend. Tom. II. Oper. f. 438. (z) lib. III. Poet. c. 26.

Digitized by Google

cum Platonico genio existimavisset. Cæterùm non eo animo disseruntur hæc à nobis, qvasi receptam in Scholis de Intellectu agente sententiam mutatam velimus. Nam qvicqvid hîc sive Aristoteles, sive Interpretes ejus deliraverunt, generoso animo respuere nostrum est. Neqve vērò causa nobis, ut Deum ideò, qvia sumus in eo, vivimusq; ac movemur, vocemus illicò Intellectum agentem. Neq; si Angelorum ministerio, qvoties voluit, extra ordinem usus est Deus ad patefaciendas hominibus res aliàs ignotas, rapiendum hoc statim est ad opus naturæ usitatum. Manet interim benignissimos Spiritùs sua gloria, si fateamur, qvòd Apostolus Hebr. 1. v. 14. pronunciat, eos esse λειτουργικὰ πνεύματα, εἰς διακονίαν ἀποστελλόμενα διὰ τοὺς μέλλοντας κληρονομεῖν σωτηρίαν. Ac de favore qvidem, qvo liberalia illi studia complectuntur, plura cras sermocinabitur in Auditorio Collegii Majoris post octavam matutinam, qvem initio nominabamus, virtute & moribus approbè cultus HERTZBERGERUS noster. Qvem ut Magnificus Academiæ Rector, Facultatumqve omnium Spectatissimi, Amplissimi, Claris-

rissimiq; Proceres, Civesqve Academiæ cæteri, Commilitones ejus, auscultare dignentur, obseqviosè & amanter rogamus, observantiam nostram atq; officia vicissim prolixè pollicentes. P.P. d. 16. Septembr. An. Domini MDCLXII.

# Programma XXIX.

## DE MACHIAVELLISTIS ET MONARCHOMACHIS,

*Præscriptum Orationi,*

Qvam Anno 1662. d. 30. Septemb. habuit

Georgius Ludovicus à Wurm.

*De Duabus Sectis Politicorum.*

NUdius qvartus Declamationem indiximus *de Angelico in liberalia studia favore* publicè pronunciandam; hodiè, ipso scilicet Sanctorum Angelorū festo, invitamus, qvi ex eâdem Cathedrâ *de Hæreticis Politicæ doctrinæ* verba cras facturum audiant. Qvi leget hunc titulum, sciat *de Satanæ furore in augustissimam Philosophiæ partem* peroratum iri. Eqvidem casu accidit, ut Nobilissimus Orator in hunc diem esset à nobis conjiciendus, qvem de hoc argumento jam diu meditantem aliqvid, studium præclarè excogitata indies limandi perpoliendiq;

eo

Digitized by Google

eò adegit, ut aliis diebus jam in aliorum exercitia distributis, haud aliud spacium accipere posset, qvàm qvod velut extra ordinem decurreret. Verùm tam bellè res cecidit, ut, qvi casus fuit, videri qveat fuisse consilium. Qvid enim magis decebat hanc finientis Septembris tempestatem, qvâ bonorum inter se malorumqve Angelorum pugnam ex Apocalypsi decantat Ecclesia, qvàm ut in Scholis qvoq; alius præsidium commendaret, qvod eruditæ doctrinæ Studiosis locant illi de cœlo sancti Satellites, alius vicissim, qvasi de composito, fraudes ac laqveos detegeret, qvos Orco remissa sceleſtorum Spirituum turba tendit sive divinarum rerum, sive humanarum Sapientiæ? Nam qvo alio nomine appelles flagitiosa dogmata, qvibus cùm cæteras Philosophiæ partes alii, tùm Civilem Scientiam hinc *Machiavellus*, illinc *Monarchomachi* convellunt? Fallitur, qvisqvis humano tantum ingenio & ad labendum proclivi naturæ sectarum varietatem imputat. Latet sub alieno schemate pater mendacii, utramqve pestilentem primùm ipsis Hæresiarcharum mentibus per occultos qvosdam folles in-

inspirat, mox horum abusus calamo in patentem orbem spargit, & malè cauti cujusqve ingenium ac mores serpente per materiam habilem contagio inficit. Nec ad eas tantùm hæreses hoc pertinere putandum est, qvibus cœlestis doctrinæ puritas contaminatur: nisi fortè honoratiore loco ponimus inter Philosophos Epicurum, qvàm inter Theologos Arium, nocentissimæ utrumq; scabiei pecudem; aut minore cum animæ periculo credimus providentiam Deo æterno abjudicari, qvàm Dei Filio, Sapientiæ Patris, suam æternitatem. Mirifica narratio est, qvam de Facio Cardano filius reliqvit Hieronymus (a): ei septem aliqvando dæmones apparuisse: horum duos nobiliores, qvasi dispari Viros staturâ, ipso rogante de causâ mundi disputasse: qvi procerior erat, negasgasse, Deum effecisse mundum ab æterno; contrà alterum astruxisse, per singula momenta ita creari à Deo mundum, ut si vel momento ille desisteret, protinus hic sit interiturus; ad hoc eum ex Averrois disputationibus qvædam adduxisse, cùm liber ille nondum esset inventus.

(a) Hieron. Cardan. lib. XIX. Subtil. § 532.

Digitized by Google

tus: retulisse & nomina qvorundam librorum, qvorum pars reperta, pars adhuc in occulto sit, qvi qvidem omnes fuerint AVERROIS: ipsum verò palam Averroistam (b) se professum: porrò huic, qvi minori fuerit corpore, trecentos discipulos, alteri ducentos in publica Academia fuisse. Qvid hoc portenti est? Credemusne Cacodæmonibus inter ipsos Academias suas esse, easqve sectis Arabum divisas, ut partem in illis trahat Averroës, partem Avicenna fortè aut Albumasar? Nobis verò religio est qvicqvam fidei habere illis spiritibus, qvos in veritate non stetisse divina confirmat auctoritas. Itaqve impium (c) illum, [hoc enim cognomen ex erróribus suis pietati & fidei Christianæ prorsum exitialibus invenit Averroës,] cacodæmonis, cujuslibet arbitrabimur discipulum

(b) *Congruentiorem sibi sectam & doctrinam profiteri non poterant* dæmones. Ita judicat è Cardano hanc historiam repetens Theoph. Raynaud. Theol. nat. Distinct. III. q. I. artic. 8. p. 165. (c) Tolet. in Arist. Phys. ad Lect. 15. *qvem dico,* (Averroës) *plurimis erroribus fidei pietatiqve perniciosissima est, ut non immeritò apud aliqvas celeberrimas provincias* impii cognomen *invenerit.* Leges hæc & a pud Possevin. XIII. Bibl. Sel. 24. f. 107. Impius audit Averroës etiam Pomponatio V. de fato p. 937. Opmeero chronograph. p. 641. Raynaudo Theol. nat. p. 810.

Digitized by Google

lum potiùs, qvàm ullius Præceptorem. Qvis verò non videt, neqvissimum illud spectrum provocatione ad libros Magistri Saracenici cùm editos, tùm deperditos id qvæsivisse, ut infelici Cardano versus profanum Scriptorem amor crescceret? Hoc nomine si Averroistam se intelligi voluit dæmon, non modò Averroicæ propagatores doctrinæ assentiemur inveniri apud inferos, sed Epicureos qvoqve illis suos & Cynicos, & *Machiavellistas*, & *Monarchomachos*, & qvicqvid est viperini generis reliqvum, ultro largiemur. Evangelistas enim aut Seraphicos Doctores qvis unqvam ab iis exspectaverit? Neqve opinor à vero procul abludet, si qvis non minorem pietati illatam stragem esse dixerit in aulis Principum à *Machiavello*, qvàm ab Averroë aut Epicuro in Scholis Physicorum. Libertus qvidem Fromondus (*d*) non dubitat Machiavellos & novos Epicureos ac Diagoras qvasi ejusdem factionis homines nominare. Et jam diu atheismi reum peregerunt Machiavellum. Paulus Jovius (*e*), Albericus Gentilis, (*f*)

(*d*) lib IV. de anim. c. I. p. 759.
(*e*) in Elog. f. 163

Digitized by Google

(f), Theophilus Raynaudus (g), alii (h). Non ignoro, qvibus coloribus, qvàmqve variis varii culpæ eximant illam ex Hetruriâ vulpeculam: nec inficior ab eo autore qvædam animadverti sagaciter, alia pulchrè constitui, deniqve nonnulla rectè neqve adversus veræ prudentiæ præscripta constitui. Verùm sive de industriâ venenum salubribus herbis temperavit, sive præ fluctibus rapidi ingenii ab utilibus noxia distingvere non valuit, lectoribus certè pessimè consultum ivit. Qvorum alii imprudentes unà cum cibo aconitum deglutierunt; aliis præcorrupto stomacho sola, qvæ morbum pascerent augerentqve, sapuerunt; præclara scilicet illa: finem Regis ultimum hunc esse oportere, ut latè potenterqve dominetur, malitqve, si alterum sit necesse, metui se à suis, qvàm amari; Religionem, fidem, pietatem, non ultrà illi habendam, qvàm expediat, itaqve simulandas esse in tempore, earumqve zelum publicè ostentandum; ut ipsæ in pectore adsint nihil referre, ac potiùs eam

U rem

(f) c. 22. de Act. fab. p. 115. (g) Erotem. de malis ac bonis libris p. 27. (h) ut Petr. Gregor. Tholozan. de Rep. lib. XII. c. 12. n. 21. p. 936.

Digitized by Google

rem esse dominationi valdè damnosam. Has emergendi regulas & his similes orbi notum est animo imbibisse multos, inqve vitam traduxisse, qvi Machiavelli, aut ex ejus familiâ prodeuntium libellos cupidè lectitavissent. Possumusne ambigere, cùm primùm illa chartis illinerentur, qvin penna qvidem & atramentum & manus fuerit scribæ Florentini, cæterùm scribenti assederit aliqvis ex Stygio Ludo magister, cujus ab ore consilia illa & monita exciperentur? Et sunt tamen hodiè, qvi qvasi nondum satis esset pestilentium pagellarum, novas subinde veteribus addũt, qvalis per hos ipsos menses ex cœcâ qvadam officinâ publicè prodiit Hominis Politici titulo vestitus tartareus fœtus, cùm jam per manus incautæ Juventutis clandestino flagitio discurrisset. Itane nondum persvaderi potest seculo nostro, hæc talia qvi disseminant, dæmoni operam locare? Amœnissimi Theologus ingenii Joh. Valentinus Andreæ in Apologorum manipulis hoc etiam perpulchrè commentus est [i], Francisco Vietæ, acutissimo inter Gallos per superius ævum Mathematico, no-

(i) Mythol. Christ. manip. I. apol. 48.

Digitized by Google

nodum oblatum fuisse, qvem Machiavellus ex ferreis filis constrinxerat, *Principemqve* nominaverat: fuisse hunc nodum multis aciculis armatum, nec nisi chirothecis contrectari potuisse, tùm interno qvodam igne caluisse, & fila inter se nescio qvo ligamine coaluisse, pondere suo manus deprimentem, & fulgore oculos hebetantem: in eo solvendo sudâsse Vietam, artem omnem, omnem analysin frustrà advocâsse, tandem desperasse: unde in iram conversum cùm malleo tentare vellet, scintillis variè dissilientibus parum à summo periculo afuisse. Hæ scintillæ, ut eruditæ fabulæ partem aliqvam evolvamus, annon satis prodiderunt, cujus in Vulcani fornacibus opus ipsum procusum fuerit? Qvanqvam qvid fabulis opus est, ubi rerum ipsarum in promptu sunt testimonia? Reliqviæ Machiavelli ab inferis evocatæ, (ut hoc Joannis Casi (*k*) nostrum faciamus,) translatæqve tandem in Galliam qvot strages, qvot miserabiles tragœdias excitarunt? Ipsam illam omnibus seculis detestandam, qvæ ante hos annos nonaginta florentissimum regnum fœ-



(k) Prolegom. in lib. I. sphær. civ. p. 2.

Digitized by Google

dè afflixit, Sanbartholomæanam carnificinãMachiavellicis inspirationibus acceptam ferendam, vix dubitabit, qvi expenderit, qvæ de Ponceti eqvitis consilio memoriæ mandavit Thuanus [l]. Eâ ipsâ verò nocte, qvâ immane facinus perpetratum est Parisiis, Virum qvendam è Germaniâ nostrâ, certis alioqvi intervallis ab inqvieto Spiritu exagitari solitum, gravissimus Scriptor Philippus Camerarius (*m*) auctor est sæpiùs ẽxclamâsse: Ecce, ecce, qvanta agmina cacodæmonum in aëre, velut ex dissitis ac diversis locis advenientium, ac invicem congratulantium, gaudioqve gestientium, ac si aliqvam cruentam & insolitam, diuqve expetitam rem ex arbitrio perfecerint, hinc inde circumvagari in aëre conspicio! Cœpit ex eo tempore nefariæ doctrinæ immanitatem execrari orbis, neqve

(l) Historiar. Lib. LVII. f. m: 50. ubi hæc leges sub Anno 1574. *Cumulatum & ad majorem invidiam repetitum à biennio consilium, qvod Blæsis, anteqvam Navarræ Regina in aulam venisset, initum fuisse ferebatur, de Franciâ Turcicè imperii instar sub absolutam potestatem redigendâ; ad id suborvatum à Birago Cancellario & Radesiano Comite Ponceium qvendam: -- in ad Regem, Reginam, Andinum introductus varia regna se lustrâsse ajebat, sed nullam in iis Principum plenam potestatem reperisse, præterqvam in Turcico imperio, in qvo penes summum Imperatorem omnium vita, dignitates & bona sunt. &c.* (*m*) Cent. I. horar. succiſ. c. 70. p. 332.

neqve in prelis typographorum qvicqvam aliqvot post illam lanienam annis fervidiùs actum est, qvàm ut artes consceleratæ Doctoris Hetrusci refellerentur. Verùm hîc alium Satanæ actum mihi vide. Ab illis ipsis, qvorum operâ Machiavellus sordere cœperat, dum à Regum servitute licentiùs abducunt populos, semina jacta sunt novæ hæreseos, cui, qvòd omnium Monarcharum majestatem conscinderet, nomen inditum est *Monarchomachia*. Qvæ qvidem eò tectiùs nocet, qvò speciosiore velo palliata est Libertatis, Justitiæ, Religionis. Planè dixeris, dum has duas dissimillimas inter se sectas emisit orcus, alterã è truculenti Leonis semine maturatã, alteram ex ovo blandi Serpentis fuisse exclusam. Ita factum est, ut qvi hodiè castam illam, minimeqve adulteram Prudentiam in domum suam deducere vult, ei sit cum duobus istis dæmoniis depræliandum. Ethica singulis virtutibus binas experitur infestas vitiositates. Non alia debuit esse sors Politicæ, ubi moderatrici Rerump. Prudentiæ hinc Crudelitas Tyrannorum, illinc Plebejæ Furor licentiæ struunt insidias. Adversus

ſus unum Angelum duo ſe armant dæmones, negotium alter ſuum apud Principem agens, alter apud Populos. Sed abundè jam noſtræ præfationis eſt. Plura Vobis de hoc argumento, Rector Magnifice, qviqve de Senatu Academico hæc legitis Patres Amplisſimi, Viri Dignitate plurimùm reverendâ, Juris peritiâ, Medicæ artis experientiâ, ſtudiis Humanitatis Clarisſimi, cæteri item Facultatum omnium inſigniis ornatisſimi Doctores, Licentiati ac Magiſtri, craſtino manè poſt concionem ſacram in Auditorio Philoſophico de memoriâ ediſſeret Juvenis non magis generoſo Atavorum ſangvine, qvam propriis ingenii morumqve virtutibus excellens GEORGIUS LUDOVICUS à WURM. Non hîc Orationem ejus extollam verbis. Ipſa ſpero ſimul ſe commendabit egregiè, ſimul dicentem in gratiâ ponet Auditorii qvantumvis illuſtris atqve eruditi. Qvale ut honorificâ celebriqve præſentiâ veſtrâ illi exhibeatis, per humanitatem veſtram atqve in hæc ſtudia benevolentiam Vos obteſtor. Nobiliſsimo Studioſorum cœtui hoc unum prædico, ſemihorulam, ubi Oratori noſtro dandam putave-

Digitized by Google

taverint, vix posse meliùs collocari. P.P. Lipsi. Festo Michaëlis proprid. Calend. Octobr. A.O.R. MDCLXII.

PROGRAMMA XXX.

## DE LEGENDA S. CATHARINÆ,

*Præscriptum celebrata*

A. 1662. d. 22. Novembr.

PROMOTIONI BACCALAUREALI.

ADmonet nos dies vigesimus qvintus Novembris, à qvo non longè absumus, CATHARINÆ Virgini & Martyri sacer, ejus superstitionis, qvæ nostras antehac Scholas pervagata est, cùm liberalium artium Studiosi vota sua huic in primis Divæ nuncupare, cuiscilicet *Philosophorum* peculiare patrocinium inter Cœlites obtigisset, per speciem pietatis juberentur. Nihil peccabimus, si religionis illius initia, ipsiusqve historiæ fidem per has paginas, qvibus ad *Actum Philosophicum* benevolus Lector invitandus est, paulisper excutiamus. Nam & erroris depositi meminisse dulce habetur, & ingenuis mentibus nihil accidit veritate jucundius, præsertim qvando jamdiu nuvigendis superiorum ætatum aures aperire pertæsum est. De S. Catharinâ, qvam priscis qvidẽ Græcis Scripto-



Digitized by Google

ribus *Æcaterinen* appellari accepimus (*a*), multa sunt relata in literas, qvæ describere tædiũ sit. Sed hæc (*b*) ferò præcipuè credulitati posterorum illuserunt: *Filiam unicam fuisse* Costi (*c*) Regis Ægypti, *Philosophia studiis ab ineunte ætate Christianisqve moribus sic imbutam, ut* Maxentio Imperatori, *cùm is* Alexandriæ *ad Deorum sacrificia populos vocaret, vix undeviginti annorum*

(a) Vid. Abd. Prætor. annot. in confess. Armen. p. 166. Molan. ad Martyrol. Usuardi p. 200. Baron. Martyrol. p. p. 728. qvi *Æcatherinam* scribit. Sed unde nomen hoc sive *Æcaterinæ* sive *Æcatherinæ* derivabimus? Non eadem hic Eruditorum sententia. Abd. Prætorius l. c. sic disserit: *In Catharinæ nomine sic variatur, ut in veteribus Scriptoribus Græcis non tam* Catharina, *qvàm* Æcaterine *nominetur. Qvorum illud à græco καθαρὸς* purus *promanat, hoc interea ignoto manente: nisi commixtum esse concesseris ex* Eicha qvàm & Teren tenella: *qvorum illud ebræum, hoc græcum est, in significationem Ecclesiæ ex Judæis & Græcis, qvos & Paulus nominat, collectæ. Eatenus nominis istius ea esset sententia, perinde ac si diceres,* qvàm tenella! Aliter Vossius c. 2. de philosophiâ p. 10. *In vett. codd.* Æcatharina, *vel* He-catharina *dicitur: qvodcorruptum videtur ex ἡ καθαρεῖνα.* (*b*) de qvibus videndi præter alios *Vincent. Bellov.* lib. XIII. Spec. histor. c. 5. 6. 7. 8. *Jac. de Varagine* Legend. 167. *Petr. de Natal.* lib. X. Catal. Sanct. c. 105. *Martyrologia* sub 25. Novemb. *Breviaria* sub festo Katharinæ, *Marul. Spalat.* Instit. lib. II. c. 10. item III. 2. IV. 8. V. 6. *Wicel.* de Sanctis p. 344. Est & integris tribus libris, heroico metro scriptis, agonem Catharinæ, titulo Parthenices secundæ, complexus *Bapt. Mantuanus* sic, ut Poëtam spiritus suo seculo sublimioris facilè agnoscas. (*c*) Zach. Rivand. Fest. Chron. part. I. f. 110. Ihr Vater soll/ wie die Legenda berichtet/

*rum Virgo, summâ posset cum facundiâ resistere: Conductos ergò undecunque Oratores quinquaginta præstantissimos, ut doctam disertamq; suis artibus vincerent: Verùm humanam sapientiam succubuisse divinæ, totque Viros unius fœmellæ disputatione abductos fuisse ab errore gentili ad cœlestem veritatem: his Tyranni jussu deletis, ipsam scuticis primùm & carcere tenebroso, inediaque tentatam, posteà rotis alligatam, eo artificio compositis, ut in orbem actæ multiplici mucrone discidissent hærentem, nisi divino, protinus miraculo fracta tormenti moles dissiluisset: tandem sub gladio carnificis, manante in sanguinis vicem lacte, exspirasse, cùm quidem precata prius Deum*, ut nomen suum invocantibus benè esset [d], *responsum de cœlo accepisset*, ratam



Costus, oder wie andere wollen / Basiliscus (an Basilius legendum?) Castus geheissen haben. Abd. Prætor. l. c. *Extat* & Costi *nomen, quod Catharina tribuitur Parenti*: sed in hoc tamen variatur nonnihil, ita ut Costus *alibi* & *Ebræo, quod pietatem significat, alibi à* Constante *seu* Constantino, *alibi ab* Augusto deducatur.

(*d*) Fabulam hanc in Papatu etiam Ecclesiasticis cantilenis inspersam fuisse, disces è Joh. de Tambac. consolator. l. XIII. c. 14. ubi, *si in agone*, inquit, *non consoleris propter dæmonum tentationes, & impugnationes, invoca Virginem S. Katherinam, de quâ canit Ecclesia*: Imminente passione Virgo hæc interserit: Assequatur Jesu bone, quod à te petierit, Suo quisquis in agone memor mei fuerit. *Et ecce ad ipsam facta est vox cœlitùs, asserens eam esse exauditam.*

Digitized by Google

hanc ejus petitionem fore: *Corpus deoollatæ, ministerio Angelorum in Arabiæ montem Sinam deportatum, cœpisse inde religiosè coli: Nam & ex tumbâ oleum stillasse, qvô langvidorum morbi sanarentur.* Hæc ita qvorundam sermonibus ac scriptis celebrata, cùm fidem apud credulas, ut erant tempora, gentes invenissent, facilè perfecerunt, ut Catharinam Virginem non modò vel de plebe qvivis inter qvatuordecim Apotropæos Divos (*e*) salutaret, sed & Patronam sibi adoptarent, (ut de sexu fœmineo (*f*) nihil dicam,) Philosophi, qvasi Palladem aut Minervam Christianam [*g*]. Qvippe & hoc memoratum fuit,

(e) germanicè die vierzehen Noth-Helffer. Qvorum hæc sunt nomina: *Blasius, Dionysius, Erasmus, Pantaleon, Vitus, Georgius, Cyriacus, Christophorus, Achatius, Eustachius, Ægidius, Barbara, CATHARINA, Margareta.* Vid. Seelen-Gart. gedr. zu Dilling. A. 1614. 244. 245. David. Majer. Transenn. c. 5. p. 11. Horum cœrui & altaria erecta sunt, ut patet è Crus. Part. III. Svev. Annal. lit. IX. c. 8. f. 508. Ad eosdem in Poëmatibus Bohusl. Hassensteinii duæ extant elegiæ p. 63. & 212. Superstitioni versùs XIV. Divos opposuit Tesser adecadem suam consolatoriam B. Lutherus, ut cognoscimus ex ejus dedic. ad Frideric. Elector. Saxon. (f) *Catharina communis est Virginum & Sanctarum mulierum Advocata*: verba sunt Franc. Qvaresmii lib. VI. Elucid. terræ sanctæ Peregrinat. II. c. 3. f. 624. (g) *Joh. Agric.* Sprichw. 301. p. m. 161.

Digitized by Google

fuit [b], Sabino cuidam Episcopo Mediolanensi (i), cùm is in itinere Sinaitico in Turcos incidens lingvâ membrisqve aliis truncatus fuisset, apparuisse Virginem, & ipsi, qvi lingvæ sua causâ jacturam fecisset, vix in proprio idiomate expeditæ, suam commodasse græcè latineqve peritissimam: mortuo post decennium Sabino lingvam in ejus ore nullam repertam, qvòd eam scilicet Diva repetiisset. Turbine seculi sui etiam involutus cordatissimus Princeps Elector Fridericus cognomento Sapiens, cùm Witebergensem Academiam institueret, universim ipsi Academiæ Augustinum, Theologicæ Facultati sigillatim D. Paulum, Juridicæ Ivonem, Medicæ Cosmam & Damianum, Artisticæ Catharinam, Deos tutelares, Diplomate fundationis præscripsit & commendavit. Unde in hunc diem ab Inclyto Witebergensium Philosophorum Collegio & Catharinalia

*Dress.* de fest. p. 49. & 232. *Hospin.* de orig. fest. 103. *Rivand.* Fest-Chron. part. I. f. 110. *Majer.* Transenn. c. 3. p. 6. *Joach. Ursin.* stupend. templ. Jesuit. p. 348. (b) refert ex Petr. Ravennens. l. gest. notab. *Historia Lombard.* leg. 209.

(i) Qvem tamen frustra qvæsiveris in Catalogo Archiep. Mediol. apud Gvalter. Tom. I. Chron. Eccles. p. 1194. seqq.

Digitized by Google

nalia celebrari qvotannis, & pro sigillo iconem Catharinæ usurpari, expurgato tamen, uti par est, omni impiæ venerationis cultu, novimus (*k*). Neqve frustrà apud nos in eo conclavi, ubi eligendis Rectoribus Nationum habentur comitia, proximè Aristotelem & Philosophos *Disputatio S. Katharinæ cum qvinqvaginta Oratoribus* depicta visitur. Verùm & in hâc Lipsiensi, Matre nostrâ dulcissimâ, qvod singulare DEI beneficium est, hagiolatrica illa profanitas cessit. Præsidem studiis nostris solum DEUM veneramur. Catharinæ non magis preces allegamus qvàm Aristoteli, tametsi & ejus capiti menisçum addidit pictor. Memoriam Catharinæ aliorumqve Sanctorum, sive veras habemus eorum vitas, debitis laudibus proseqvimur, sive confictas, pueris tamen nostris, resecto superstitionum seminio, commendemus, ut vel è fabulis sapere discant. Nam & Apollinarem qvendam accepimus Christophori fabulam similesqve in hunc ipsum

(k) Vid. *Adam. Theod. Siber. διαλεξ.* Acad. Vol. I. Orat. 2. p. 25. *Jo. Wanckel.* Vol. I. Script. Acad. p. 125. (ubi & de missâ olim in honorem Catharinæ cantandâ,) 132. 170. *Andr. Sennert* Athen. Witeb. Facient huc & Orationes (metricè) habitæ Witeb. à Joh. Majore in die Catharinæ.

Digitized by Google

ipsum usum excogitâsse, ut Scholasticæ pubi proponerentur [l]. Abdias certè Prætorius (m) totam illam de Catharinâ descriptionem poëma potiùs Apollinaris, Ecclesiæ statum ejus temporis describens (n), qvàm veram historiam, reputari ait. Et B. Lutherus (o) Catharinam in eadem classe cum Georgio, Christophoro, hujusdemqve commatis aliis reponens, haud obscurè indicat, Legendam ejus sibi planè commentitiam videri (p). Sed qvicqvid sit de Apollinare, tota profectò narratio suspecta esse cœpit, etiam ante Lutherum, auribus purgatis: idqve duas potissimùm gravissimas ob causas. Nam & incredenda videbatur de Martyre tam illustri, si qvidem fidem narrantibus adhibeamus, tanta Eusebii aliorumqve Veterum taciturnitas: & à vero manifestè hoc abludebat, qvòd Alexandriæ à Maxentio infestata scriberetur, qvem Romæ tantùm coluisse, totoqve tyrannidis suæ tempore Alexandriam non

(l) Manl. Collectan. p. m. 651. (m) p. 167. annot. in Confess. Armen. Confer. Manl. d. l. (n) Idem sentit Strigel. comm. in Rhet. Phil. Mel. y. 4. nec non Joh. Major passim in suis modò citatis de Catharinâ Orationibus.

(o) præf. in Kirchenpost. Sommertheil.

Digitized by Google

non vidisse constaret. Omitto portentum, Regem Ægypti qvenqvam eô ævo exstitisse. Itaqve suâ jam ætate Legendam de S. Catharinâ, (uti & alteram de undecim millibus Virginum,) in dubium vocare ausus fuit Gobelinus in Cosmidromio, id qvod post Flacium (q) notatu dignum perhibet, qvi Vitam ejus contexuit (r). De Catharinâ qvidem verba Gobelini hæc sunt (s): *Ego admiror multum, qvare idem Eusebius factum prædictæ Virginis* (Dorotheæ) *sic admiratus, de beatâ Catharinâ Virgine, cujus agonis certamina, si vera sunt, qvæ de eâ narrantur, apud Alexandriam iisdem temporibus acta, constat supra aliarum Virginum agones meritò esse extollenda, nihil omnino scripsit: maximè cùm eundem Eusebium, iisdem temporibus in ipsis partibus ultramarinis constat extitisse, & intentionis suæ in libro prædicto dicit esse, martyria, suis temporibus recepta ab Ecclesiâ, declarare: qvomodò potuisset facta ipsius ignorasse? circa qvam inter cætera tam excellens miraculum foret factum, qvòd corpus mortuum Angelico ductu per aëra ad locum remotum trans-*

(p) Idem Judicium Georg. Gilberti in St. Georg. Reisebüchlein. p. 8. (q) in fine Catal. test. Verit. p. 1094 (r) in edit. Francof. 1599. (s) Ætat. VI. fol. 151. qvæ profert & Flacius l. c.

Digitized by Google

*translatum sepeliretur. Nec solum miror Eusebium, verùm etiam Ieronymum & Bedam, qvorum uterqve in partibus ultramarinis degens magnam fecit diligentiam de passionibus Sanctorum perqvirendis, & neuter eorum, Ieronymus in Kalendario, Beda in martyrologio* (t), *mentionem facit de S. Catharinâ: imò libri antiqvi apud nos nec nomen B. Catharinæ in Kalendario, nec officium Missæ in Sacramentario continent. Et, qvod me maximè vertit in dubium, est istud; qvòd ubicunqve de ejus passione qvicqvam legi vel audivi, legi & audivi Maxentium eã Alexandriæ occidisse, qvem nullam potestatem ibidem ex libris authenticis & historiis famosis tunc constat habuisse, sed Romæ per totum tempus, qvo tenuit imperium seu tyrannidem, resedisse.* Gobelinum secutus Georgius Cassander, magni pudoris Scriptor Pontificius, eoqve nomine ut exosus Suis, ita nostris magni æstimandus, vanitatem commenti sic detexit, ut in clarissimo sole posita res omnis esse videatur. Dignus est ejus locus, qvanqvam prolixior, qvem hic bonâ fide recitemus. Ad hymnum de S. Catharinâ hæc annotat (u): *Hujus hymni auctorem recen-*

(t) qvâ fronte ergò Baronius p. 728. Martyrol. ad Bedam provocat? (u) in Hymn. Ecclesiast. p. 302. seqq.

Digitized by Google

*centiorē esse, necesse est. Nam ante annos ut plurimum trecentos* (scripsit ista Cassander anno 1556.) *Latinis Catharina nomen innotuit: ne Græcis quidem, unde ad Latinos ejus cultus pervenit, multò antè cognita fuisse videtur. Argumento est, quòd ante aliquot secula nulla historia, nec Eusebius, qui diligentissimè res Alexandriæ gestas, præsertim sub id tempus, quo hæc gesta traduntur, perscripsit: nec Nicephorus, qui posterioribus temporibus vixit, nec quisquam alius Ecclesiasticorum Scriptorum Græcorum vel Latinorum, vel verbo ejus meminerunt. Item in Martyrologiis omnibus, Kalendariis, Officiis Ecclesiasticis paulò modò vetustioribus mirum ubique de eâ silentium. Quid quòd Aldelmus* (vv) *Salisburiæ, ut nunc vocatur, occidentalium Saxonum sive Anglorum Episcopus, in libris, quos versu & prosâ de Virginum laude ex professo scripsit, & virginitate insignes utriusq; sexus nominatim celebravit, hanc omninò præterit, non prætermissurus, si tam celebre, quàm est nunc, ejus nomen, aut omninò cognitum fuisset. Adde quòd historiæ veritas à tot præstantibus Scriptoribus tradita omnino repugnat: in primis illud, quòd Alexandriæ à Maxen-*

(vv) Obiit hic anno 709. testibus *Pitseo* de Scriptor. Angl. p. 119. *Godwino* de Præsul. Angl. p. 382. aliisque.

Digitized by Google

*xentio Imperatore passa dicatur, cùm Maxentius totum imperii sui, imò verò tyrannidis, tempus Romæ transegerit. Omitto, quod Regis filia dicatur, cùm Alexandria totaque Ægyptus* (x) *jam inde ab Augusti victoriâ Actiacâ in provinciæ formâ redacta fuerit. Hæc sunt quæ meritò nonnullis doctis & diligentibus Viris magnam admirationem & dubitationem attulerunt: in quibus est venerabilis Vir D. Gobelinus, Decanus in Bilenvelde, qui has absurditates diligenter commemorat in libro suo Annalium, quem Cosmidromium, id est, mundi cursum appellat, & eum secutus auctor amplè illius & laboriosi voluminis, quod Florarium temporum dicitur. Quorum scriptis primùm monitus & incitatus fui, ut hæc diligenter observarem.* Hîc ipsa Gobelini verba interponit Georgius, posteaque sic pergit: *Omitto alia ab his præterita & magis absurda, quæ tamen à nonnullis studiosè scripto prodita sunt, videlicet ejus Patrem Constantiæ Alemaniæ civitate natum, primùm Alexandriæ in Græciâ Religi (si Deo placet) mitâsse, inde domum reversum; mox Rege mortuo ab Electoribus regni vocatum, & diademate regni ornatum: Costum verò inde dictum, quòd Con-*

X *stantiâ,*

(x) Dresser de fest. p. 229. *Ægyptus per id tempus non habuit Regem. Non igitur Catharina Costi Regis Ægypti filia esse potuit.*

Digitized by Google

*stantiâ, quæ germanicè Costnitz dicitur, ortus fuerit: huic in regno filiam natam ex uxore, quam in Alemaniâ gravidarat, cui Catharinæ nomen inditum. Quæ omnia absurdiora sunt, quàm ut refelli mereantur. Alii Constantiam hanc in Cypro (y) ponunt. Est, qui magno studio hunc Costum liberis Constantii Senioris inserere conetur. Constat igitur, antiquitùs multis seculis hoc nomen, atque eas, quæ de eâ circumferuntur, historias penitùs ignotas fuisse, & parum in iis auctoritatis inesse tum ob inconstantiam, tum ob temporum & circumstantiarum repugnantiam. Quòd si quis comperti aliquid de hâc re adferre possit, magnam sanè apud me & rerum Ecclesiasticarum studiosos initurus est gratiam. Quo autem modo ejus nomen & cultus ad nos Latinos devenerit, in quodam scripto reperisse videor, quod de ortu S. Catharinæ inscribitur: in quo & præclara illa historia de Costo à civitate Costnitz denominato, & in Regem Græciæ creato, memoratur. Ait enim Scriptor ille in hunc modum:* Et illud (*inquit*) est inventum

(y) Franc. Quaresm. Elucid. terræ sanctæ f. 624. *Est & alia sententia, quæ asserit sanctam virginem Catharinam Salaminæ, clarissimâ Cypri civitate, postea Constantia appellatâ, in lucem fuisse progenitam.* Martyrologium Germanicum Adami Walasseri, quod cum præfatione Petri Canisii prodiit p. 351. Costum Catharinæ Patrem Salaminæ, quæ in

Digitized by Google

tum per Joannem vicesimum secundum in Cronicâ Græcorum, & de beatâ Catharinâ in Martyrologio positum. *Unde colligitur, à temporibus Joannis vicesimi secundi & nomen Catharinæ, qui illud primus Martyrologiis inseruit, nostris hominibus innotuisse, & ab eo tempore cultum & venerationem ejus cœpisse* (z). *Quæ autem sint illæ Chronica Græcorum, quæ lepidam illam historiam, quam supra compendio recitavi, contineant, nescio: Certè nihil absurdius & ridiculum magis legere me unquam memini. Quomodo autem Græcis primùm innotuerit, & cultus ejus unde cœperit, nondum mihi certò constat. Est illud quidem verisimile, à Cœnobitis montis Synai, ubi corporis reliquiæ conditæ feruntur, initium ejus rei factum: sed nec illud admodum longi temporis esse potest, cùm apud paulò vetustiores, qui de rebus Orientis & præsertim terræ Sanctæ scripserunt, nulla hujus rei mentio fiat. At memini, me apud quendam peregrinationis terræ sanctæ Scriptorem perquàm diligentem legisse, post septingentos demum (nisi fallor) annos, quàm*



Cypro est, Regem facit. (z) Latinis Catharinam antea ferè incognitam in expeditione terræ Sanctæ per peculiaria patrocinia innotuisse, autor est *Molanus*, & inde *Baronius*, uterque in Martyrol. ille p. 200. hic p. 728.

Digitized by Google

*eò corpus Alexandriâ per Angelos deportatum fuerat, ut traditur, à qvodam cœnobii illius Præfecto per revelationem qvandam repertum, & ad cultum venerationemqve expositum fuisse. Sed, uti dixi, certiora audire malim, cùm hujusmodi revelationibus, præsertim ubi historia fide deficiuntur, imò verò fidei historicæ adversantur, non admodum fidendum videatur. Hæc autem ideò tantùm asscripsi, ut studiosorum & piorum diligentia ad accuratiorem hujus rei investigationem excitarem.* Qvod ex Scriptore peregrinationis terræ sanctæ profert Cassander, cum hoc si qvis illa componat, qvæ in Itinerariis (*a*) Johannis Solmensis (*b*), & Alberti Löwenstenii (c) Comitum leguntur, qvorum ille anno 1483. hic anno 1562. religiosum iter suscepit, nimirum intelliget, ipsos Sinaitas Monachos, qvorum voces haud dubiè secuti sunt isti Scriptores, ultimam Catharinæ memoriam vix altiùs, qvàm à duodecimo post C. N. seculo repetere: Narrant enim, alter per 300. alter per 360. annos in eo monte corpus sanctæ

(*a*) Hæc duo & alia pluscula terræ Sanctæ itineraria junctim edita sunt germanicè, qvâ lingvâ & pleraqve ab autoribus scripta fuerant, Francofurt. Anno 1584. titulo Reiß-Buch des H. Landes. (*b*) f. 99. (*c*) f. 200.

Digitized by Google

ctæ Martyris qvievisse. Vetustiorem tamen aliqvantò fabulam esse haud diffitebimur, qvando ea jam Simeoni Metaphrastæ (*d*), qvem Labbeus (*e*) seculo decimo svadet alligandum, innotuit. Sed ante hunc Simeonem, qvod scire liceat, nemo Catharinam celebravit (*f*). Porrò cùm in ejus Legendâ præter ea, qvæ jam è Cassandro tetigimus, absurda sint & ridicula plura, (ut qvòd eam coram Cæsare disserentem hoc etiam usurpâsse scribunt (*g*):

*Nec te collaudes, nec te culpaveris ipse;*
*Hoc faciunt stulti, qvos gloria vexat inanis:*

qvod in distichis Catonis (*h*) legi scimus:) horum certè talium pudere cœpit etiam impudentissimos. Itaqve & Baronius, magnus alioqvi jam computrescentis fabulæ medicator, in Actis Catharinæ haberi aliqva, qvæ corrigi postulent, ingenuè fatetur (*i*). Sed idem, ut docto-



(*d*) vide Molan. & Baron. paulò hîc antè lit. z. citatos.
(*e*) Part. II. de Script. Eccles. p. 354. (*f*) Meminisse Catharinæ Euthymium (Zigabenum) annotarunt Molano & Baronius. Superstes hic adhuc fuit anno 1118. ut probant Miræi. I. Biblioth. f. 250. & Labb. Part. I. de Script. Eccles. p. 311. Meminit & Radulfus Ardens, undecimi Scriptor seculi, Homil. de Sanctis p. 418. & 488.
(*g*) Histor. Lombard. f. m. 166. & Breviar. Ord. S. oh. Hierosol. (*h*) lib. II. dist. 16. (*i*) p. 728. Martyrol. Idem

rum hominum de summâ rei dubitationibus occurrat, nutantemqve commenti fidem fulciat, pro *Maxentio*, qvem magno consensu receperant libri (k), *Maximinum* in Martyrologio reponit (*l*). Meliùs hoc congruere jam diu viderat etiam Lombardicæ Scriptor historiæ (*m*), licet perperam nominans *Maximianum* pro Maximino. Hic enim Orientem tenuit, cùm in Occidente sæviret Maxentius. Qvare & apud Bellovacensem pro *Maxentio* legi *Maximinum* jubent in margine Duaceni editores (*n*), & jam ante hos idem fecerat in germanico suo, qvod cum Petri Canisii præfatione prodiit, Martyrologio (*o*) Adamus Walasserus. Qvam ob causam & in Breviariis recentioribus (*p*) *Maximinum* reperias, cùm vetustiora (*q*) *Maxentium* exhibeant. Sed qvid ad Eusebii silentium reponitur? qvod

Tom. III. Annal. ad ann. 307. n. 33. f. 28. angitur, *ab incerto Scriptore qvò fusius, eò minùs fideliter, qvàm par erat, Acta ejusdem nobilissimæ Martyris fuisse conscripta.* (k) Vid. Wanckel. p. 158. è Mantuano. *Maxentium* habes & in hymnis Ecclesiasticis Cassandri p. 301. 306. (*l*) Adde Tursellin. Epist. histor. p. 99. (*m*) in fine Legendæ hujus f. m. 168.

(*n*) f. 508. Spec. Histor. (*o*) p. 331. *p*) ut Dominicanorum, Rom. Anno 1637. vid & Qvaresm. Elucid. terræ sanctæ f. 1013. (*q*) ut Minoritarum, impress. Paris. Anno

Digitized by Google

qvod non malè cum Wanckelio (r) argumentum, qvod huic figmento qveat opponi, firmisſimum ſtatuas. Valdè craſſa fuit exceptio Baptiſtæ Mantuani (s), qvi credebat, *id accidiſſe diabolo procurante, & tanti Viri cogitationes aliorſum flectente, qvòd ille ſanctitatis inimicus Sanctiſſimæ Chriſti Martyris immortali gloria titulisq; ſempiternis invideret.* Aliud telum vibrat Baronius (t). Negat tacere Euſebium, qvippe qvi prodat (u), clariſſimæ natalibus, doctiſſimæqve inter Chriſtianos Alexandrinæ fœminæ amore captum Maximinum, repulſam exilio amatæ bonorumqve omnium ablatione ultum eſſe, cùm præ libidine interficere non poſſet: hanc nimirum fuiſſe Catharinam; nec morari nos debere, qvòd nomen ejus, ab Euſebio præteritum, *Dorotheam* efferat Ruffinus (w): Videri enim binominem fuiſſe, cùmqve adhuc gentilis eſſet, *Hecaterinam* (ab Hecate) appel-

X 4 latam

1507. & Ord. Hieroſ. impreſſ. Lugd. Anno 1517. (r) Vol. I. ſcript. Acad. p. 153. Conf. Theoph. Lebeum, ſeu Dav. Chytræum in Onomaſt. (s) apud Wanckel. d. l. (t) Tom. III. Annal. ad Ann. 307. f. 28 Huic adde delectos à Tridentinâ Synodo Breviarii Romani reformatores apud Sculret. Part. III. Medull. Patr. p. 192. (u) lib. VIII. c. 27. (al. c. 16. f. 112.) (vv) interpres Euſebii lib. VIII. c. 17.

Digitized by Google

latam, Dorotheæ nomen posteà, cùm ad Christianos transiret, sumpsisse: qvid autem mirum, si Eusebius cætera ejus certamina ignoraverit, cùm ne nomen qvidem illius tenuisse videatur? neqve putandum, Maximini libidinis faces fuisse possessione divitiarum ejus exstinctas, aut, qvi polleret rerum imperio, inseqvi fugientem desiisse: sed retractæ ab exilio id evenisse posteà, qvod alii memorâssent: deniqve corpus occisæ congruenter fuisse in montes Arabiæ translatum divinitùs, ubi probabile sit latebras eam habuisse in fugâ. Hæc & his similia Baronius plura. Qvibus cùm non pauciora possint, hîc tantùm respondebimus, jam pridem pervidisse Gobelinum, qvem suprà (x) auscultavimus, diversas esse oportere (y), de qvibus tam utrinqve diversa & prodantur, & taceantur. Qvid autem, ut pro iisdem habeamus, affert Baronius, præter mera somnia, qvibus Catharinam fabulosam veræ Dorotheæ, ut pannum lacerum preciosæ purpuræ, assuit? His frena si la-

(x) respice ad prima verba ex eo citata. (y) Distingvit eas & Vincentius Bellovacensis. Nam de Catharinâ agit c. 5. de Dorotheâ c. 10. lib. XIII. Spec. Histor. f. 508. 509.

Digitized by Google

laxamus, penè dixerim, Hecaten ipsam habebimus inter Virgines Eusebianas. Jam qvis credat, fugam fœminæ, & spolia facultatum, in qvibus nihil est miraculi, resciri potuisse ab Historico; illud disputationibus cum tot Sapientibus, illud rotæ cælitùs disjectæ, illud lactis pro sangvine effusi, illud deniqve corporis per Angelos subtracti miraculum, si qvicqvam horum credimus, resciri ab eodem non potuisse? Taceo lusum ingenii Cardinalitii, *Æcaterines* nomini, ut in eo *Hecaten* inveniret, manifestam vim inferentis. Hæc talia concionanda erant olim fratribus ignorantiæ, non in hoc seculum afferenda, ubi pueris penè crescunt nares, qvibus næniarum vanitatem olfaciant. Qvi è Sinâ reversi sunt, negant oleum ampliùs manare è tumbâ Catharinæ (z). Scilicet manare desiit, ubi primùm oculatis manibus res geri cœpta est. Qvin & hoc retulerunt (a), pro integro Martyris corpore vix caput & de manibus aliqvid superesse. Sint illæ



(z) Reiß-Buch des H. Landes. f. 165. 365 Oculatum hîc testem se qvoqve sistit Francisc. Qvaresmius Elucid. terræ sanctæ f. 1083. 1005. (a) ibid. vid. & Qvaresm. d. l. f. 1003.

Digitized by Google

læ reliqviæ cujuscunqve; Catharinæ sub Maxentio passæ, qvæ nulla unqvam vixit, esse non possunt. Qvod ergo illis erigit Baronius; Cenotaphium est, cui per nos licebit hanc epigraphen addere:

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ γὰρ τάφον Αἰκατερίνης
Κρῆτες ἐπεκτήνανθ', ἡ δ' ἐ θάνεν, ἀδέσποτ' ἔσα.

Miseram verò atqve deplorandam rerum ante hæc tempora faciem, cùm pro Antistite studiorum adorare somnium Græculi alicujus delirantis, pietas credidita fuit! Beatos hodiè nos, qvi verbo divino edocti sumus, non in aliqvo homuncione, cujus nomen seu verum seu fictum miniatis literis præferant fasti, fiduciam, sed in solo Deo Patre æterno, ejusqve Filio Unigenito, qvi est Sapientia Patris, & eo, qvi ab utroqve procedit, Sancto Spiritu esse collocandam! Huic soli ter Sancto Numini studia vigiliasqve nostras consecramus, ab hoc opem & præsidium flagitamus, Catharinam neqve nos novimus, neqve nos ipsa novit, Deus enim, Deus est, cujus oculi viderunt nos anteqvam primæ corporis nostri lineæ in maternis visceribus ducerentur. Huic curæ nos esse, massam alio-

lioqvi lacrymabilem, & ſcimus & gaudemus. Huic jam Philoſophicos profectûs *decem Ornatisſimorum* Juvenum, qvos per publicam ſolennitatem dies craſtina bonorum artium *Bacalaureos* videbit, ferimus acceptos: Huic vicisſim reliqvum curriculi, qvod in diſciplinis honeſtis conficiendum ipſis eſt, commendamus ac devovemus. Nomina ipſorum patriasqve hæc tabula exhibet:

CHRISTOPHORUS SCHUTZ, Dœbelenſis.
JOHANNES ULRICUS MAYERUS, Lipſienſis.
DANIEL GRIBBNER, Lipſienſis.
JEREMIAS LOSSIUS, Bornenſis.
JONAS HERTZBERGER, Martisburgenſis.
GEORGIUS KORMART, Lipſienſis.
GOTTFRIED WILHELM LEIBNUTZ, Lipſienſis.
MICHAEL MARGGRAF, Crimmicienſis.
CHRISTIANUS HENRICUS MILDEHEUPT, Delmenhorſtenſis.
OTTO MENCKENIUS, Oldenburgenſis.

Magnificum Academiæ Rectorem, Facultatum omnium Proceres Amplisſimos, Cives item Academiæ noſtræ cæteros, rogamus, ut horum honori aliqvam temporis matutini partem gratificari, & Actum Philoſophicum præſentiâ ſuâ decorare velint, ab ipſis Candidatis gloriam, à nobis uberem gratiam reportaturi. P.P. die 21. Novemb. A.C. 1662.

PRO-

Digitized by Google

# Programma XXXI.

## De Astrologia Judiciaria,

*Præscriptum Orationi Panegyricæ*

Qvam Anno 1663. d. 31. Maji, Dominicâ Exaudi

Pro felici Natali Potentissimi Saxoniæ Electoris

Johannis Georgii II.

habuit

Christophorus Henricus Starckius, Luneburgensis.

NAtalem qvinqvagesimum primũ Potentissimus Elector Saxoniæ Johann. Georgius Secundus, Pater Patriæ, Nutricius Ecclesiæ nostræ, Conservator Academiæ, crastinâ luce sospes atqve incolumis, (qvæ ter Optimi terqve Maximi Numinis gratia est,) auspicabitur. Erunt fortasse, qvi sidera scrutati, qvorum temperiem olim nascens cum primo aëris haustu attraxit Principum illustrissimus, qvicqvid in eo virtutum deosculamur, cœlo ibunt imputatum. Ergò qvod intemeratæ Religionis Defensorem nacti sumus, Jovi debere nos dicent; qvòd saluberrimarum Legum &

In-

Digitized by Google

Instauratorem veterum, & Conditorem novarum habemus, beneficium Solis prædicabunt; qvòd ab eo tristem se discessisse conqveri nemo potest, in Venerem conferent munus. Iidem futurorum qvoqve se nuncios professi, nihil non eorum, qvæ Felicitatis publicæ Præstiti subditos optare par est, ab astris affatim pollicebuntur. Nobis verò execrandum potiùs & à Sanctitate in primis crastinæ diei longissimè arcendum videtur, qvicqvid abstrusæ Sapientiæ titulo Pietati creat exitium. Siderum illi mystagogi, qvò rem deducere soleant, nimis manifestum est. Si fidem habemus, nihil in terris neqve rectè geri potest à mortalibus, neqve perperam, qvin id ipsi diu, anteqvàm fiat, è fatalibus cœli tabulis certissimâ communicatione resciverint. Taceo, qvam injuriam faciat hæc doctrina innocentibus flammis, à qvibus plura repetit, qvàm ipsæ, si voluntate præditas arbitraremur, dare possent, aut vellent, si facultate. In Creatorem qvanto incurrat scelere, dissimulari non debet: cui necesse est, sive DEUM Fato alligat, bonarum, qvas in nobis operatur, actionum eripiat laudem; sive DEO Fatum

tum, unà cum isthâc laude infamiam tribuat etiam, qvas non operatur, malarum. Castioribus ceremoniis sacra Natalis Augusti dedicanda veniunt nobis. Heroicas virtutes Indulgentissimi Domini Divinæ inspirationi acceptas feremus, non afflatibus Planetarum. Felicitatem verò illi longè citiùs ab Architecto cœli preces nostræ impetrabunt ipsam, qvàm hujus spem infidam vel expeditissimus profanæ artis ostentator de cœlesti literaturâ extricaverit. Nec obducat nobis aliqvis, pietatis officia Theologis esse relinqvenda: Philosophos, ut ex præscripto Mathematicæ professionis natalitia Principis sidera populis adoranda proponant, magis decere. Faceremus, si fas esset Philosopho oblivisci Christianum. Ut pro Regibus, & omnibus in sublimi dignitate constitutis obsecremus, ut puras in omni loco manûs levemus, præcepto Apostoli [a] obstringimur. Ut ex siderum inter se commercio de moribus hominum argutemur, ut ad discutiendam caliginem, qvâ prudenti consilio futura tempora Deus obstruxit, faculis æthereis abutamur, toties

(a) 1. Tim. 2. v. 1. 2.

ties repetita divinæ legis interdicta (b) non sinunt. Mathematicas literas suo loco fideliter instillamus Juventuti. Si à certitudine commendandæ sunt humanæ scientiæ, hæ principem sedem nobis ultrò addicentibus obtinent; si à svavitate, proximam; si ab utilitate, minimè postremam. At verò divinatricum artium illa prostibula, qvæ castissimæ Philosophiæ qvid aliud qvàm publicum dedecus conscisсunt, utinam proscribere nobis per tyrannidem consvetudinis liceret! O seculum! O mores! In Romanorum Senatus Consulto juxta cum maleficis (d) hoc genus Mathematicorum [e] nominatur. Hodiè Divinatores parum abest qvin habeantur Divini. Ejiciebantur olim ex urbe gentilitiis adhuc sacris addictâ. Nunc inter Christianos artem venalem impunè exercent. L. Pituanius, ejus scientiæ peritus, Tarpejo saxo dejectus est. Revixisset ante annos qvin-qva-

(b) Deut. 18. v.10. 11. 14. Esai. 9. v.3. 11. 12. cap. 44. v. 24. c. 47. v. 12. Jerem. 10. v. 2. &c. Vid. Brochmand. I. System. Theol. p. 211. seq. Danæ. de hæres. p. 199. Zepper. de leg. Jud. p. 269. Fuller. I. Miscell. 16.
(c) Fostner. ad Tacit. p. 183. Alexand. de Ang. contra Astrol. p. 295. (d) Delr. Disq. Mag. p. 575. Alexand. de Ang. d. l.
(e) id est Astr. seu Genethilia. Vid. Pancir. Var. Lect. p. 409.

Digitized by Google

qvaginta, affirmare ausim, inter Astrologos Pauli V. [f] Pontificis primas dicendi partes, forte & in Tarpejo auratam statuam habiturum fuisse. Majestatis reus [g] qvondam agebatur, si qvis de Principis capite sidera percontaretur. Aut vehementer ego fallor, aut nullus hodiè vivit Princeps, in cujus genituram, ubi opus est, in arcanis deliberationibus non respectent Machiavellici Consultores: qvando vel ante annos aliqvot à famosissimæ Societatis Patre de fato Principis, aliorumqve Heroum in nobili Europæ regno, Diabolo certas qvæstiones propositas fuisse, legimus [h]. Huic hominum generi qvibus machinis excutias nefariæ Scholæ molitiones? Divinarum legum fulmine terreas? At eâ vivimus tempestate, qvâ mali esse qvi decreverunt, homines magis timent, qvàm eum, qvem qvia non vident, dubitare an vivat, incipiunt. Civilibus ergò edictis [i] inculcatis in viam revoces? Vetera sunt,

ex Hier. & Aug. (f) Paulus V. Astrologorum nugis deditus. Vid. Forstner. ad Tacit. p. 185. (g) Piccart. XII. Observ. p. 388. Forstner. ad Tacit. p. 182. Lindenbr. ad Ammian. p. 191. (h) Piccart. XII. Obs. p. 387. (i) Conjectationem ex astris damnat jus Civile Romanorum. Vid. Delr. disq. Mag. p. 572. ab init. Henr. Corne. Agripp. de van. scient. c. 31.

sunt, & alia rationibus suis, alia moribus (non dico qvàm honestis, in hoc certè heu nimium validis,) antiqvata. Mathematicos prædictores pepulerunt olim Romani [k]. Sed ab iisdem Rhetores qvoqve & Philosophos [l] SCto excedere jussos novimus. Enimverò Urbs, cujus mœnia vulturum augurio primum fuissent excitata [m], qvæqve mox ab Hetruscis omnem aruspicinam cupidè excepisset, non adeò Mathematicos tùm exturbavit, qvòd futurorum notitiam jactarent, sed qvòd promiscuè in omni eruditionis Græcanicæ [n] genere nationi armis adsvetæ nescio qvid esset suspectum, qvòd in otia literarum conversis Civium animis dilatandi per bella imperii ardorem corrumperet. Post victas Athenas gustata denuò & liqvidiùs hausta literarum dulcedo pervicit tandem, ut Musæ omnes cum Apolline suo remigrantes è Græciâ sessum reciperentur in Latio. Sic elegantibus studiis permixta, (ut in populo veri Dei ignaro) ar-



in fin. p. 64. (k) Primùm M. Popilio & Cn. Calpurnio COSS. Alex. de Ang. p. 295. (l) Sveton. c. 1. de clar. Rhet. Gell. lib. XV. c. 11. (m) Flor. lib. I. c. 1. p. 14. (n) Conf. Ald. Manut. I. Q. per epist. 9. (Tom. IV. Lamp. Grut. p. 267) & Gell. I. 6.

Digitized by Google

tium superstitiosarum inqvinamenta simul hospitium invenere. Conclusâ in unius dominationem Republicâ novis edictis exagitati à Cæsaribus (o) Astrologi. Etiam qvi super salute Principis hos consuleret, capital admisisse judicatus (p). Nemo existimet, religionis conscientiâ factum (q). Tiberius enim, qvi severissimis mandatis Divinatores exegerat (r), Thrasyllum aluit domi, & ab oraculis ejus qvotidianis pependit (s). Metuebant, ne qvibus artibus ipsi imperium qvæsivissent, iisdem contra se imperandi cupiditatem nutrirent alii (t). Qvare & Hadrianus (u) ingenti saxorum mole Castalii fontis fatidicas obstruxit venas,

(o) Adhuc Ethnicis. vid. Panciroll. Var. Lect. p. 410. Alex. de Ang. p. 295. In his Vitellius, de qvo vid. Sveton. c. 14. Mich. Glyc. III. Annal. p. 333. Claud. Min. ad Alciad. Embl. 103. p. 373. (p) respice suprà ad lit. g. (q) *Mirari subit.* (verba sunt Alexandri de Ang. p. 295) *Joh. Fordiensem, qvi negat Astrologorum placita improbata aliis, qvàm Romanis Pontificibus, ab iisqve non damnari, qvòd inania fundant Oracula, sed qvòd cum Christianâ religione — congruant parùm. Qvis enim --- non legerit Romanorum Principum decreta adversus Genethliacam labem, qvi profectò non Religioni Christianæ, sed Politicis rationibus consulebant.* (r) Timp. Spec. Princip. p. 367. (s) Vid. Timp. d. l. Lipsi. Monit. Polit. p. 60. 61. (t) de rationibus talium edictorum vide & Forstner. ad Tacit. p. 184. Lipsi. Monit. Polit. p. 63. (u) Forstner. d. l. Ammian. Marcellin. lib. XXII. p.

nas, ne, ut ipse præcinentibus aqvis capessendam Remp. comperit, sic alii docerentur similia. *Cui autem opus est* (Tertulliani [w] verba recito,) *perscrutani super Cæsaris salute, nisi à qvo aliqviâ adversus illam cogitatur, aut optatur, aut post illam speratur & sustinetur? Non enim eâ mente de charis consulitur, qvâ de Dominis. Aliter curiosa est solicitudo sanguinis, aliter servitutis.* Illas ergò Cæsaribus leges Despotica persvasit calliditas, non metus offendendi Numinis, si socii Magorum in Rep. tolerarentur. Ab eâdem causâ profectum credas, qvòd lege Mahumeticâ omne Divinationum genus vetitum est, ut à Johanne Leone Africano [x] docemur. Aliam rationem, cur de vitâ Romani Imperatoris neqve cuipiam liceat interrogare Genethliacum, neqve huic respondere interroganti, Firmicus Maternus [y] in chartas retulit: *Solus enim*, inqvit, *Imperator stellarum non subjacet cursibus, & solus est, in cujus fato stellæ decernendi non habent potestatem.* Adeò placuit hoc commentum specie qvadam



243. & ibi Lindenbrog. p. 116. Sozom. lib. V. c. 18. f. 519. (vv) Apolog. f. 873. Piccart. XII. observ. p. 390. (x) lib. III. descr. Afr. c. 23. p. 229. Lipsi. Mon. Polit. p. 63. (y) cit. Piccart. XII. observ. p. 391. Adde Lindenbrog. ad Ammian.

Digitized by Google

pietatis eruditissimo Piccarto [z], ut nobis etiam tanqvam cordatè & verè monitum commendet: Esse enim utiqve Principes, qvalescunqve sint, in DEI custodiâ [a]. Sanè. Sed hoc non volebat Firmicus, qvi ex universâ non mortalium modò, sed Regum multitudine unum Imperatorem Romanum stellarum potestati subtraxit. Cedò qvamobrem? Audiamus ipsum (b): *Cùm enim sit totius Orbis Dominus, fatum ejus Dei summi judicio gubernatur.* Qvo sensu totius Orbis Dominum Imperatorem salutare conveniat, Jure Consulti definient. Nos hîc nihil aliud annotabimus, qvàm non minùs miti palpo percussum Imperatorem à Firmico, qvàm nostrâ memoriâ Pontificem à Scipione Amirato, & Alexandro de Angelis: qvorum alter (c) Electionem Papæ omni ex parte divinum opus esse, qvòd vel Sagacissimorum præsagia elu-

p. 191. (z) d. l. p. 392. (a) Reges à Deo singulariter juvari atqve protegi, Chok. Thes. polit. aphor. p. 8. Camerar. I. succisiv. 30. & II. 7. Sed hoc suo modo in qvemvis Christianum qvadrat. Piccartus verò hîc talia affert etiam, qvæ ad qvemvis hominem trahas. Vide locum Tertulliani ab eo ex apologetico citatum p. 392. (b) cit. Piccart. observ. p. 391. (c) Scip. Amirat. III. discurs. I. p. 140.

Digitized by Google

eludere ſoleat eventus; alter (d) qvòd ipſe ſit Chriſti Vicarius, nihil poſſe ab aſtris de Pontificatu decerni, perſvaſum nobis voluere. Sed inter Alexandrum & Firmicum hoc intereſt, qvòd ille explodendæ, hic propagandæ Genethliacæ neqvitiæ, (nondum enim Chriſtianus (e) libros ſcripſit Aſtronomicorum,) calamum elocavit. Verùm hunc, ſi maximè tantus ſit Imperator, qvantum ipſe laudavit, commilitones refellent ſui. Qvorum ut erit qvisqve in arte vaniſſimâ impudentior, ſic argumento confidentiùs reclamabit. Petro qvidem Aliacenſi Cardinali fruſtrà fabulam illam narraverit. Qvi enim CHRISTI Dei natalem, miracula omniaqve prodigia ex geniturâ ejus obveniſſe non exhorruit profiteri (f), qvomodo hominem ullum qvantævis celſitudinis ab imperio ſiderum exemptum aſſentietur? Ergò Firmicũ crediderim grandiloqventiâ illâ de Imperatoribus uſum, non qvòd ipſe



(d) Alex. de Angel. lib. IV. contra Aſtrol. c. 47. p 267.
(e) Labb. I. de Script. Eccleſ. p. 660. *Idem* (Firmicus) *nondum Chriſtianus ex perbulgatâ Gentilium ſuperſtitione & Genethliacorum commentis ad Lollianum V. C. ſcripſit Aſtronomicorum ſeu Matheſeos libros octo.* (f) Vid. Voſſ. de ſcient. mathemat. c. 38. §. 14. p. 215. Sixt. Senenſ. Biblioth. f. 468.

Digitized by Google

sic existimaret, sed ut subserviret causæ (g), & Astromantiã suam aliàs publicè damnatam diffingeret ad affectûs Cæsarum, qvi se tantùm eximios esse cupiebant, & ut essent, latis etiam legibus cavebant. Sed hæ jam diu in spongiam incubuere: aliqvo qvidem seculi se emendantis argumento, (Non enim id Imperator, non Principes nostri formidare habent, qvod olim dissimillimi ipsorum Tiberii, Nerones, Caligulæ,) non tamen fortasse nullo, etiam si ex solâ doctrina rem æstimes, cum securitatis publicæ periculo. *Hoc qvoqve monebo non frustrà*, inqvit Hugo Grotius (h), *sed qvia veteribus recentia conferens, magnum malum, ni caveatur, prævideo, justam belli causam non dare spem conceptam ex aliqvâ divinorum vaticiniorum explicatione.* Qvæ à temerariis sacrorum oraculorum interpretibus cautio est, esse qvoqve debet à veraculis, qvi non minùs certa jactant DEUM cœlo, qvàm sacro codici, de casibus futuris inscripsisse. Superiore seculo, cùm Adiaphora scinderent Ecclesias, magnum

469. (g) Calliditatem Firmici agnoscit Vossius d. l. c. 37. § 12. p. 207. (h) lib. II. de jure Belli & Pacis c. 22. §. 15. p. 359. ubi vid. & annot. p. 362 363.

Digitized by Google

gnum Virum (i) scimus fuisse, qvi qvod ex Eclipsi Lunari anni qvadragesimi octavi mortem Caroli Cæsaris ingenti, sed vana, præsumptione exspectaret, ultrò tùm ruituras sibi promittens Interimisticas minas, non eam præstaret rebus constantiam, qvæ fortem decebat Theologum. Adeò non Aulis modò Regum, sed Templis qvoqve fraudi esse possunt calculi Astrologorum, si plus qvàm eclipses denunciare jubeantur. Non ido ago nunc, ut qvod periculosum jam docui, impium qvoqve & Christiano homine prorsus indignum vel repetitis ab omni ævo præjudiciis confirmem, vel rationibus vincam. Possem alioqvi Patres nominare, qvi Chaldæorum illas artes dæmonum inventa [k] vocent. Possem, qvi ab Angelis desertoribus proditas (l) fateantur, & idololatriam

Y 4

(i) Philippum Melanchthonem, de qvo vide Flacii scripta contra Adiaph. p. 145. in epistolâ ejus ad Phil. 8. Jun. Anno 1549. (k) Lactant. lib. II. cap. 17. (al. 16.) ab inir. *Eorum* (qvos Trismegistus ἀγγέλους κοσμικοὺς appellat,) *inventa sunt astrologia, aruspicina, & auguratio.* (l) Tertull. de Idolol. f. 732. *Unum propono, Angelos esse illos desertores Dei, amatores fœminarum, proditores etiam hujus curiositatis* (de Astrologiâ loqvitur,) *propterea qvoqve damnatos à Deo.* Idem Apolog. f. 873. *Qvæ artes* (Astrologorum, aruspicum, augurum) *ut ab An-*

triam (*m*) in illis detestentur. Possem, qvi Magiæ speciem [*n*] nuncupent aut comitem [*o*]. Bardesanem Syrum & Aqvilam ponticum proferrem, qvos utrosqve ista professio Ecclesiæ gremio excussos [*p*], alterum ex assertore veritatis (*q*) hostem, & novæ sectæ Principem (*r*), alterum Judæum fecit è Christiano (*s*). Monstrarem ex Catalogis hæresium, ea dog-

*gelis desertoribus proditas, & à Deo interdictas, ne suis qvidem causis adhibent Christiani.* (*m*) vide Tertull. d. l. de Idolol. f. 732. (*n*) Tertull. d. l. *Cùm Magia punitur, cujus est species Astrologia, utiqve & species in genere damnatur:* Fullerus L. Miscell. 16. p. 105. *Plinius refert, Osthanesum, Magorum alterum coryphæum -- literis prodidisse, non solùm illam esse Magiæ speciem, qvæ ex umbrarum inferorumqve colloqviis, sed illam etiam, qvæ ex stellis Divinationem promittit.* (*o*) Raynaud. Erotem. p. 32. *Comes Magiæ est Astrologia, ut Nazianzenus affirmat Orat. 3. describens Juliani Apostolæ studia Asiatica.* (*p*) Qvàm severè olim Ecclesia in Genethliacos animadverterit toto cap. 12. lib. V. in Astrologos exeqvitur Alexand. de Angelis p. 295. seq. Oratio Augustini in Mathematici cujusdam reconciliatione cum Ecclesiâ citatur à Vossio de scient. Mathem. c. 38. § 4. p. 210 (*q*) Danæ. de hæres. p. 98. *Bardesanes Syrus -- Christianam religionem primum profitebatur, in qvâ sic excelluit, ut adversis Marcionitas etiam scriberet.* (*r*) vid. Danæ. d. l. & Catalogos Hæreticorum passim. (*s*) Glycas III. Annal. p. 337. *Christiani Sacerdotes, qvi eum* (Aqvilam) *post multas admonitiones ab Astrologicæ disciplinæ studio desistere nolle cernerent, hominem à cœtu sacro prohibent: qvi hisce pœnis scilicet ipsum emendaturos se putarent. Tum ille qvâdam iracundia magis etiam accensus ad Judæorum Sacerdotes se confert, ac per exsecratia-*

Digitized by Google

dogmata, qvæ hodiè Curiosorum ingeniis tantoperè blandiuntur, fuisse qvondam Manetis (*t*), Colarbasi (*u*), Priscilliani (*w*), Conciliorum obelis jam pridem confossa (*x*). Theologos nostros [*y*] appellarem, qvi Genethliacos, etiam cùm maximè sobrietatem præ se ferunt, DEO exosum genus sacris convincunt oraculis. Auctoritatibus deniqve Argumenta sociarem, si sanum qvempiam dubitare crederem, an genuinæ Philosophiæ studiosum qvicqvam dedeceat magis, qvàm ad Natalem Principis natalitias adferre nugas, Albohali alicujus aut



*nem Christianismo ejurato circumcisionem recipit.* Vid & Delr. disq. Mag. p. 571. Raynaud. erotem. p. 35. Spanhem. II. dub. Evang. 33. p. 335. (*t*) Joh. Pic. Mirand. II. in Astrolog. 5. f. 296. 297. *Hæreses Manichæorum, arbitrii libertatem tollentes, unde potiùs putamus emanásse, qvàm ex istâ de fato Astrologorum falsâ opinione?* (*u*) Augustin. c. 15. de hæres. *Colarbasus -- sitam omnium hominum & generationem in septem sideribus consistere affirmans.* (vv) Augustinus ibid. c. 70. de Priscillianistis: *Astruunt etiam, fatalibus astris homines colligatos, ipsumqve corpus nostrum secundum duodecim signa cœli esse compositum, &c.* (x) Delr. disq. Mag. p. 571. *Concilia & Canones Patrũ gravissimis pœnis præstitutis eam* (Astrologiam) *damnant.* Vossius de scient. Mathem. c. 38. §. 4. p. 209. citat Concilium Toletanum I. in assertione fidei contra Priscillianistas. (y) Vid. Dunte cas. consc. p. 31. Brochmand. I. System. Theol. p. 211. Gerhard. Tom. II. Loc. Theol. p. 11. Mengering. Informator. consc. p. 98. & Scrutin. consc. p. 189. seqq. Danah. Decal. p. 40.

Digitized by Google

Halirodoan præstigiis fermentatas. Reginaldum Polum (z) accepimus, cùm genituram illi suam ad siderum texturas descriptam nescio qvis polliceretur, blandâ manu hominem compescuisse, memorabili voce adjectâ: *Memini me natum: sed & renatum scio: & hoc amplius, natalem hunc diem secundum priori tenebras offudisse, & lustricis aqvis omnes illas à mathematico cœlo lineas fuisse deletas.* Qvàm dispar hic Cardinalis Aliacensi, qvem supra memorabamus! Disparem nugivendis & Oratorem producet crastina dies *Christophorum Heinricum Starckium, Luneburgensem,* Artium Bonarum Baccalaureum, ad optima qvæqve natum pariter & educatum Juvenem, qvi POTENTISSIMI ELECTORIS SAXONIÆ, JOHANNIS GEORGII SECUNDI, DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI, Natalem lingvâ celebrandi officium sibi concedi à nobis depoposcit. De Electorali gladio verba facientem audiemus, non de baltheo aut ense Orionis: Castis precibus litantem, non incestis blasphemiis. In altero priscæ historiæ non imperitum se probabit, in altero dignum Patre Freiber-

(z) Vid. Besold. differt. de Rep. curand. c. 2. §. 4. p. 101.

bergensis Ecclesiæ Antistite, deqve piis cœtibus meritissimo Theologo filium, in utroqve Philosophum Christianum. Talis Oratio Natali Principis, talis Dominicæ diei, cujus Apostolica Lectio (a) prudentes esse, & in precationibus vigilare nos jubet, mirificè consentanea erit. Agite Rector Magnifice, Proceres Academiæ Amplissimi, Cives reliqvi florentissimi, & horâ duodecimâ in Auditorio Philosophico semihorulam date nostro, date nobis, date diei non Solis jubare magis, qvàm splendore Ensiferi Principis Serenissimæ! Date Patri Patriæ, & ut Ipse nobis cum Augustâ Familiâ qvàm diutissimè, qvàm felicissimè præsit, Ter Sanctum Numen devotis precibus invocate! P.P. pridie Dominicæ EXAUDI, 30. Maji Anno 1663.

(a) I. Petr. 4. v. 7. *Estote prudentes & vigilate in Orationibus.* Qvibus verbis inchoatur Pericope Epistolica Dominicæ Exaudi.

## PROGRAMMA XXXII.

## AN GENTILES IN ANIMA MUNDI AGNOVERINT SPIRITUM SANCTUM?

*Præscriptum Orationi,*

Qvam Anno 1663. d. 6. Jun. pridie Pentecostes habuit MICHAEL SIPSIUS, Lipsiensis,

*De Columbâ Pentecostali.*

Illu-

Illustre sui spectaculum edidit SPIRITUS SANCTUS, cùm in caput CHRISTI à Johanne baptisati sub Columbæ figurâ se demisit (*a*). Ac tum qvidem imaginem columbæ induit primùm; officium columbæ non tùm demum usurpare cœpit, sed eo jam inde à mundi nascentis exordio perfunctus est, cùm, uti Moses (*b*) pronunciat, *Spiritus Domini ferretur super aqvas.* Qvemadmodùm enim *Spiritum Domini* eo loco tertiam Sacrosanctæ Divinitatis Personam meritò cùm Theologis orthodoxis (*c*), & in his Luthero nostro (*d*) interpretamur: ita nihil vetat, qvin illud, qvod in fontibus est, מרחפת peritissimo citra controversiam Sacræ lingvæ Salomoni Jarchio (*e*) assentiamur alludere ad columbæ ritum nido incubantis. Qvò & Basilii (*f*) expositio facit, qvi εἰκόνα τῆς ἐπωα-

(*a*) Matth. 3. v. 16. (*b*) Gen. I. v. 2. (*c*) Affelmanno Disp. Anno 1620. de Spiritus S. Personâ Q. 1. Glass. Christol. Mosaic. Diss. I. §. 71. 72. & aliis. (*d*) in marg. ad vers. german. Bibl. item Enarr. in Gen. c. 1. Tom. VI. Witeb. lat. f. 2. (*e*) cit. Christiano Schotano Heptaëm. p. 71. (*f*) cit. Schot. d. l. p. 72. & Gerh. Tom. I. Loc. de Spir. S. n. 45. p. 581. Consentiunt qvoqve Paul. Burgens. apud Schotan. p. 77. & Tremell. ac Jun. in annotat. ad h. l. item Glassius Christol. Mos. diss. I. §. 37. 90.

Digitized by Google

ἐπωαζούσης ὄρνιθος, καὶ ζωπυροῦν τινα δύναμιν ἐνιείσης τοῖς ὑποδαλπομένοις, in eo vocabulo agnoscit. Egregia profectò utriusqve fœderis harmonia. Vetus illud à condito mundo, novum à Johannis baptismo auspicamur. Utrobiqve Spiritus S. columbæ qvodam habitu sensibus se nostris ingerit: illic morem Columbæ in suam se pullitiem expandentis imitans (g); hîc emergentem è lustrali flumine, qvod qvidem ab illis aqvis præfiguratum constat, superveniens. Qvanqvam cur de Spiritu S. tantùm loqvimur? Tota se utrobiqve patefecit Divinitas. *In Principio creavit Deus cœlum & terram:* habes Patrem: Spiritus *Domini ferebatur super aqvas:* habes Spiritum S. *Dixit Deus, Fiat lux:* habes Filium τὸν λόγον τοῦ πατρός. Abi ad Jordanem, geminum germanum & auribus tuis & oculis argumentum obversabitur. Pater è cœlo clamans Filium sibi asserit: Filius carne vestitus lavacro tingitur: Spiritus S. ut videri & ipse posit, formam columbæ mutuatur. Tres personas manifestè deprehendimus: sed unum æternum atqve infinitum Deum, non tres Deos, simplici fide pro-

(g) conf. Glass. d. l. v. 88.

profitemur. Hæc nostra, qvi in hoc Sanctissimum Numen baptisati sumus, sapientia est, magnis in mundo & scientiæ opinione turgidis Viris abscondita, parvulis nobis in historiâ Creationis, ad ripas Jordanis, & alibi patefacta. Et fuerunt tamen, qvi ex illis Geneseos verbis mysterium aut abraderent planè, aut extra Ecclesiæ pomœria propagatum crederent. Illi suæ parùm, hi nimis alienæ salutis curiosi: Adeò medium tenere difficile est! Spiritum illum Domini aqvis incubantem de vento interpretantur qvidam Judæi (*h*), qvi aqvas deficcaverit. Maimonides (*i*) qvatuor elementa sibi visus est in Moyse reperisse, qvippe qvi *terram* & *aqvam* nominet expressè, *ignem* & *aërem* tenebrarum & Spiritûs vocabulis designet: etiam hoc amplius, ordinem & situm naturalem elementorum è divino textu exsculpsit. Miseri homines, qvi tanto Prophetæ, cùm primas voluminis θεοπνεύστου totiusqve sacri codicis lineas inchoaret, nihil aliud ve-

(*h*) Teste Schotan. hepteem. p. 70. & Fagio ad Onkel. (*i*) Part. II. Doct. perplex. seu More Nevochim. c. 30. p. 276. 277. Vide & Paul. Burgens. apud Schotan. p. 74. qvi refutat Maimoniden. Glass. l. l. §. 70. & 84.

Digitized by Google

venisse sub acumen styli crediderunt, qvàm qvod Aristoteles, vel qvicunqve gentilium secundum elementa mundi sunt Philosophati, prodiderunt in rudimentis scientiæ naturalis. Absit autem eandem reprehensionem mereatur Augustinus (*k*), cùm Platonem suspicatur, qvæ de qvatuor elementis in Timæo disseruit, Scripturis sacris, colloqvendo per interpretem acceptis, debere. Sensum enim cœlestis oraculi protulit Sanctus Pater, non qvem suum esse vellet, sed qvem crederet homini profano & ἀμύητῳ incidere potuisse. Verba Augustini appono, simul ut appareat, qvatuor elementa paulò aliter ibi qvæsita, qvàm erat à Maimonide factum. *In Timæo Plato, qvem librum de Mundi constitutione conscripsit, Deum dixit* (l) *in illo opere terram primò ignemqve junxisse. Manifestum est autem, qvòd igni tribuit cœli locum. Habet ergò hæc sententia qvandam illius similitudinem, qvâ dictum est:* Principio fecit Deus cœlum & terram. *Deinde illa duo media, qvibus interpositis sibimet hæc extrema copulantur, aqvam dicit & aerem: unde putatur sic in-*

(k) Lib. VIII. de Civ. Dei c. 11. f. 458. (l) Plato in Timæo f. m. 1048. D.

Digitized by Google

*intellexisse qvod scriptum est:* Spiritus DEI ferebatur super aqvas. *Parum qvippe attendens, qvo more soleat illa Scriptura appellare Spiritum Dei, qvoniam & aër Spiritus dicitur, qvatuor opinatus elementa loco illo commemorata videri potest.* Si qvid hîc ab Augustino absentiendum est nobis, illud fuerit fortasse, qvod adversus eum disputat Paulus Benius Eugubinus (*m*), negans unqvam Platoni libros Mosis fuisse familiares, eodemqve in negotio impugnans (*n*) Hieronymum Vielmum (*o*), qvi sententiam Augustini, sed alio fulcro, statuminaverat. Cùm enim Spiritûs nomine Spiritum S. intelligeret, deqve hoc amoris ergò mentionem à Moyse factam vellet, id eo Timæi loco (*p*) expressum est opinatus, qvô Deus, bonitate ductus, ex rudi indigestaqve elementorum mole omnia constituisse dicitur. Si nihil aliud Mosen, cùm aqvis ἐπιφερόμενον

(*m*) Lib. X. in Tim. Plat. p. 679. 671. in qvâ tamen disputatione Benius parùm prudenter hôc urget primo loco, qvòd Spiritus apud Mosen pro Spiritu S. potiùs, qvàm pro aëre accipiendus videatur. Neqve enim hoc negaverat Augustinus. (*n*) ibid. p. 664. & 692. (*o*) Vixit hic seculo superiore, & Concilio Tridentino titularis Episcopus Argolicensis interfuit. Vide Miræ. Part. II. Biblioth. Eccles. f. 120. (*p*) f. 1047. E.

Digitized by Google

μῆνον Domini Spiritum induxit, voluisse credimus, qvàm Divinæ bonitati amoriqve imputandum esse hoc mundi opificium, nihil audimus, qvod humanæ captum rationis excedat. Porrò qvòd Benius addit (q), si aliqvâ veritatis specie suam opinionem qvasi aspergere voluisset Vielmus, confugere debuisse ad animam, qvam Plato per mundum universum pervadere, eundemqve coërcere dixerit, nec enim defuisse, qvi *Animam Mundi cum Spiritu S. contulerint;* hoc illud est nimirum, qvod in alteram partem exorbitantes qvidam attulerunt, ne gentiles qvidem Philosophos Sacræ Trinitatis, & in eâ Spiritûs S. ignaros fuisse: enimverò hunc ab ipsis Animam Mundi vocatum, unde nisi à Mose, si ultimam originem scruteris, edoctis? Ac Joannes qvidem Amos Comenius (r) per Spiritum Domini aqvis incumbentem, Chrysostomi (s) & Danæi autoritate nixus, intelligit Animam Mundi (t): à mysterio

Z tamen

(q) d. l. p. 693. ubi & promittit, se alibi (lib. 2. decad. II. in Timæum) dicturum, qvòd Animam Mundi cum Spiritu S. qvidam contulerint. (r) c. II. Phys. p. 18. (s) conf. Benium p. 691. sub. fin. De Chrysostomi expositione vide & Glass. I. Christol. Mos. §. 68. (t) Similia de Grotio Schotan. heptaëm. p. 260. *Spiritum Dei Socinistè aut paganicè*

tamen Scripturam non avellit, dum (u) Materiæ ex nihilo productionem Patri, Lucem efformatam Filio, Vim infusam Creaturis Sancto Spiritui ab Historico divino tribui docet. A Comenio eandem sententiam Antonium hausisse Deusingium (w), facilè sibi persvadebit, qvi hujus eum Viri adversus insidias Cloppenburgii strenuum defensorem (x) animadvertet. Non est hoc loco in dogma de Anima Mundi Philosophicis rationibus experiendum. Id potiùs agamus, ut, qvando è recentioribus multi in eo sibi placent, si mundanam Animam Gentilium doceant esse Spiritum S. Christianorum, qvibus autoribus, qvorum suffragio, qvàm aptè vereq́ve hoc dicatur, in aprico sit. Legas autem in hanc sententiam integra penè capita apud Augustinum Steuchum (y), Mutium Pansam (z), Livium Galantem (a), & Philippum Mor-

*interpretatur* δύναμιν διαπλαστικὴν ἢ ἐνέργειαν ζωτικὴν, *ut velit animam mundi potiùs fingere, qvàm consensui orthodoxo accedere.* Ex adverso sententiam eorum, qvi Spiritum Domini Gen. I. interpretantur de animâ mundi improbant ibi Tremellius & Junius, item apud Glassium d. l. §. 71. Hieronymus. (u) p. 21. 22. (vv) Hexaëm. recogn. p. 162. 163. (x) p. 168. (y) lib. II. de perenni Philos. c. 2. 7. 8. 14. & 16. p. 105. 121. 126. 140. 145. (z) c. 66. de osculo Ethnicæ & Christianæ Theologiæ. (a) compar.

Digitized by Google

Mornæum *b*). Qvi omnes accuratis voluminibus laboraverunt, ut Religionem nostram è Paganicâ, veritatem scilicet è mendaciis, aurum è cloacâ elicerent, propè dixerim tanto cum cœlestis doctrinæ dedecore, qvanto cum honore gentilium fabularum. Atqvè ex his Pansa non locum modò Geneseos (*c*), sed & illud Regii Psaltæ *(d) Emitte Spiritum tuum & creabuntur*, ad mundi animam, h.e. ad illum Gentilium Spiritum Sanctum trahit: speciosè qvidem, (Nam & qvi Mundum pro magno animali venditant, animæ ejus viventium omnium animas acceptas ferunt (*e*), & Nostri (*f*) vicissim vivificandi officium Spiritui S. peculiariter assignant,) sed qvàm verè, penes Theologos esto judicium. Non ignoro, Justinum olim, Clementem, Origenem, Eusebium, Minutium in hoc scriptionis

Z 2 genere

Christ. Theol. cum Platon. tit. *Tertia divinæ naturæ substantia secundum Platonem*, f. 96. & *secundum Phetinum* f. 100. add. f. 118. (*b*) c. 6. de verit. Rel. Christ. p. 71. 78. 91. 82.

(*c*) Pansa p. 376. (*d*) Psalm. 104. v. 30. Vide Pansam p. 375. Psalmi hunc locum adhibet etiam Steuchus p. 105. (*e*) Pertinent huc, qvæ scribunt de fonte Animarum, vid. Steuch. p. 120. 121. 126. nam Animam Mundi qvasi fontem esse statuebant animarum cæterarum, qvæ sunt in sublunaribus. Vid. Gassend. Tom II. oper. f. 238. 239. (f) Joach. Morl. Tom. III. der Pred. über die Psalm. p. 301. ad

Digitized by Google

genere multos fuisse, ut concordiam Philosophiæ profanæ cum Religione nostrâ seculo approbarent: Verùm illos suorum ratio temporum excusat qvodammodò. Nam & gentilis eruditionis, cui à pueris propè essent innutriti, difficulter poterant admirationem exuere, & erant gentilium sive hoc hamo attrahendi animi [g], si Orphei, Trismegisti, Pythagoræ, Platonis, qvos unicè venerabantur, decreta etiam à Christianis approbari intelligerent, sive hoc telo fastûs retundendi [h], si docerentur, Suos, qvicqvid haberent præclari, Prophetis nostris furtim surripuisse. Recentes Religionum Conflatores qvod excuset, non perinde promptum est comminisci. Qvid interim factum sit, videmus. Animam universi Platonicam jam diu est cùm Platonicus Chalcidius (i), cùm Cyrillus Alexandrinus (k) Spiritum Sanctum sunt interpretati, hoc est, tertium Divinitatis ὑφιστάμενον (l). Cautè, qvòd Pla-

ipsum v. 30. Psalmi 104. (g) conf. Barth. XXII. Adverf. 16. f. 1104. (h) Paul. Ben. lib. X. ad Tim. Platon. pag. 682. (i) apud Steuchum p. 107. & 145. item Pansam p. 374. Fuit autem & hic Chalcidius Christianus, (vid. Barth. Adverf. f. 2257.) & conciliare voluit Christianos Gentilibus, (ib. f. 1104) (k) apud Pansam d. l. & Joh. Bapt. Crisp. Gallipol.

Digitized by Google

Platonicam. Nam apud Stoicos animam qvidem mundi, sed in hâc animâ nihil magnopere, qvod in tertiam Sacræ Trinitatis personam conjecturis transeat, invenias. Non enim agnoscebant Stoici istas hypostases (*m*): agnoscebant Platonici, Plotinus in primis, (qvi & librum περὶ τριῶν ἀρχικῶν ὑποστάσεων (*n*) scripsit,) certisqve nominibus inter se discernebant: & his qvidem præcipuè: primam Bonum seu Unum, secundam Imaginem Dei seu Intellectum, [Jamblichus Mundum intelligibilem,] tertiam appellabant ANIMAM UNIVERSI (*o*). Habent hæc aliqvam nostræ confessionis speciem, fateor: sed speciem. Romani olim, cùm videri vellent colere, qvicqvid uspiam colerent reliqvæ gentes, (si Hebræam excipias,) Deorum, si qvod illis ignotum afferretur barbaricum Numen, id ex insignibus ejus, aut per ambages interpreta-



de Ethnicis cautè leg. f. 37. (*l*) Conf. qvæ in hanc sententiam disserit Joh. Lud. Viv. ad Aug. X. de Civit. Dei 23. f. 579. (*m*) Schotan. hexaëm. p. 304. Lipf. II. Phys. Stoic. 10 p. 78. (*n*) Vertit Bessario: *de tribus personis Principalibus*, H. in calumn. Plat. 4. n. 15. Ficinus *de tribus Substantiis Principalibus*, qvod jam olim & Augustin. X. de Civ. Dei 23. fecerat: Steuchus jam *de tribus imperatricibus subsistentiis*, pag. 106. jam *de tribus principalibus subsistentiis*, p. 134. (*o*) Præter alios vide Galant. d. l. f. 98. 99. 100. 103. Mornæ. p. 78.

tabantur pro aliqvo ſuorum (*p*). Sic ex Ægyptio Serapide Æſculapium, Jovem, Ditem (*q*), ex Naharvalorum Diis Caſtorem & Pollucē[*r*], ex neſcio qvo Germanorum veterum Herculem [*s*] procudebant. Haud diſpar ſtudium priſcos è nobis qvosdam incesſiſſe dixeris, cùm ſenſus de Deo gentilitios ex ſimilitudine qvâdam in noſtros transformarent. Sed Romanos à ſolâ Judæorum Religione, qvæ vera tùm erat, continuiſſe manum novimus. Rectiùs qvippe ſexcentis inter ſe mendaciis, qvàm vel uni mendacio cum veritate convenit. Utinam & noſtris veniſſet in mentem, fruſtra componi Chriſtum cum Beliale! Neqve enim, ut ad propoſitum redeamus, Trinitati Platonicæ cum Chriſtianâ, aut Animæ Mundi cum Spiritu Sancto major intercedit affinitas, qvàm tenebris cum luce. Sanè dividebat Deum in tres nec plures perſonas natio Platonicorum. Sed eadem nec verebatur tres Deos dicere, & alterum altero minorem, nec eodem omnes æternitatis gradu æternos profiteri (*t*). Qvis miretur?

(*p*) Voſſ. l. de Idol. gentil. 38. (*q*) Tacit. IV. hiſtor. (*r*) Idem de mor. Germ. (*s*) Boxhorn. l. Qv. Rom. p. 9. (*t*) Vid. Schotan. heptaem. p. 288. 296. Conf. Raynaud. Theol.

tur? Nunqvam aliâ lege passus est suæ Scholæ obtrudi Satanas unciam veritatis, nisi ut aliqvot pondo mendaciorum liberaliter admisceret. Hanc labem simul Ecclesiæ inferebant imprudentes, qvi Platonem collocabant in loco sacro. Neqve sinit nos dubitare eventus. Unde enim ad Arium, unde ad Macedonium, & similes ex inferis larvas provectum est, nisi ab his paulatim initiis? Desinant ergò Socinistæ blaterare, qvòd nostræ Ecclesiæ tres in uno Deo Personas adorant, ex Ethnicâ Philosophiâ invectum. Audiant potiùs, qvòd ipsi Filium & Spiritum S. Patri συνάδιον καὶ ὁμοούσιον inficiantur, id proavos suos à patriarchis hæreticorum [u] Philosophis, & condimentario (ww) Platone accepisse. Qvod adeò verum est, ut Justinus etiam, Clemens, Eusebius, aliiqve cætera minimè Scriptores improbi, qvos suprà memoravimus, harmoniam Scripturæ Sacræ & profanæ machinatos, multa ex gentilium librorum cœno traxerint sapientia Tri-



nat. dist. 5. n. 195. p. 552. (u) ita vocant Philosophos Hieronymus adv. Pelag. ad Ctesiph. (Tom. III. Oper. f. 114.) & Tertull. adverf. Hermog. (f. 339. Oper.) (vv) Tertull. de animâ (f. 659. Oper.) *Doleo bonâ fide, Platonem omnium hæreticorum condimentarium factum.*

Digitized by Google

theismum. Id qvòd latiùs exeqvitur Christianus Schotanus (x), tempora in primis excusans, qvibus & adversus Monarchianos [y] maximè depugnandum fuisset, & illa pars doctrinæ Christianæ, cui accuratè explicandæ occasionem posteà dederunt essentiæ divinæ concerptores, minùs foret exculta. Sed Ario & Macedonio semel damnatis, qvorsum attinebat refodere veteres tam periculosas nænias de Mosis cum Platone [z], de Spiritûs S. item cum Animâ Mundi [a] conso-

(x) Heptaëm. p. 281. antec. & seq. (y) ita vocat hos hæreticos Tertullianus lib. adversus Praxean (f. 410. Oper.) *Praxeas* hic *Asiaticus* (verba sunt Philastr. de hæres. p. 205.) *plures negabat personas in Trinitate, sed eundem Patrem & in cruce pependisse, qvòd (ut dicebat) communicata pluribus Monarchia autoritatem Principatus minuat.* Hinc ergò Monarchianis seu Monarchicis inditum nomen, qvod unam duntaxat personam sanctissimæ Trinitatis statuerent. vid. Theod. Petrei Catal. hæret. sub Patropassianis & Praxeanis p. 166. & 181. (Joh. Bapt. Crisp. f. 39. de Ethn. cautè leg. *nec puduit celebrem illum de perenni Philosophiâ Scriptorem* (Steuchum designat,) *Mosem cum Platone comparare.*

(a) dogma hoc brevissimè perstringit Joh. Saresber. IV. Metalog. 16. p. 200. his verbis: *qui* (gentiles) *animam mundi in animas singulas discerptam opinabantur, ipsamqve mentiebantur esse Spiritum Sanctum.* Haud Paulò prolixior hoc in argumento est autor libri de cardinalibus Christi operibus, perperàm Cypriano adscripti, qvem Raynaud. p. 136. erotem. & Labb. I. de Script. Eccles. p. 108. & 239 Arnoldo Carnotensi, seu Bonavallis in Carnutibus Abbati addicunt. Ultimus ejus libri sermo est de Sancto Spiritu, ubi huc per-

Digitized by Google

sonantiâ, nisi ut novis nominibus augeri possent Catalogi hæreticorum? Qvod in Petro certè Abaëlardo [b] evenit, cui cum alia, tum hoc etiam exprobrat Bernhardus [c], qvòd Spiritum S. dixerit esse animam mundi, ethnicum se probans, [hæc devoti Abbatis censura est,] dum multum sudat, qvomodo Platonem faciat Christianum. Hic est Abaëlardus, Præceptor Petri Lombardi [d], meritus, ut ab ejus maximè tempore initia fædatæ per secularem Philosophiam sacræ Theologiæ duceret Trithemius [e]. Improbatum in Abaëlardo dogma nostro ævo Robertus Fluddus renovavit, asserens, *Animam Mundi Deum esse, aut Spiritum Sanctum* [f]. Non est, cur hoc miremur. Viam ipsi straverant Steuchus & alii Harmostæ. Qvi qvòd animam cum Sanctissimo Spiritu paria facere prodiderunt, rectiùs fuerant facturi, si



tinentia qvære f. 329. in operum Cypriani ed. Basil. Anno 1558. (b) Hunc hæreticorum Catalogo inserunt Theod. Petreus & alii. (c) Tract. de errorib. Abail. Tom. IV. Op. f. 114. Adde Ott. Frising. lib. I. de gest. Frid. c. 49. Magdeb. Cent. XII. f. 849. & 1296. Georg. Eder. matæo. hæret. p. 189. (d) File fac. de orig. statut. Fac. Theol. Paris. p. 357. (e) p. 74. de Script. Eccles. (f) Teste Franc. Lanovio ap. Gassend. Tom. III. Oper. f. 267.

Digitized by Google

ab hâc impudentiâ, [non enim displicet nobis hoc Crispi Gallipolitani [g] judicium, nisi qvis malit cum Scaligero [h] nefandum atqve impium flagitium vocare,] abstinuissent. Sed est tamen paulò modestior cæteris Galantes, qvi bonâ fide post Platonis nobiscum concordiam, etiam disidia (i) retegit, qvod & ante ipsum magnus alioqvi Platonis basiator fecerat Bessario (k). Minus pudoris in Steucho & Mornæo notes. Qvos ideò rectè culpant etiam sodales sui, alterum Crispus (l) Pontificius, alterum Schotanus (m) è grege Calvini. Enimverò Mornæum è nostris qvoqve Eilhardus Lubinus eo fructu in deliciis habuit (n), ut ex eo fugeret (o) opinionem illam infelicem de primâ causâ & naturâ mali, longè melioris & Philosophi & Theologi Alberti Graweri (p) elencho refellendam. Sapiamus ergò in posterum deqve divinis non

(g) f. 37. de Ethn. cautè leg. (h) Exerc. 365. sect. 3. p. 1068. (i) f. 120. tit *An harum trium personarum sit una essentia? &c.* & alibi p. 90. 98. 118. (k) II. In calumniat. Plat. 4. n. 8. 9. f. 15. (l) f. 36. (m) p. 311. (n) vertit eum germanicè, ut fatetur ipse Apol. contra Gravv. B. 7. Ex eodem & 24. Disputationes concinnavit, qvæ exstant editæ Rostoch. Anno 1602. (o) facilè hoc intelliget, qvi comparabit inter se Mornæ. c. 2. p. 26. & Lubin. c. 17. de causâ mali p. 222. ed. Rost. Anno 1601. (p) extat hujus An-

Digitized by Google

non loqvamur ex mente Platonis aut Porphyrii, sed Prophetarum, Evangelistarum, Apostolorum. Faciet hoc mane crastino horâ octavâ, loco consveto, doctissimus ornatissimusqve Juvenis MICHAEL SIPSIUS, non huic Urbi filius, non Academiæ Civis pœnitendus. Ut Pentecostali celebritati prælludat, *Spiritum Sanctum Columbæ* comparabit, hâc enim ipsum formâ apparuisse (*q*) certum est: non transfigurabit in Animam Mundi, qvæ an ulla sit, ambiguum faciunt discordiæ Sapientum. Orationem brevem, sed piam & elegantem qvæso Vos, Rector Magnifice, Facultatum omnium Gravissimi Præsides atqve Assessores, Ornamenta item & Membra Academiæ cætera, ne tædio sit auscultare! Non statuemus præsentiæ Vestræ pretium. Ipsa sibi pro præmio erit Pietas. P. P. 5. Junii propridie Pentecostes, Anno 1663.

PRO-

tiLubinus Magdeb. Anno 1606. ubi & p. 158. judicium de libro Mornæi. (*q*) Matth. 3. v. 16.

Digitized by Google

# PROGRAMMA XXXIII.

# DE LAUDIBUS SERENISSIMI SAXONIÆ ELECTORIS JOHANNIS GEORGII II.

*Præscriptum Orationi Panegyricæ*

Qvâ die Johannis Baptistæ 24. Junii
Anno 1663.

*Nominalia ejusdem Potentissimi Principis Lipsiam ingressi*

celebravit

GODOFREDUS KELLERUS, Coldiciensis.

INgredietur hodiè hanc urbem (certa fama est) Dominus Urbis, Pater Academiæ, Columen Imperii, JOHANNES GEORGIUS II. Princeps Elector Pius, Magnanimus, Felix. Cras sacram suo Nomini diem apud nos aget. Perendie Provincialibus aliis forte præsentiam exoptabilem commodabit. Obruimur non magis lætitiæ vix ante paucos provisæ dies abundantiâ, qvàm multitudine officiorum. In unum propè anhelitum omnis conjicienda nobis & excipiendi Principis, & conveniendi, & votis proseqvendi Pietas est. Qvam eqvidem in pectore promptam semper in omnesqve

Digitized by Google

qve casus strenuam gerimus. Sed non perinde expeditum est, sive temporis hilaritatem, qvam utcunqve mente conceperis, floribus exæqvare verborum: sive ardorem flagrantis in cœlum usq; animi stilo nihil humiliore profiteri. Et scimus, ubi magnitudinem fortunæ par consecuta sit celeritas, etiam disertissimum qvemq; obmutuisse. Nec erit tamen, auguramur, Optimo Principum minus grata infantia nostra, qvàm Maximo qvondam Regum Artaxerxi fuit Sinætæ manu oblatus è præterfluente aqvæ haustus (a). Hoc enim dono majoris fidei qvàm opulentiæ Persa excepisse Regem legitur, qvem iter facientem immunem transmittere nefas putabat, etiam extra villam deprehensus suam. Nos verò domi qvidem hîc sumus: nec ignoramus, Bacchi potiùs qvàm Acheloi pocula libari Diis solita: & erunt haud dubiè, qvi isto qvoqve genere præsentiam Majestatis venerabuntur. Sed est tamen iis etiam, qvi aqvam affundunt, inter ministeria locus. Ipse Princeps crastino manè nihil prius, qvæ ejus religiositas est, in memoriam revocabit, qvàm aqvas

(a) de qvo Ælian. lib. I. histor. c. 32.

Digitized by Google

aqvas lustrales. In his enim eo qvondam imbutus est nomine, qvi totum diem peculiari titulo Provinciis festum reddit. Ita dies ex nomine, nomen ipsum ex aqvis gratiam invenit. Imò aqvis unicè accessit pretium è Ter Sancto Nomine Patris, Filii, Spiritus Sancti, qvod in illo elemento, qvotiescunqve Christianus initiatur, usurpari Deus ipse jussit. Ne deseramus cœptam historiam, liceat magnis parva componere. Etiam Artaxerxi placuit aqva Sinætæ, postqvam intellexit è Cyro fluvio haustam. Adeò familiare suæ genti nomen in plebejo qvoq; latice exosculatus est. Ad aqvam baptismatis nihil flumen Cyrus. Ne Coaspis qvidem aut Eulæus, qvos tamen mensis suis dignabantur Persiæ Reges (b). Enimverò in illo sacro fonte non nomen Dei, Deum ipsum induimus: nec aliorum inaudimus nomina, sed sortimur nostra. Hîc Serenissimus Patriæ Pater primùm JOHANNES GEORGIUS esse jussus est. JOHANNIS nomen Celsissimæ Domui primus intulit is, qvem Augustanæ Confessionis gloriosum postridiè Nominalis sui

(b) Stuck. Antiq. Conviv. f. 316.

Digitized by Google

sui Exhibitorẽ nulla secula conticescent. GEORGII vocabulum parum abest, qvin à Podiebrado Bohemiæ Rege accersitum videri qveat: qvem gesta pro Husitis bella ut invisum Pontifici Romano, sic nobis prædicandum effecere. Hujus profectò per Filiam Nepote (c) nemo GEORGIUS Saxoniæ Princeps habetur illustrior. Ambo nomina felicissimis ominibus primò coaluerunt in orthodoxæ fidei Defensore JOHANNE GEORGIO I. qvi jam inter Cœlites triumphat. Ab hoc in Filium Nepotemqve, Dominos nostros Clementissimos, propagata uberem nobis materiem præbent felicitatem crastinæ diei non è nominibus magis, qvàm virtutibus hæreditariis metiendi: simul appellandi DEUM, ut delicias diei tam beatæ qvàm sæpissimè ex Optimorum Principum incolumitate intendere nobis velit. Sed in hoc argumento copiosior erit crastina Oratio Juvenis elegantiâ morum, Jurisq; prudentiæ studio probatissimi GODOFREDI KELLERI, Coldiciensis, qvi pro singulari suo in

(c) De hoc GEORGIO Saxoniæ Duce vid. Fabric. Stem. Wittich. f. 48. Mater ejus Zedena fuit, Georgii Bohemiæ Regis Filia, ib. f. 47.

Digitized by Google

in Parentem Patriæ affectu dicendi partes à nobis ultrò flagitavit, & implebit horâ duodecimâ in Auditorio Philosophico. Implebit autem, si qvid è chartarum lectione prædici potest, cum voluptate auscultantium. Qvanqvam nihil majorem ipsi par est audientiam facere, qvàm nomen Augustissimi Electoris. Per qvod Rectorem Academiæ Magnificum, omnium Collegiorum Proceres, omnium Facultatum Studiosos, ut pietati publicè semihorulam indulgeant, obtestamur. P. P. pridie Joh. Baptistæ d. 23. Junii An. MDC LXIII.

## Programma XXXIV.

# DE SEPTEM ARTIBUS LIBERALIBUS,

*Præscriptum celebratæ*

Anno 1663. d. 28. Julii.

## Promotioni Baccalaureali.

Bonarum Artium ac Philosophiæ propria Facultati nostræ professio est. Hunc titulum in Academiis & Majores usurpaverunt nostri, & nos justissimâ hæreditate ab illis acceptum publicè

blicè vendicamus, qvoties veteris ævi memoriam renovare volupe est. Nemo incuset inanem strepitum verborum, qvasi hoc pacto bis idem dicatur. Nam qvod hodiè *Bonarum Artium* appellatio cum *Philosophiæ* vocabulo paria ferè facit, sciendum olim non fecisse, cùm illa ætas Bonas Artes à Philosophiâ perinde distingveret, ut nostra *disciplinas instrumentales* secernit à *principalibus*. Imò diu ante conditas in Orbe Romano, qvas vocamus, Universitates Scholasticas in veterum Græcorum pariter ac Latinorum Scholis viguit hæc distinctio. Hinc Aristotelem (*a*), hinc Galenum (*b*) tam diu *liberalibus disciplinis* innutritos legimus, donec alter septimo decimo, alter decimo qvinto ætatis anno *Philosophari* inciperet. De Latinis satis clara perhibent testimonia, ut alios (*c*) taceam, Lactantius



(*a*) in ejus vitâ apud Ammon. pag. 7. ed. Nunnes. (*b*) testis ipse λόγῳ περὶ τῶν ἰδίων βιβλίων Tom. IV. Oper. græc. ed. Basil. A. 1538. f. 370. (*c*) Scriptor vitæ S. Eugeniæ (qvi Rufinus esse fertur, Voss. de Histor. Lat. p. 208.) p. 185. Vit. Patr. edit. Witemb. A. 1544. *Eugeniam filiam suam* [Philippus] *cùm* literis liberalibus *perfectissimè docuisset, & tam latino eam qvàm græco eloqvio instruxisset, etiam* Philosophiam *docere permisit*. Besold. Dissert. de Jure Acad. c. 3. n. 5. *Etiam in Jure nostro differentia constituitur inter* Philosophos & liberalium artium *Profes-*

(*d*) atqve Augustinus (*e*). Qvas *liberales disciplinas* modò reddebamus, τὴν ἐλευθέρων παιδείαν vocaverat Ammonius, Aristotelicæ vitæ Scriptor, τὰ παιδείας μαθήματα Galenus (*f*). Solebant enim his famulantium doctrinarum studiis certo qvasi *circulo* comprehensis *Liberi* Civium à *primâ statim ætate* ad Philosophiam *præparari*, ut Wowerio (*g*) ac Vossio (*h*), Clarissimis Viris, observatum. Hinc istis artibus vocabula τῶν ἐλευθερίων ἐπιστημῶν, τῆς παιδείας, περὶ παιδείας, πρώτων μαθημάτων, κύκλου, ἐγκυκλίων τεχνῶν, ἐγκυκλιοπαιδείας aliaq; id genus sexcenta passim indita reperias apud Scriptores Græcos. Qvos imitati Latini *artes ingenuas*, *liberales*, *humanas*, *pueriles*, *primam disciplinam*, *circulum disciplinarum*, *cyclicas disciplinas*, & similiter dixere. Non abnuo, liberalium disciplinarum nomine Philosophiam ipsam alicubi comprehendi: nimirum haud alio

*sores, argum. l. 1. in princip. & §. 4. ff. de var. & extraord. cognit. l. 6. §. 3. & 4. ff. de excusat. tutor.* (*d*) lib. III. c. 25. p. 253. *multis artibus* (Liberales intelligi, seqventia, qvæ hic omittimus, produnt,) *opus est, ut ad Philosophiam possit accedi.* (*e*) II. de Ord. 18. Tom. I Oper. f. 492. ubi cùm de artibus liberalibus disertim egisset, tandem subdit: *Excipit hanc eruditionem jam ipsa Philosophia disciplina.* (*f*) locis lit. a. b. citatis. (*g*) cap. 26. Polymath. p. 229. seqq. (*h*) c. 1. de Philol. §. 7. p. 4. 5.

Digitized by Google

lio sensu, qvàm qvi eas opponit artibus illiberalibus, h. e. βαναύσοις καὶ χειρωνακτικαῖς. At verò qvoties bonæ liberalesve artes à *Philosophiâ* distinguuntur, Scientias famulatrices, qvarum elementa ipsis statim *pueris ingenuis* instillabantur, designari certum est. Loqvendi hæc consvetudo non potuit non manare ad Academias, cùm constet, harum doctrinam publicam initiò intra solas *septem* disciplinas, [qvæ liberalium artium titulo etiam Pictoribus notæ sunt hodiè,) stetisse [*i*], Physicæ, Metaphysicæ, Philosophiæ Practicæ Professiones aliqvantò seriùs accessisse [k]. Ita qvæ primò Facultas *Artium* (*l*) simpliciter vocabatur, amplificatis posteà eruditionis finibus, *Artium ac Philosophiæ* salutari cœpit. Nota sunt *septem* disciplinarum nomina [*m*]: nota in *Trivium* & *Qvadrivium* divisio [*n*], illinc



(*i*) Vide Antiqvitates Academicas summi Viri Herm. Conringii Diss. I. p. 44. & III. p. 79. 80.

(k) Jam tùm ævo Johann. Saresberiensis, (vixit hic Seculo XII.) Physicam & Ethicam accessisse, doceri potest ex ejus c. 24. lib. I. Metalog. p. 58. (l) item *Artistarum*, *Artistica*. *m*) de qvibus distichon:

*Gram.* loqvitur, *Dia.* vera docet, *Rhe.* verba colorat,
*Mus.* canit *Ar.* numerat, *Geo.* ponderat, *Ast.* colit.
Astra. (*n*) Saresb. I. Metalog. 12. pag. 19. de artibus liberalibus: *Hæ qvidem omnes aut Trivii aut*

Digitized by Google

*tribus* artibus, Grammaticâ, Dialecticâ, Rhetoricâ; hinc *qvatuor* scientiis, Musicâ, Arithmeticâ, Geometriâ & Astronomiâ, in classem peculiarem abeuntibus. Non æqvè notum, qvo primùm tempore septem numerari cœperint, historiam illam Wowerio [o] & Vossio [p] non prætereuntibus modò, sed & alicubi turbantibus. Sanè qvod accuratissimæ aliàs Vir diligentiæ (q) persvasum esse nobis cupit, *Latinorum de orbe disciplinarum* (intelligit vulgatas septem) *eadem ac Græcorum fuisse sententiam*, adeò non assentimur, ut ex ipsis, qvos citat (r), Græcis alia omnia docere videamur posse. Nemo illorum (s), ne ex Latinis qvidem Qvin-

*Qvadrivii ratione clauduntur.* Qvadrivii vocem, (Barbari & *Qvadruvium* dixere, qvomodo planè legitur apud Saresber. p. 58 & 86. Metalog.) primus eo sensu, qvod sciam, usurpavit Boëthius I. Arithm. 1. non longè ab init. f. 129. & mox f. 12976 Hoc exemplo posteà tres artes sermocinales *Trivium*, & ab his Scholæ *triviales* appellari cœptæ. (o) In Polymath. qvam vide c. 1. p. 14. (conf. c. 22. in fin. p. 197.) ubi tamen promittit integrum Opus de omni studiorum genere. (p) In libris de qvatuor artibus popularibus, de Philologiâ, de scientiis mathematicis, de naturâ Logices & Rhetoricæ, de Philosophiâ: qvas omnes ex Autoris consilio integrum Systema conficere, singulorum exordia demonstrant. (q) Voss. c. 3. de Philolog. p. 22. (r) pag. dictâ & præced. (s) Hi sunt: Philo, Clemens, Origenes, Sy-

Digitized by Google

Qvintilianus & Varro (*t*), Logicæ seu Dialecticæ locum facit inter artes ancillantes: contrà manifestissimè his exemptam ipsius Reginæ Philosophiæ partibus eam accenset Sextus Empiricus in libris adversus disciplinas. Qvos consentaneum est scripsisse juxta partitionem, qvæ tum publicè esset receptissima: ut illorum temporum de hoc argumento historia non aliunde nobis posset esset certior. Clarè autem opus illud sic digerit, ut Philosophiæ *sex* disciplinas præcurrentes faciat, Grammaticam, Rhetoricam, & qvatuor illas Mathematicas; Philosophiam ipsam *Logicâ*, *Physicâ*, *Ethicâ* circumscribat, apertè hic, perinde ut in hypotyposeon libris (*u*), *trimembrem* illam, passimqve decantatam secutus Philosophiæ divisionem, qvam & Stoicæ familiæ cum Peripato ac Platonicis communem facit (*vv*). Ex his suspicari qvis posset, & opus illud Sexti in *novem* potiùs libros qvàm, qvòd vulgò fit, sectâ in duos libros Physicâ, in decem tribui debere: & has ipsas esse *novem* (*x*) *di-*



nesius, Sextus Empiricus, Porphyrius. (*t*) ibidem à Vossio allegati. (*u*) ubi vide lib. III. c. 2. (*vv*) adversus Log f. 118. ed. Latin. Paris. 1569. Conf. Voss. c. 6. de nat. Log. §. 8. p. 20. (*x*) qvarum numerus ita respondet novenario Mu-

Digitized by Google

*sciplinas*, qvas totidem libris [y], qvi tamen interciderunt, executus est doctissimus Latinorum, Varro. Hoc dubio caret, in illum τῆς προπαιδείας circulum sex tantùm, non septem artes conjectas fuisse à Græcis, *Dialecticâ* nondum huic ergastulo inclusâ. Qvam Plato certè in tantâ dignatione habuit, ut eam disertè omnium doctrinarum apicem (θριγκὸν) celebraret (z), elogio veriùs in primam Philosophiam seu Metaphysicam competente (a). Qvamobrem & Aldus Manutius (b) fallitur, cùm in Græcorum liberales artes Grammaticæ Rhetoricæqve statim adjungit *Dialecticam*. Enimverò apud eam gentem ita res erat: Circulum liberalium artium, (earum puta, qvæ *secundi gradus* Nunnesio (c), *liberaliores* Vossio [d] audiunt,) auspicabantur pueri apud

sarum. Confer, qvæ de novem Musis, totidemqve scientiis & artibus disserit Plutarchus lib. IX. Sympos. Q. 14. Tom. II. Oper. f. 744. ed. græcolat. Francof. Anno 1620. (y) de qvibus Cassiod. Dialect. p. 533. Isid. lib. II. Orig. f. 50. Gell. X. 1. & XVIII. 15. Voss. de Philol. 22. (z) VII. de Rep. f. 705 Adde Alcinoum in fin. c. 7. p. 472. (a) Unde Dialecticæ Vocabulo pro Metaphysicâ usum Platonem, post alios annotarunt Wovver. Polymath. p. 236. & Voss. de scient. mathem. p. 9. & de Nat. Log. p. 16. (b) II. de Qvæs. per epist. y. ap. Grut. Tom. IV. Lamp. p. 266. (c) p. 54. 55. ad vit. Aristot. (d) p. 2. de qvat. art. popul. ut distingvantur à liberalibus gradu positivo dictis, h. e. à *quatuor popularibus*,

Digitized by Google

apud *Grammaticos* & *Rhetores*. Hos Solos in hâc re memorat Galenus (*e*), de Dialecticis tacet. Qvos ne Juliani qvidem temporibus huic ordini accessisse probes ex Ammiano (*f*), ubi narrat, qvemadmodum ille Apostata vetuerit docere Magistros Christianorum *Rhetoricos* & *Grammaticos*. Qvâ tempestate duos Apollinares, Patrem *Grammaticum*, filium *Rhetorem* veteratorios, tyranni conatûs non parum repressisse proditum est (*g*). Non alia apud Romanos viguit institutio jam inde ab illis initiis, cum primùm amare literas cœpit Roma, usqve ad Christianorum Cæsarum aliqvo progressa tempora. Inde Svetonius de illustribus *Grammaticis* ac *Rhetoribus* scribere potuit, de claris Dialecticis non potuit. Inde apud Qvintilianum (*h*), inde in Rescriptis Imperatorum (*i*), qvibus utriusqve Imperii Scholæ ordinantur, de *Grammaticis* & *Rhetoribus* mentio crebra,



Aristotelis VIII. Pol. 3. memoratis, qvæ sunt: *Grammatistice, Gymnastica, Musica & Pictoria*, qvibus primum gradum Nunnesius attribuit. (*e*) περὶ τῶν ἰδ. βιβλ. non longè ab initio. Conf. locum Ammonii in vitâ Aristot. p. 7. (*f*) lib. XXII. p. 239. & XXV. p. 316. (*g*) Socrat. III. Hist. Eccl. 14.

(*h*) l. Inst. 14. in fin. II. 1. & alibi. (*i*) apud χαρίσαν Conringium de Antiq. Acad. pag. 17. 22.

Digitized by Google

de Dialecticis altum ubiqve silentium. Jam, ut ad vetustiores Græcos redeamus, qvi ex institutis Pythagoræ præsertim aut Platonis duci in adyta philosophiæ expetebant, ubi Rhetorum & Grammaticorum Scholas essent egressi, eos subigi priùs oportebat disciplinis *Mathematicis*, qvippe qvas ad sublimiorem scientiam vestibuli, viæ (k), pontis, graduum, scalarum, ansarum instar obtinere scisebant Magistri. Erant autem *qvatuor* illæ, qvas suprà memorabamus. Nec plures temerè aut aliàs enumeratas invenies in Scriptis ævi antiqvioris. Qvin & categoriæ Aristotelis (inventum, ut volunt, Pythagoricum) earum vestigia in *Qvantitate* servant. Habes enim ibi objecta singularum: lineam, superficiem, corpus *Geometriæ*, locum & tempus *Astrologiæ*, numerum *Arithmeticæ*, *Musicæ* orationem. Qvod qvi non animadvertunt, aut exotericum opusculum ad acroamaticas subtilitates exigunt, non mirum est, si nodis inexplicabilibus hîc impediuntur. Ultra Mathesin qvicqvid discebatur, jam non παιδεία erat ampliùs, sed *Philosophia*. Qvam ideò,

29. 61. item Differt. ad L. I. Cod. Theod. de stud. lib. p. 14. 15. (k) Hinc nata Boëthio vox *Qvadrivii*, de qvæ suprà lit. n.

Digitized by Google

ideò, qvia practicâ sui parte duas *artes*, Theoreticâ qvatuor *scientias* supergrediebatur, *Artem artium ac scientiam scientiarum* (*l*) laudabant, hoc idem encomium, ut alia plura, unà cum ipso *Philosophiæ* nomine καθ' ἐξοχὴν tribuentes interdum scientiæ entis, qvatenus ens (*m*), hoc est, *Metaphysicæ*. Imò tandem & *Dialecticæ* (*n*): qvod tamen magis est ut per imprudentiam excidisse dicamus iis, qvi & Platonem deprædicandâ Dialecticâ, qvam ipse qvidem non satis à Metaphysicâ discreverat (*o*), æmulari vellent, nec observarent interim, hunc titulum non satis convenire arti, qvam ipsi, secus ac Plato, ministram esse pronunciarent, non Principem. Eadem inadvertentia Joannis Tzetzæ (*p*) fuit, cùm in Catalogo septem ἐγκυκλίων μαθημάτων sui ævi pro *Dialecticâ* nominaret *Philosophiam*:

Aa 5 nam

(*l*) Ammon. ad Isagog, Porph. p. 5. Damascenus c. 3. & 65. Dial. & alii Græcorum. E Latinis vide Macrob. VII. Saturn. 15. Cassiod. Dial. p. 534. qvi ἐπιστήμην ἐπιστημῶν vertunt *disciplinam disciplinarum*. Nec infreqvens Cassiodoro, disciplina vocabulo pro scientiâ uti. Vide in primis locum ejus p. 568. (*m*) Pachymer. lib. I. tit. I. c. 2. (*n*) Augustin. II. de ordin. 13. Psellus init. Synopsi Organi, ejusqve suppilator. Petrus Hispanus init. summul. (*o*) Vid. Carpentar. Part. I. ad Alcin. p. 177. 179. Scherb. disp. II. §. 2. p. 10. & adde suprà lit. a. hujus alphab. (*p*) Chil. XI. n. 377.

Digitized by Google

nam ὁ πολυμαθέστατος. Vossius (q), dum illud verbum Græculi rhapsodi & sensu proprio, & qvasi ex mente Porphyrii prolatum exaudit, bis fallitur. Joanne magis sapuerunt, qvi, ubi reputâssent animo, nobiliorem esse Philosophiâ nostrâ *Theoreticâ* doctrinam illam, qvam de se Deus in Ecclesiâ revelavit, & *Practicâ*, sed in umbris manente, civilem illam ac forensem, qvæ publico bono justitiam administrat, *Philosophiæ* nomen ad hæc ipsa sublimiora officia transtulerunt. Qvod fecerunt *Theologi* (r), fecerunt Jure-Consulti (s): non tam nostrum nobis nomen eripientes, (ab innocentibus enim invidiam abesse credimus,) qvàm distingvendi exemplum capientes à nobis. Appositè enim Clemens Alexandrinus (t),

(q) p. 21. de Phil. propè fin. ubi & malè ab init. pag. aliud insuper præter mentem Tzetzæ argutatur, incautè seqvens, ut apparet, Wovverium p. 16. Polymath. (r) πεφιλοσόφηται apud Gregorium Theologum pro τεθεολόγηται dici, notat Varinus in φιλοσοφία, Lexic. f. 1843. Hinc *Religionis Philosophia* Salviano p. 73. contra avarit. ubi vide Rittershus. p. 480. item VI. Sacr. lect. 13. p. 459. Apud Historiæ Ecclesiasticæ Scriptores Monachi passim dicuntur *Philosophari*, & vita eorum *Philosophia*. Vid. Tripartit. f. 415. 449. 529. seqq. ed. Basil. Anno 1523. Adde ipsum Johan. Tzetz. Chil. X. n. 343. (s) *Veram* (*nisi fallor*) Philosophiam, *non simulatam affectantes*, l. 1. ff. de Just. & Jure.

Digitized by Google

(t), *Qvemadmodum*, inqvit, *liberales, qvæ stant in circulo, disciplinæ conferunt ad Philosophiam, qvæ est ipsorum Domina: ita etiam ipsa Philosophia conducit ad parandam Sapientiam:* eam puta, qvæ omnem humanam eruditionem transcendit. E disputatis hactenus facile est respondere ad qvæstionem à Vossio (u) magis indicatam, qvàm decisam: *Cur & veteres olim Mathematicis ante Dialecticam imbuti fuerint; & hunc ordinem inverterit ætas posterior?* Nempe illi *Dialecticam*, qvod & Galeni (w) confessione, item Plutarchi (x) firmari

(t) I. Strom. f. 59. Conf. Wovver. pag. 231. 232. Polymath. è Senecâ & Philone. (u) p. 19. de scient. mathem. (vv) loco, qvem initiò indicavimus lit. b. Narrat enim, qvemadmodum se post comprehensas animo liberales artes duxerit Pater ἐπὶ τὴν Διαλεκτικὴν θεωρίαν, ὡς μόνη φιλοσοφία περιέχοντα τὸν νῦν. Unde simul patet, intet artes illas liberales in verbis præcedentibus non λογικὴν, sed λογιστικὴν legi debere, planè ut est in alio qvodam Galeni loco apud Wovver. p. 23. Polymath. & Voss. p. 61. de qvatuor artibus popular. Nam qvòd Vossius ibi λογιστικὴν vertit *Dialecticam*, videlicet imposuerat illi (perinde ut Joh. Ludov. Viveti p. 4. de corr. art.) translatio eorum, qvi in codicem hîc similiter corruptum incidissent. (x) lib. IX. Sympos. Q. 14. ubi f. 744. D. ed. græcolat. in *Philosophiâ*, (qvam hinc à mathematicâ, illinc ab Oratoriâ distingvit,) *disserendi vim*, (τὸ λογικὸν, ita vocat Dialecticam,) *morum & vitæ rationem* (τὸ ἠθικὸν,) *& naturæ considerationem*, (τὸ φυσικὸν,) agnoscit.

Digitized by Google

ri potest, pro parte Philosophiæ venerabantur: posteri hâc dignitate exutam deprimebant in puerilium disciplinarum classem sermocinalem, hoc est, infimam, & eo pacto pro sex artibus liberalibus dabant septem: sicuti nos hodiè contrario ritu *Mathesin* ex instrumento fecimus partem Philosophiæ, Dialecticam interim in famulitio relinqventes. Adeò non regnorum tantùm, sed scientiarum qvoqve publicas conversiones notare licet. In isthâc rei literariæ periodo qvid rectè perperamve innovatum sit, decernere hujus loci non est. Id agebamus, ut, qvo temporis articulo Dialectica numerum liberalium artium augere, sacrumqve adeò & priscis hîc ignoratum septenarium complere cœpisset, indagaremus. Qvâ in re, nisi fallor, hoc non absurdè statuere licebit, tum primùm id contigisse, cum decretum fuit in Scholis, *Logicam sic esse Philosophiæ instrumentum, ut non simul sit pars.* Qvod dogma uti certum est in Thebani Cebetis ætatem minimè cadere; (cujus Tabulam (y) ex hac observa-

(y) Ubi p. 50. ed. Hier. Wolff. Colon. Anno 1596. τῶν ψευδοπαιδείας ἐμφάσεων hic ponitur Ca-

vatione assumento aliqvo purgare obiter possumus: ) sic momentum illi dogmati suum paulò exactiùs alligare ut aliàs possimus, dabitur otium fortasse: nam in Vossio(z) non multum est ad hanc rem præsidii. Neminem interim, qvi Dialecticâ in illum τῆς παιδείας κύκλον assumptâ *Septem* artes liberales constituerit, hactenus deprehendere valuimus vel antiqviorem Augustino, vel clariorem. Qvem & hâc serie enumerasse universas (a), & peculiaribus voluminibus comprehendere singulas (b) aggressum novimus. Hujus Viri per Christianum orbem autoritas

talogus: ποιηταὶ (hi passim iidem cum Grammaticis habentur,) ῥήτορες, ἀστρολογικοὶ, μουσικοὶ, ἀριθμητικοὶ, γεωμέτραι, ἀστρόλογοι. Planè hîc habes *Septem* artium Magistros ad unum omnes; qvos contemnendos videlicet innuit, qvatenus in his disciplinis, tanqvam ultimo fine, consenescendum putant. Atqvi Cebetis ætas non amplius sex artibus numerabat. Ergò, si reliqva servare placet, saltem Dialecticos hîc ejiciamus, exilio qvidem ipsis minimè probosô. Qvanqvam totum locum jamdiu est cùm Viris eruditis, (qvorum qvidam ipsum πίνακα propè damnarunt νοθείας,) suspectum fecerunt seqventia verba, in qvibus mentio Peripateticorum, qvî Cebeti vix est ut innotuerint. Vid. Sam. Petit. IV. Miscell. 4. p. 23. Cujus emendatio ingeniosa qvidem est, sed huic nævo nihil meliùs, qvàm Spongia, medetur. (z) p. 17. de nat. Log. § 5. (a) lib. II. de ord. c. 12. & seqq. (b) vid. lib. I. Retract. c. 6.

Digitized by Google

toritas, simul attrahente, ut fit, deinceps alterum altero, facilè permovere potuit inseqventem ætatem, ut approbatam ejus judicio hac de re sententiam istam propagaret publicè: consensu majore fortasse, qvàm prudentiore: cùm in Libris de doctrinâ Christiana (c), qvos posteà scripsit Episcopus, haud pauca aliter edicere videatur Sanctissimus idemqve summi judicii Doctor, qvàm illic fecerat κατηχούμενος. Sed hæc exponere, & totam de istis artibus historiam ad nostra usqve tempora deducere, chartæ jamdum consvetos fines supergressa angustia nõ sinit. Ad id veniendum est tandem, cujus gratia tota hæc suscepta est scriptio. Bonis Artibus & Philosophiæ laudabilem operam impenderunt hactenus, digniqve cùm examinarẽtur, Scholasticis diligentiæ præmiis judicati sunt, Juvenes humanissimi undecim:

I. CHRISTOPHORUS SCHRADERUS, Hallens. Saxo.
II. GODOFREDUS Richter / Chemnicensis.
III. DANIEL Müller / Theumâ-Variscus.
IV. ADAMUS CLAUSIUS, Clebergensis Misnicus.
V. FRIDERICUS NITZSCHIUS, Dresdensis.

VI. JO-

(c) Secundo in primis & qvarto. Leguntur illi universi initio Tomi III. Oper. Aug. ed. Erasm. Basil. A. 1569.

Digitized by Google

VI. JOHANNES COLERUS, Ronnenburgensis.
VII CHRISTIANUS STEYERUS, Gorlicensis.
VIII. JOHANNES HENRICUS HEMPELIUS, Stolb.
IX. CHRISTIANUS Böhme/ Ablassensis Misnicus.
X. JOHANNES CYPRIANUS, Ravicensis Polonus.
XI. PAULUS MULLERUS, Hamburgensis.

Hos crastino manè, qvod DEUS clementer fortunet, hora octava in Auditorium philosophicum introductos, primi gradûs titulo, qvem BACCALAUREATUM vocant, more Majorum ornare decrevit Facultas nostra. A Vobis, Rector Academiæ Magnifice, Facultatum omnium Amplissimi proceres, & qvicunqve hæc legentes vel addicti estis Ordini nostro, vel illum certè & præclara ingenia benevolentiâ complectimini, qvantum fas est, universis contendimus, ut huic celebritati, non maximæ illi qvidem, sed ingenuis tamen & crescentibus studiis non mediocriter hactenus proficuæ, Testes indulgere Vos & Arbitros velitis. Vigent adhuc apud nos jam inde usqve à primis Academiæ initiis deducti mores honestissimi. Atqve ut in conservandis iis exstare aliqvam diligentiam & elaborationem nostram cupimus: Sic in illustrandis plurimum poterit præsentia Vestra, subindeqve stimulabit plures, ut aliorum exem-

Digitized by Google

exemplum in se qvoqve velint experiri. Nobis autem voluntas certè nunqvam defutura est, gratiam gratiâ & officiis cumulatè referendi. P.P. propridie Dominicæ V. post Trinit. d. 17. Julii A. 1663.

********:*********

## PROGRAMMA XXXV.

# DE QVODAM DICTO ANTALCIDÆ,

*Præscriptum Orationi,*

Qvam Anno 1663. d. 21. Octobris habuit

ERNESTUS CHRISTIANUS COLBIUS, Hallensis Saxo.

*De Laudibus Academiarum.*

CRastino manè in laudem Academiarum verba publicè faciet hora locoq; consvetis ERN. CHRISTIAN. COLBIUS, Hallensis Saxo, morum compositione, literarumqve tum amœniorum hactenus, tum porrò graviorum studio Juvenis Ornatissimus. Non erit hæc insvavis Oratio novo Academiæ Rectori (a), cui Magistratum hunc, jam diu summis ejus virtutibus debitum, sine fato

(a) Electo d. 16. Octob. Is autem tùm erat Samuel Langius, S. Theol. D. & Prof. Publ. & Ecclesiæ ad D. Nicolai Pastor.

Digitized by Google

luco & fallaciis gratulamur. Qvin fore ſperamus potiùs, ut ejus Magnificentia omen inde capiat adminiſtrationis proſperæ, ſi qvam Ipſa primam è Scholaſtico pulpito declamationem audiet, in eo tota verſabitur, ut ex Academiis maximè derivari omnem in Respublicas felicitatem perſvadeat: hoc enim argumentum ſibi deſtinavit Colbius noſter. Cui Parentis optimi[b], & in colligendâ Chriſto Golmenſi Eccleſiâ fidelem ſervum, per annos jam benè multos ſe gerentis, filio vel hoc nomine vacivas aures libenter locabit Rector Theologus. Nimirum favebit ipſe, ut argumento, qvia Rector eſt, ſic Oratori, qvia Theologus. Imò & Oratori, qvia Rector civem ſubditum, & Anteceſſoribus ſuis obſeqvio ſemper, nunqvam ſcævis moribus cognitum, odiſſe non poteſt: & argumento, qvia Theologus primas partes inter Academiæ Doctores ex merito tenet. Ita qvæ Academiam commendat Oratio, ad Caput ejus pertinere cenſenda eſt in primis. A Capite honor facilè ſe in reliqvum fundet corpus, & ungventi, qvo ipſum eſt delibutum, ſvaveolentiâ



(b) D. Chriſtiani Colbii.

Digitized by Google

faciem, barbam, artûs, ipsam deniqve vestimenti oram tinget. Ergò post Magnificum Rectorem Proceres etiam omnium Facultatũ Amplissimos, post hos Academiæ Cives reliqvos Clarissimos, Studiosæ deniqve Juventutis cœtum Nobilissimum, libenter interfuturos confidimus præconio, qvod neminem excludit, qvi Academici Corporis sanum se membrum meminerit. Habemus ingenui omnes indolem Themistoclis, qvi ejus acroama suis auribus jucundissimum accidere fatebatur, à qvo sua virtus optimè prædicaretur [c]. Et tamen facilè tum ab Auditoribus ambitiosæ libidinis suspicionem, tum à dicente adulatoris opprobrium propulsabit Orationis genus: qvippe qvæ nomine suo prædicabit neminem, Academias tantùm generatim suis laudibus efferet. Nec alienare qvenqvam debet argumenti facilitas. Facile esse Athenienſibus Athenas laudare, ajebat Socrates. Neqve nos inficiamur, Academicis laudare Academias rem esse non difficilem factu. Qvid ergò? an hoc postulabimus ab Oratore nostro, ut Academias Lipsiæ vituperet?

(c) Cic. pro Arch. Volum. II. Orat. p. 189.

peret? An, ut ſcriptas de laudibus earum pagellas Mahometanorum recitet barbaræ genti? apud qvam ex Pſeudoprophetæ ſui præcepto conculcatas jacere bonas omnes literas ajunt, qvanqvam id Abrahamus negat Ecchellenſis Maronita [d]. Eqvidem juſto Dei judicio, peccata Germaniæ ulciſcentis, factum eſt, ut concionari Turcis volenti jam non longè ſit abeundum: ac prohibeat miſericordia Numinis, ne hoſtem immaniſſimum Acroateriis ſe noſtris ingerentem, qvi profectò non Auditor futurus eſſet, ſed exciſor, unqvam nos, aut filii noſtri nepotesve, videamus. Verùm, ut revertamur in viam, ſi qvis ita inſaniret, ut humanitatis ſtudia vel coram Doctiſſimo Conſeſſu criminaretur, vel inhumanis Nationibus laudaret: an non, ut mitiſſimè illi ominemur, in Pindari fortunam ſe conjiciet, qvem accepimus, cùm obiter tantùm, vixqve tribus verbis, Atheniensium rubem Thebanis ſuis commendâſſet, λιπαρὰς καὶ δοιδίμους, καὶ ἑλλαδὸς ἔρεισμα ſalutans Athenas, multatum eſſe à Civibus ſuis [e], Atticæ vi-



(d) Præfat. in ſemitam Sap. ex Arabico verſam.
(e) Muret. lib. IV. Var. Lect. c. L ex Æſchine.

Digitized by Google

delicet genti parum æqvis. Probandum itaqve potiùs judicium est Oratoris nostri, qvi memor, ad qvos homines sibi verba facienda essent, conveniens Auditorio argumentum elegit sibi. Sed erunt adhuc fortasse, non in Viris qvidem, sed inter Adolescentes, [ut est ea ætas studiosa novitatis,] qvorum auribus nihil sapiat, nisi qvod rarum sit & insolens, & à communi opinione qvàm maximè abhorreat. *Academias*, inqvient, *nemo nostrùm dubitat omni prædicatione dignas esse. Qvid ergò ab isto Oratore audiemus, qvod non mente præceperimus dudum? Date, qvi saltem per jocum vituperet Academias: Undiqve confluemus, eritqve volupe admirabilem causam cognoscere.* Atqve hi Antalcidæ qvoqve autoritatem prætexent cupiditati suæ, qvi olim, ut est apud Plutarchum [f], Sophistâ qvodam encomium Herculis recitaturo, *qvis verò*, inqviebat, *eum vituperat?* Operæ pretium est, qvoniam multi magis ætatis abrepti vitio, qvàm judicii probitate ducti, vulgaria fastidiunt, novis tantùm & inauditis inhiant, hunc locum paulisper excutere. Scimus, esse Sapientes etiam Vi-

(f) In Reg. & Imperat. apophth. I. Moral. p. 350. & 384.

Digitized by Google

Viros [g], qvi Antalcidæ dictum interpretati, *qvasi stultum prorsus atqve inane sit, in eâre laudandâ frustrà tempus consumere, qvam omnes egregiam atqve præstantem esse confitentur*, simul approbant tanqvam prudenter & ex vero monitum. Nobis illo de apophthegmate paulò aliter pronunciare, certè dubitare, liceat. Aut enim malè locutus est Antalcidas, aut aliam expositionem verba ejus desiderant. Enimverò haud frustrà esse dixerim, qvòd *Sophistam* fuisse indicat Plutarchus, qvi recitationi suæ audientiam fieri cuperet. Solebat autem hoc hominum genus in eo gloriari unicè, & artis suæ præstantiam



(g) Majorag. Orat. XVI. p. 345. Erasm. apophth. p. 79. Idem Erasmus in Lingvâ p. 49. 50. (ed. Bas. Anno 1550.) rem totam sic exponat: *Herculem in primis colebant Lacedæmonii, nimirum potiùs exemplum benè gerendæ rei, qvàm benè dicendi. Itaqve cùm Rhetor qvispiam encomium Herculis, qvod ingenti studio composuerat, recitare vellet apud Antalcidam Lacedæmoniorum Ducem, tanqvam inituru amplissimam gratiam, ille non passus est: Qvis, inqviens, illum vituperat? Adeò judicabat, omnem Orationem esse vituperandam, qvæ non fieret de rebus necessariis: siqvidem apud eos, qvi de præclaris Viris malè sentiunt, nonnunqvam opus est Oratione. Caterùm in eo laudando, qvem nemo vituperat, sermonem absumere, perinde est, ac si qvis patrocinetur alicui, qvem nemo peragit reum. Qvàm Vir hic non tulisset rabulam lingvæ petulantiâ debacchantem in mores proborum, qvi Deisui laudationem idcò non tulit, qvia non putabat necessariam.* Conf. & Joh. Ludov. Gottofr. in Ovid. Metam. l. IX. p. 211.

Digitized by Google

ponere, qvòd scirent, qvemadmodum causa inferior dicendô fieri superior posset: Sic enim vertit Cicero [h], qvod isti græcè sic eloqvebantur, τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν (i). Hoc volebant, artis suæ esse, (Profitebantur autem se dicendi Magistros, verborum lenociniis corrupto audientiam judicio perficere, ut turpia honestorum, vilia pretiosorum, injusta justorum speciem acciperent. Ita enim disputabant: Bonas causas patrocinio minimè indigere; superesse ergò, ut omnem suam vim in ornandis qvisqviliis aut propudiis, nescio qvibus, eloqventia insumeret. Præposteri planè homines, & publicâ execratione digni, ut qvorum maleficio passim malè audire cœperit divinitùs homini concessa persvadendi facultas, cùm ipsam per summum scelus ex castâ virgine prostibulum reddidissent. Lacedæmonios qvidem certè movisse res hæc videtur, ut eloqventiæ nullum in suâ civitate locum esse vellent [k]. Fuit autem Lacon Antalcidas qvoqve, cujus de apophthegmate qværebamus. Ut consentaneum valdè sit, qvòd So-

(h) in Bruto pag. 167. (i) in hanc rem plura disserit Muret. Volum. II. Orat. 5. p. 34. seqq. (k) Muret. Vol.

Digitized by Google

Sophistam à se repulit, de laudibus Herculis concionari parantem, non argumenti dedignatione fecisse, Fuit enim Spartanis Hercules in summâ veneratione (*l*), sed odio hominis, artem præstigiatricem & à moribus Spartanorum opidò alienam professi. Sunt verò alia etiam hujus Viri apud Chæronæum Scriptorem apophthegmata satis in Athenienses aculeata (*m*). Nam qvòd adjecit causam, qvia nemo vituperaret Herculem, in eo simul argutè castigasse videtur Sophistam, ut suæ professionis metas transilientem. Hoc enim proprium sibi assumebant Sophistæ, qvod ab omnibus laudaretur, id ut vituperarent ipsi; qvod vituperaretur, id verò laudarent demum. Itaqve & Joannes Tzetzes τὸν ἥττονα λόγον, de qvo suprà mentionem injiciebamus, interpretatur τὸν ψευδῆ καὶ μὴ ἀληθεύοντα (*n*), & paulò pòst (*o*) talium exempla recenset laudem pulicis, calvitii, muscæ, mortis, paupertatis, atqve similium. Qvod genus encomia etiam



II. Oat. 5. p. 35. (l) Erasm. apophth. p. 79. (*m*) Tale cum primis illud: *Antalcidas Athenienſi Spartanos appellanti indoctos: Soli ergò, inqvit, nos nihil mali à vobis didicimus.* Plutarch. ubi supra. (n) Chiliad. XI. v. 699. f. 452. (o) v. 720 seqq. f. 453.

Digitized by Google

παράδοξα vocat (p). Qvanqvam non est fortasse, ut ab illo Græculo speremus satis accuratè doceri nos posse, qvid sonuerint propriè veteribus ἥττονες λόγοι. Certum enim, hoc vocabulo comprehendi non παράδοξα tantùm argumenta, sed ἄδοξα insuper, & comprehendi vel præcipuè: qvorum exempla Tzetzæ (q) sunt scortationis laudatio & ebrietatis. Talis haud dubiè Carneadis Oratio (r) fuit, cùm Romæ Athenienſium Legatus, ut ἐπίδειξιν artis suæ faceret, adversus Justitiam disseruit publicè, stultos esse ac simplices illos affirmans, qvi, si modò impunè injusti esse possent, inani, ut vocabat, justitiæ persvasione abduci se à faciendâ aliis injuriâ paterentur. Sophistam ergò illum, qvicunqve fuit, notare Antalcidas voluisse judicandus est, qvòd immemor professionis suæ laudandum eum suscepisset, cui nemo sanus convicium diceret: non artis optimæ abusum illum probans, sed improbum artificem ex suis principiis revincens, simulqve indignum habens, cujus impurâ lingvâ Dei sui, (talem Herculem habebat,) laudes contamina-

(p) v. 829. 832. f. 453. (q) d. l. v. 825. (r) de qvâ Muret. Vol. II. Orat. 5. p. 39.

Digitized by Google

minarentur. Qvòd si absqve discrimine existimavit, non esse à qvoqvam cujusqvam præconium, qvem nemo vituperet, ne DEI qvidem ipsius, faciendum: qvantæ sit hæc impietatis opinio, qvamqve omnibus omnium Rerump. moribus adversetur, qvis est, cui non liqveat actutum? Tollantur ergò omnes Hymni, qvibus Divinum Numen celebratur. Proscribantur sermones panegyrici, qvibus memoria Virorum egregiè meritorum consecratur. Exterminentur encomia virtutum, disciplinarum, rerum deniqve honestarum omnium. In horum verò locum intrudantur apotheoses non muscarum tantùm & papilionum, sed pestium qvoqve humani generis, febrium, apostematum, sacrilegiorum, incestuum, Phalaridum, Heliogobalorum, ipsius deniqve, ne qvid pudoris reliqvum sit, Diaboli, qvem jam à Joanne Bruno Italo publicè laudatum fuisse proditum est (s). Possit qvidem hominibus facetis hoc permitti, ut ad ludicra qvandoqve deflectant stilum, rebusqve abjectis, ut asino, ut umbræ, pretium facundiâ suâ faciant. Etiam venia



(s) Voss. lib. III. Inst. Orat. c. p. 331.

Digitized by Google

dabitur, si naufragio, si hydropi, si id genus damnis aliis periclitandi ingenii gratiâ conciliare amatores conentur. Neq; enim futurum est temerè, ut, si fortè Rhetorculus aliqvis Gryllum laudaverit, sint, qvi hunc oscinem studiosè captent, & in caveis alant pro philomelâ: aut oculos sibi effodiat qvisqvam, eò qvod Passeratius encomium scripserit cæcitatis (*t*). At enimverò laudem virtutibus ereptam in flagitia, Viris bonis negatam in homines sceleratos conferre, tametsi joco factum defendas, qvia tamen suapte vi nimis ad pravitatem natura nostra proclivis est, minimè ferendum dixerim. Itaqve recordor, cùm ante aliqvot annos (*u*) laudem Ebrietatis (w) nescio qvis homuncio misisset in chartas, (opinor, ut eo loco haberetur ipse inter Germanos ex

(t) In Orationibus Joannis Passeratii ultima legitur p. 333. de cæcitate: in qvâ de commodis ejus, suam ipse cæcitatem ut consolaretur, (teste Jac. Gutherio p. 23. Tiref.) disseruit. Qvam ob causam nec dubitavit eam Casp. Dornavius inserere suo Amphitheatro Sapientiæ Socraticæ Jocoseriæ, Tom. II. f. 262. Habes ibi & Tom. I. f. 124. orationem funebrem in Gryllum. (u) Anno 1656. sub Decanatu M. Frid. Rappolti. (vv) In laudem Ebrietatis aliâs prostat declamatio Christophori Hegendorphini. Vid. Dornav. Tom. II. Amphitheatri f. 28. ubi hujus commatis plura.

Digitized by Google

ex commendatione familiaris genti nostræ vitii, qvo superiori seculo, inter Italos fuit Archiepiscopus Beneventanus (x), prelo fuisse turpem libellum jure prohibitum. Qvi tamen alibi postea typographum invenisse dicitur: haud dubium, qvin & Lectores è corruptis corruptiores dimiserit. Graviter Solon [y], cùm mendacia sua Tragica Thespis, ut animi ergò conficta, excusatum iret, vereri se ajebat, ne mentiendi hæc voluptas è theatris in forum & tribunalia brevi proserperet. Porrò qvid Encomiasta Busiridis Isocrates, optimus alioqvi Rhetor, lucratus est ex eo genere, qvàm ut eum nihil egisse censeret Virgilius [z], Busiridem ipsi pro laudato illaudatum tacitè exprobrans? Assentimur enim hîc suam interpretationem Cerdæ [a] adversus Gellium (b), eò magis qvòd illa declamatio plena est ἀποτρόπων (c). Omninò distorti ingenii (ne qvid acerbius dicam) nota est, sua rebus signa commutare ac pervertere, spurcis nitorem, pulchris

(x) Joannes Casa. (y) Vide Plutarchum in Solone f. 89. (z) III. Georg. v. 4 5. *Qvis aut Eurysthea durum, Aut illaudati nescit Busiridis aras?* (a) Comment. ad h. l. f. 354. (b) II. Noct. Att. 6. (c) Conf. Voss. Instit. Orat. lib. I. c. 5. p. 51.

Digitized by Google

chris maculas allinere, in infamibus causis eloqventiam perdere. Qvo magis Bonorum omnium favorem polliceri sibi potest Colbius noster. Qvi cùm Laudator audiri in publico vellet, stilum occupavit in Academiis, argumento nunqvam satis laudato. Qvibus tamen ipsis reprehensores sui non desunt: sed ii nempe, qvi vel inter morbum & corpus affectum discernere non valent, vel opus ipsi habent helleboro. Ubi sunt ergo, qvi negant Academias laudari oportere, ut qvas nemo vituperet? Sunt enim laudandæ utiqve, sive habeant calumniatores suos, sive habeant nullos. Agite, Rector Magnifice, Viriqve cæteri & Juvenes, qvotqvot sibi obstrictos tenet hæc Academia, & Auditorium nostrum post sacra crastina matutina benevoli repletè! P.P. d. 20. Mens. Octobr. A. MDCLXIII.



## PROGRAMMA XXXVI.

# DE PROVISIONE CIRCA FUTURA,

*Præscriptum celebrata*

Anno 1663. d. 7. Nov.

PROMOTIONI BACCALAUREALI.

Qvod

Digitized by Google

QVod per æstatem proximam Pannonici propugnaculi interceptione detrimentum passa est res Christiana, in eventus futuri exspectationem adeò erexit omnium animos, ut nesciam, an majore studio hâc rerum facie qvicqvam agatur, qvàm ut Imperiorum hinc Romani, illinc Otomanici fata alii examinent, alii examinantibus, aut qvamcunq; divinandi artem professis, aures ultrò suas obtrudant. Nimirum futuri perinde anxios adversæ res faciunt, ut prosperæ securos, qvòd compertum sit, vices rerum temporibus mutari: qvod autem mutari cupit qvisqve, ab eo avertit oculos in meliora; qvod non cupit, in eo defixos retinet unicè, ne fructu copiæ præsentis ipse se privet. Adde, qvòd in ipsam mundi noctem ætas nostra inclinavit. Ubi qvieta nox est, ablegatis à se curis somnum capiunt mortales; ubi primùm incendii fortè significationē è turri malleus dedit, surgitur confestim è strato, curritur ad fenestras, num qvod indicium se prodat sive remotæ flammæ, aut fatiscentis, unde modum pavori statuere; sive propinqvæ aut insuperabilis, unde rebus tuis, qvoad licet, consu-

lere

lere qveas. Jam est in se qvidem *futurorum solicitudo* res homine dignissima: qvandoqvidem à mutis animantibus vel in hoc egregiè distat nostrum genus, qvòd illa in diem ferè, paucissimis exceptis (*a*), vivunt, neqve nisi ad præsentia (*b*) excitatas habent cupiditates; nobis contrà futurorum capax spiritus, & inqvieta sæpè in utramq; sortem præstolatio est: ut certum adeò sit, mittendis in longinqva cogitationib9 officium nos facere, cui simus ab Autore naturæ destinati (*c*). Sed est tamen hîc non minùs culpæ locus, qvàm laudi, qvando idem nos de crastino solicitos esse vetuit (*d*),

(a) Ut formicâ: qvam ideò ignavis exemplum proponit Rex Sapiens Prov. 6. v. 6. Adde cap. 30. v. 25. (b) *Nam nec* præteritorum *sensu afficiuntur, qvamdiu recens est objectum, aut ejus actio; nec* futurorum *ullo judicio aguntur, nisi qvum etiam instat objectum. In qvibus omnibus dignoscendis voluit Creator esse illa multò certissimo & acutissimo sensu, & longè perfectiore, qvàm in homine videatur. Qvantò enim incautiora* futuri *aut magis oblita* præteriti *voluit ipsa constituere Deus, tantò ad* præsentia *Sagaciora fecit, ut* crescentibus *objectis acutissimè moverentur.* Postell. lib. I. de Orb. concord. cap. 21. f. 119. Conf. Viperan. Orat. p. 2. Zimar. tab. in Aristot. p. 166. (c) Phil. Mel. Annot. in Ev. Domin. II. Adv. (III. Oper. f. 5.) *Humanæ mentes naturaliter avidæ sunt cognitionis futurorum, & Deus vult qvædam prævideri, vult nos extendere animos in agnitionem venturarum rerum. Ideò res maximas & necessarias prædixit.*

Digitized by Google

(*d*), qvi alibi (*e*) commendabilem inducit villicum, cætera malum eum qvidem, sed hactenus prudentem, qvòd in casûs inopiæ futuræ de amicis ac præsidio sibi prospexerat. Habemus ergo dignum morali doctrinâ locum. Adest affectus, qvi ratione gubernari postulat, *cupiditas futura* contingentia tùm *sciendi*, tùm *ordinandi*. Adsunt utrinq; cavenda præcipitia, hinc *Curiositatis*, qvæ præcurrendo, illinc *Securitatis*, qvæ dormitando modum deserit honesti. Ac vitiis qvidem his duobus jamdudum sua sunt facta nomina. Virtuti ipsi nomen peculiare, qvod scire liceat, nemo nomen indidit. Audeamus aliqvid, & vocemus *Provisionem*. Tacuit eam fateor Aristoteles in libris Philosophiæ moralis, sive qvod non magnoperè laborandum sibi putavit de iis virtutibus, qvibus nec leges Civitatum ferè caverent, nec hominis cum homine commercium apertè tangeretur; sive qvod excessum cupiditatis istius, qvippe qvæ in ἡδὺ φύσει αἱρετὸν δὲ αὐτὸ ferretur, levi tantùm culpæ, non gravi obnoxium existimavit: nam in hunc sensum qvoqve de excessu affectûs,

(d) Matth. 6. 34. (e) Luc. 16. v. 18.

Digitized by Google

ctûs, qvo liberos Parentesq́ve proseqvimur, septimo Nicomacheorum (*f*) disserit; seu deniq; qvia non omnia perseqvi minutatim decrevisset, satis habens pro qvatuor virtutibus, qvas solas nominabant vetustiores, esse ab se haud paulò plures demonstratas. Qvæ ipsum cunqve causa induxit ut omitteret, non planè omisere nostri, dum *Sedulitatem* (*g*) speciebus virtutum annumerantes vim ejus ac naturam docent (*h*) in eo sitam esse, ut studeamus, qvod Apostolus (*i*) jubet, ἡσυχάζειν, καὶ πράσσειν τὰ ἴδια. Qvorum illud *Curiositati* adversum est, & τῇ πο-

(f) c. 4. p. 283. his verbis: μοχθηρία μὲν ὀδεμία περὶ ταῦτ' ἐστὶ, διὰ τὸ εἰρημένον, ὅτι φύσει τῶν αἱρετῶν ἔραστόν ἐστι δι' αὐτὸ, φαῦλαι δὲ καὶ φευκταὶ αὐτῶν εἰσὶν αἱ ὑπερβολαί. Mox distingvit inter φευκτὸν & ψεκτὸν, planè ut p. 281. inter ἁμαρτίαν & κακίαν. Ἁμαρτία leve ipsi & veniâ dignum erratum est, (hinc & ἁμάρτημα ἄνευ κακίας esse pronunciat lib. V. c. 8. p. 219.) κακία verò, qvæ & μοχθηρία, gravis noxa. (g) De hâc virtute legendi Phil. Melanchth. Tom. II. Oper. f. 885. Tom. III. f. 135. 340. Strigel. hypomn. in Eth. Philip. p. 12. Dav. Chytr. Reg. vit. p. m. 239. Keckerm. II. System. Eth. c. 4. Timpl. II. Eth. 9. Alstedius (in cujus nomine per anagramma est *Sedulitas*,) Tom. III. Encyclop. f. 58. Gutberl. c. 12. Eth. p. 32. (h) vid. Phil. Mel. Tom. II. Strigel. Chytr. Alsted. d. l. (i) 1. Thess. 4. v. 11.

Digitized by Google

πολυπραγμοσύνη (*k*), hoc *Securitati* atqve ignaviæ. Sedulitatis hujus saltem appellare partem id, cui Provisionis vocabulum dedimus, nihil est qvod vetat. Philippus certè Melanchthon (*l*) Solicitudini *diligentiæ* seu sedulitatis Solicitudinem opponit *diffidentiæ*, hujusqve exemplum statuit Saulem, de belli exitu anxium, qvòdqve non speraret auxilium à Deo, consulentem Magos. Atqvi huc traxerat miserum impotens scrutandi futuri cupiditas. Eadem Alstedio (*m*) mens fuit, inter Solicitudinem *artis* & *eventus* hîc distingventi, citantiqve dicta Scripturæ: *Nolite soliciti esse de crastino* (*n*), &: *Qvæ mandavit tibi DEUS, sanctè cogita, nec opus est, te scire abscondita* (*o*). Fac etiam recentiores Ethicos tacuisse: tamen operæ pretium est, officium hominis circa futura exploratum habere, præsertim cùm illa sciendi præveniendiq; ambitio hæreditariâ peste à primis Parentibus (*p*) in nos derivata, nisi ratione frenetur,

Cc tri-

(k) Faciunt autem extrema Sedulitatis, in *excessu* πολυπραγμοσύνη, (Timpl. Alsted. & Gutberl. curiositatem, Keckermannus nimiam diligentiam & satagentiam:) in *defectu* ignaviam seu negligentiam. (l) Tom. III Oper. f. 135. (*m*) Tom. III. Encyclop. f. 59. (*n*) Matth. 6. v. 34. (*o*) Sirach. 3. v. 22. 23. (*p*) In qvorum peccato non dubi-

Digitized by Google

tristissimas publicè pariter & privatim calamitates apportare soleat. Ab his qvidem temporibus Virtutis hujus ad Philosophiam Christianam conformata inculcatio minimè aliena esse, ac usum potius illustrem habere videtur. Cæterùm omne circa eam prudentiæ dictamen à varietate ferè pendet *futurorum*. Qvorum æterna sunt qvædam, alia caduca. Rursum alia subjecta potestati nostræ, ut actiones; alia exempta, ut eventus. Eventuum qvidam abscõditi à Deo, & qværi prohibiti, qvidam revelati. Revelatorum deniq; alii clarissimè prædicti, alii per ænigmata non cuivis, anteqvam impleantur prædictiones, tentanda temerè. Cùm autem suprà cupiditatem qvoqve fecerimus duplicem, unam *sciendi* futura, *ordinandi* alteram: *Hæc* eorum est videlicet, qvæ habemus in potestate; *Illa* eorum, qvæ non habemus. Jam primùm Provisionem nobis *æternorum* longè longeq; majorem esse debere, qvàm temporalium, adeò certum est, ut invisibilium comparatione, [ea verò sunt æter-

um est, fuisse πολυπραγμοσύνην qvoqve. Immensum circa futura desiderium in miserâ hominum naturâ accusat & Peucer. p. 2. de divinat.

Digitized by Google

terna,] ne qvidem respicere ad visibilia, signum constituat Apostolus (q) hominis Christiani: ipseq; nos Dominus Jesus intuitu Dei, qvi animam pariter atq; corpus perdere potest in gehennâ, vetet eos timere, qvi corpus occidere possunt, animam non possunt (r). Itaq; & idem cavere præcipit, ne solicitudinibus hujus vitæ sic implicemur, ut illa tremenda dies judicii, tanqvam laqveus aviculam escæ imminentem, derepente opprimat incautos (s). Alibi (t) stultitiæ reum agit, qvi cùm in annos plurimos uberem annonam ventri providisset, animæ proximâ nocte ab se repetendæ non prospexerat de illo momento, à qvo tota suspensa esset æternitas. Nimirum hæ sunt illa *novissima*, [qvatuor (u) ea numeraverunt pii Scriptores,] qvæ qvic-



(q) 2. Cor. 4. v. 18. (r) Matth. 20. v. 28. (s) Luc. 21. v. 34. 35. (t) Luc. 12. v. 20. (u) de qvibus Anonymus Scriptor Qvatuor Novissimorum haud procul ab initio distichon hoc recitat:

*Bis duo sunt, qva cor detenum sub pectore misi:*
*Mors mea, judicium, barathri nox, lux paradisi.*

Qvatuor hæc novissima totidem qvoqve dictis à nobis modò sunt repræsentata, licèt ordine retrogrado: *primum* mors cujusqve, de qvo Luc. 12. *alterum* dies judicii, Luc. 21. *tertium* æterna damnatio, Matth. 10. *qvartum* æterna gloria, 2. Cor. 4.

Digitized by Google

qvid egerimus, ex consilio Siracidæ (w) iutuenda sunt. Eqvidem ea sic moderari, ut res in perpetuam illam nulliqve mortalium sensui obviam felicitatem exeat, ex nobis, ut ex nobis (x), non valemus: sed est tamen, qvi & velle operatur in nobis & perficere (y). Cujus ductui si obsecundaverimus, qvid animabus nostris corporum ergastulo solutis futurum sit, accuratissimè divinare nihil habet difficultatis. Neq; enim fallere potest, qvi edixit, omnes, qvi credunt in Filium Dei unigenitum, minimè perituros, sed vitam habituros æternam (z). Sanctum hoc haruspicinæ genus est, cùm per apertum lanceâ latus in hostiâ cruci pro nobis affixâ fissum cordis inspicimus, & in eo prædestinationem suã qvisq; legimus. Extorum hâc arte contemptâ nescio qvas absoluti decreti tabulas rimari sacrilegium est. De æternis ubi spes nostras in tuto collocaverimus, secundas curas ad hæc mortalia flectere, seu temporalia, nusqvam prohibuit Deus. Verùm & hîc intra certas metas continere se debet Provisio: ne alienis offici-

(w) Eccles. 7. v. ult. (x) 2. Cor. 3. v. 5. (y) Philip. 2. v. 13. (z) Joh. 3. v. 16.

Digitized by Google

officiis nos ingeramus; ut ea tantùm, qvæ mandata sunt cuiqve, cum fide & industriâ exeqvamur; eventum, qvando eum Deus salubri consilio absconditum esse voluit (*a*), ne anxiè scrutemur, sed qvaliscunq; futurus ille est, certum habeamus, diligentibus Deum nihil fore, qvod non cedat saluti (*b*). Hoc enim illud est, qvod *Solicitudo crastini* nobis interdicitur in Evangelio (*c*). Qvo loco consideratu digna Philippo Melanchthoni (*d*) visa res est, *similes sententias dissimilimâ ratione dici*. Nam & ex Epicuri (*e*) placitis Horatius (*f*) hoc protulit: *Qvid sit futurum cras, fuge qværere;* & Lucilium suum vetat *ex crastino pendere*, hodierno manum injicere jubet Seneca (*g*) Stoicus. Falletur opidò, si qvis eodem argumento duci putabit & Christi, & Zenonis, & Epicuri discipulum. Nam qvòd nos eventuum securi præsentia interim agi-



(a) Ecclesiastæ cap. 7. v. 14. (b) Roman. 8. v. 28. (c) Matth. 6. v. 43. (d) ad Evang. Domin. XV. post Trinit. Tom. III. Oper. f. 133. ubi qvidem Præceptum Christi confert tantùm cum Epicureorum dogmate.

(e) vide Cic. I. de fin. pag. 61. Senec. Epist. 15. Gassend Tom. II. Oper. f. 675. (f) I. Od. 9. Similia leguntur Od. 11. & II. Od. 16. & III. Od. 8. & 29. (g) Cit. Gassend. d. l. Huc refer & illud Anacreontis: τὸ σήμερον μέ-

Digitized by Google

mus, fiduciæ filialis opus est, cùm sciamus, esse nobis Patrem in cœlis, qvi si floribus vestem induit, aviculis mensam sternit, nostri longè exqvisitiorem curam non potest non habere. Huic Providentiæ hinc Fati necessitatem Zenō, illinc temeritatem Fortunæ opponit Epicurus, non minùs secum ipsi pugnantes, qvàm adversi nobis, & in idem tamen vivendi præceptum ex tam dissidentibus, qvod mirere, principiis conspirantes: cùm stultum videretur alteri, laborare hominem in rebus ne divinâ qvidem potestate mutabilibus; alteri, qværere scientiam in re incertissimâ. Ambobus ergo vel perficiendi vel intelligendi desperatio solicitudinem excussit futuri. Nos contrà & curas illas ponimus, qvia credimus eas pro nobis geri à Deo, & eruditam putamus ignorantiam eorum, qvæ Magister optimus nescire jussit (*b*). Itaq; & fata nobis nostra ex positu siderum aut incisuris manuum, aut aliis verbo Dei (*i*) prohibitis signis pol-

λει μοι, τὸ δ' ἄυριον τίς οἶδε; (*b*) *Nescire velle, qvæ Magister optimus Docere non vult, erudita inscitia est.* Scalig. (*i*) Deut. 18. v. 10. seq. Vid. Brochmand. Tom. I. System. Theol. Artic. de Creat. c. 1. q. 10. p. 211. Fuller. I. Miscell. 16.

pollicentes aversatione generosâ repudiamus. Hæc ergò illa homine Christiano digna Provisio est, hinc securitatem declinans, illinc præsciendi luxuriam resecans. Cujus præcepta si ad Turcici belli metum transferre libet, qvid agendum cuiqve sit, promptum fuerit statuere. Qvi ad clavum sedent Reip. prudentiâ, fortitudine, constantiâ suâ hostiles impetûs retundant. Cæteri, qvibus aliud qvodvis, qvàm gerendi belli datum est negotium, ne simus ἀλλοτριοεπίσκοποι: cumqve nemo certè de nobis ad communem calamitatem non aliqvid contulerit culpæ, nostra potiùs ipsi vitia, qvàm aliorum sive supinitatem sive neqvitiam incusemus. Nobis irascamur, nos emendemus, non in alios, qvibus judices dati non sumus, spargamus maledicta. Orando & placando Deo faciamus officium, non iram ejus, conspurcando parodiis ludicris Evangelio, cumulemus. DEUM propitium si habebimus, qvicqvid eveniet, bonum erit. Sive enim, qvod meriti sumus, tempestas hæc fortunas nostras, corpora, vitas involvet, transibitur ad meliora: sive, qvod meriti non sumus, prosperam Reip. vicem re-

donabit Deus, tantò sapidius erit hoc beneficium, qvantò nullas in probitate nostrâ sperandi reperiebamus causas. Sed volupe tamen est scire, utrum è duobus futurum sit: & de Orientali Antichristo habentur vaticinia in sacris. Habentur: verùm fortè vix satis ante eventum explicabilia [k]. Itaq; non damnabitur qvidem planè modestũ ea interpretandi studium: periculum est tamen, ne Turcarum futuram sortẽ per temporum certa spacia digerentibus non magis res procedat, qvàm iis, qvi annum sibi reperisse visi sunt, qvo mundus conflagraret. Certa nobis ea est conflagratio: horam ipsam in arcanis esse voluit Deus. Augustinus sanè de tempore novissimæ persecutionis disserens: *Omnium*, inqvit (*l*), *de hâc re calculantium digitos resolvit & qviescere jubet ille, qvi dicit: Non est vestrum, scire tempora, qva Pater in suâ posuit potestate* [*m*]. Neqve

(k) Vid. Mengering. Informat. Conscient. pag. 1091.
(l) Lib. XVIII. de Civit. Dei c. 53. (*m*) Act. 1. v. 7. Ad hoc effatum respexit & Autor Fasciculi temporum (Wernerus Rolevinck) sub Anno 1364. f. 85. hæc commentans: *Johannes de Rupe scissâ de ordine minorum multa prædixit mox futura de duobus Antichristis, & desolatione terrarum, & generali conculcatione clerci, & reductione totius orbis ad fidem Christi, & pleraqbe alia ad annum Domini 1370. qva dixit sibi revelata à Domino Jesu: sed non evenerunt. Et diu in*

Digitized by Google

qve verò extra Scripturæ sacræ tabulas qvicqvàm se pandit, in qvo tutum pedem figat divinatio. Nam qvòd Weigeliani [n] palliandis, ut apparet, visionibus suis, disputant, non in nostrâ minùs Ecclesiâ, qvàm olim in Judaicâ, esse certum Ephod oportere, per qvod de bello Turcico consulatur Deus, somnium est Veteris Noviqve Fœderis discrimina ignorantium. Ab astris verò exspectari qvantum certitudinis qveat, vel Davidis Herlicii manifestum exemplo est, qvi sub finem superioris seculi, Pannoniam miserè vexante Turcâ regni ejus interitum brevi futurum libello (o) prædixit jucundiùs scripto qvàm veraciùs, tametsi Planetis suis fidem ex variis alio-



*vinculis tentus grandia scripsit de futuris. Et nota, qvòd penè ab initio fidei hujusmodi prænosticatores fuerunt, & qvotqvot tempus determinatum prædixerunt de hujusmodi arcanis, qvæ Pater posuit in suâ potestate, decepti sunt. Ideò non est hujusmodi revelationibus ampliùs fidendum.* (n) Vid. Wilhelm. Lyseri disp. de Prophetiis Sect. IV. §. 2. p. 89. recus. Anno 1650. (o) edito Anno 1596. **Von des Türckischen Reichs Untergang** titulo tractatus Theologastronomistorici Biennio pòst similia vulgavit, Herlicii vitulâ in multis arans (qvod collatio docebit,) M. Andreas Angelus Struthiomontanus **im Bericht von Johann Hilten/ sampt etlichen Weissagungen von Untergang des Türckischen Reichs.**

Digitized by Google

rum Vatum, sacrorum pariter ac profanorum, oraculis adstruere laboraverat. De Helisæo Röslino qvid dicam, artis Chaldaicæ magno præcone? Qvi Matthiâ imperante scribens, & hunc ipsum, qvem agimus, annum Sexagesimum tertium (*p*) diserte nominans, nescio cujus universalis boni, qvod orbem totum exhilararet, feracem eum fore, ex stellâ anni 1604. pronunciavit (*q*). Qvid futurum sit, anteqvam novum annum inchoet Januarius, pauci qvi restant dies declarabunt. Qvæ qvidem in Hungariâ gesta sunt hactenus, nihil minus esse, qvàm bonum universale, magis qvàm optamus est manifestum. Scrutentur ergo has tales prædictiones, qvibus libitum est decipi. Venerentur hos Prophetas, qvos sua prurigo in vetitum impellit. Nos futura Clementissimo Patri permittentes officium præsens facimus, & nomina sex Juvenum humanissimorum, qvibus diligentiæ præmia non pre-

(*p*) Hunc annum & alii nominaverunt: de qvibus Mengering. informat. conscient. p. 1096. (*q*) In prodromo dissert. Chronolog. cap. 13. pag. 270. & cap. 3. Tabel des Welt-Spiegels p. 9. item cap. ult. sub fin. & c. 11. der Mitternächt. Schiffart. p. 93.

Digitized by Google

preces magis ipsorum, qvàm justo examine spectata merita exoraverunt à nobis, publicæ gratulationi hîc exponimus:

JOHANNES PHILIPPUS Lindener/Lipsiensis.
DAVID Leheman/ Dœbelensis.
FRANCISCUS CHRISTOPHORUS Berens/ Luneburgensis.
GOTFRIDUS Wiesener/ Raceburgensis.
JOHANNES Crüger/ Regiomontanus March.
JOHANNES Schmid / Jeverâ-Frisius.

Hi crastino die post octavam matutinam Bonarum Artium ac Philosophiæ Baccalaurei solennibus usitatis publicè creabuntur. Ab Academiæ Rectore Magnifico, Facultatum omnium Proceribus Amplissimis, & reliqvo Civium Academicorum Ordine atqve Cœtu florentissimo rogamus audientiam sesqvihorulæ, singulis nostra vicissim officia pro cujusqve loco prolixè pollicentes. P.P. Lipsiæ d. 6. Novemb. A. 1663.

## PROGRAMMA XXXVII.

## DE JOHANNE SALHUSIO, TESTE VERITATIS.

*Præscriptum Orationi,*
Qvam Anno 1664. d. 11. Novembr. habuit
PAULUS MULLERUS, Hamburgensis
*De Reformatione B. Lutheri.*

Qvod

QVod Principibus solenne est, ut magnum aliqvod atq; memorabile facinus in Provinciis suis edituri monitores præmittant, qvorum indiciis animi pariter subditorum atq; oculi in futuri operis exspectationem erigantur: idem præpotens Deus fecit, cùm sancto Lutheri ministerio religionem à sqvalore & sordibus Pontificiis repurgare decrevisset. Excitavit subinde pios homines, qvi sub illo plus qvàm Ægyptiæ servitutis jugo, aliis tacitè gementibus, nec nisi ad secretos angulos suspiria sua clàm allidentibus, liberam vocem palàm emittere ausi, jam doctrinam Romanensium juxtà cum moribus incusarunt, jam vindicem Ecclesiæ minati sunt Deum, jam præsagiis etiam qvibusdam feliciora Pietati tempora designaverunt. *Testium* hujuscemodi *Veritatis* insignem ac locupletem Catalogum texuit Matth. Flacius Illyricus, per certos seculorum ordines digestum posteà à Simone Goulartio Sylvanectensi. Nec omnes tamen memoravit satis alioqvi felix in hoc argumento industria Flacii. Plures suggeret monumentorum veterũ diligens excussio, alios qvidem aliis celebriores clari-

Digitized by Google

clarioresqve. Horum ex numero liceat nobis producere JOHANNEM VI. Episcopum Misenensem, è nobilissimâ SALHUSIORUM gente oriundum. Sanè qvæ de hoc memorant David Chytræus (a), Georgius Fabricius (b), Matthæus Dresserus (c), talia sunt, ut optimo jure Testibus eum aggregent veritatis, à Flacio prætermissis (d). Esse autem hujus Viri eò dulcior debet recordatio, tùm qvia testimonium Veritati perhibuit in hujus Academiæ viciniâ: tum qvia historia ejus implicatam habet mentionem aliorum duûm Confessorum, *Andreæ Proëis*, & *Georgii Frichenhusii*, qvorum utrumqve Lipsia nostra gremio excepit, alterum nascentem, alterum morientem. Ut vendicare sibi hinc & ipsa partem laudis possit, qvæ eodem seculo duos Lutheranæ reformationis jamjam imminentis Anteambulones alterum genuerit, alteri victum præbuerit vivo, mortuo sepulturam. Sed felicior sors Andreæ fuit, qvippe qvi luculentum sortitus

(a) Lib. II. Chron. Saxon. f. 55. (b) Annal. urb. Misn. sub Anno 1487 & 1508 Conf. Joh. Wolff. Tom. II. memorab. f. 17.13. (c) Part. IV. Isag. p. 157. (d) Nova Catalogi hujus Flaciani editio prodiit Anno 1666. cum Auctario (Joh. Cunr. Dieterici) verùm & in hoc Auctario fru-

Digitized by Google

titus in Catalogo Illyrici locum (e), ex eo tempore aliorum qvoq; sermonibus celebrari passim, & famâ non obscurâ florere cœpit. Frichenhusii apud Flacium nulla, apud alios pertenuis memoria impetrare debet â nobis certè, qvi reliqvias Viri in ipsâ æde Academicâ servamus, ne planè sepultam eam cum ipso esse patiamur. Sed ad eum commodè nos ducet narratio de Salhusio. Hic ex Misenensi Decano factus est Episcopus anno octogesimo septimo (f) supra millesimum qvadringentesimum, gravissimo Competitore usus Melchiore Meccavio, tùm Præposito Capituli, posteà Præsule Brixinense, & Cardinale Tituli S. Stephani in monte Cœlio: cujus aliàs munificentiam cur grati prædicemus, qvi sacrarũ pariter & secularium literarum studium in hâc urbe profitemur, justissimas causas indepti sumus. Præsulatu functus Salhusius per annos totos triginta, ipsum illud tempus extremâ senectute attigit, qvo Papales indulgentias labefactare cœperunt affixæ publicè theses Lutheri, seqvente demùm anno, qvi superioris seculi

strà qværas Johannem Salhusium. (e) Flac. Illyr. Catal. Test. Ver. p. 1030. ed. Basil. Anno 1556. (f) Fabr. d. l. p.

culi fuit decimus octavus (*g*), rebus mortalium exemptus. Antecessorem habuit Johannem V. Successorem Johannem VII. utriqve qvàm nomine similis, tàm studiis longè dissimilimus, cùm alterum boni Patrisfamilias virtutibus, alterum sinceritate Religionis opidò superaret. Conflaverat Antecessor, (qvem qvidem vix biennium præfuisse constat,) æs alienum florenorum Rhenensium 21400. Salhusius dissolvit, reditûs auxit, collapsa ædificia reparavit, arcem Wurcinensem à fundamentis exstruxit. Successor Salhusii exorientem Evangelii lucem non ferens, inimicos illi obduxit ac fovit, Emserum, Cochlæum, Alveldium, Sylvium; Salhusius bellum gerens cum eruscatoribus Papæ, eorumqve ultimo tandem Tecelio qvoqve illudens, pulcherrimis facinoribus propinqvæ Reformatio-

162. Dresserus hîc memorat annum 1488. (*g*) Fabric. sub hoc anno p. 178. Joh. Fiedl. Müglische Ehrenseule p. 112. qvi & præmissis Salhusii laudibus p. 114. hoc eum ornat epitaphio:

*Me Gens nobilitat SALHUSIA, plus ego gentem.*
*Me Cathedra exornat MISNICA, ego Cathedram.*
*Pastorem agnovit Romana Ecclesia me, sed*
*Errores odi pessima Roma tuos.*
*Te meliore cibo Grex pascere curo: salutis*
*Heu qvantum moritur, me moriente, tibi!*

Digitized by Google

tioni prælusit. Nimirum è sacro codice, qvem familiarem habuit ultra genium seculi, hunc abstulerat fructum, ut scintillas in eo accenderet Deus, qvibus inter lumen ac tenebras distingvere posset. Memorabilis ejus vox fuit, Georgio qvoqve Anhaltino Principi annotata (*h*), legentem se Sacra Biblia in Religionem incidere, nec moribus ævi sui, nec persvasionibus de fide congruentem. Itaqve ut suæ saltem Ecclesiæ facies comptior esset, admonente conscientiâ pro viribus elaboravit. Qvâ in re fidelem ipsi operam præstitere *Wilhelmus Betschitius* Canonicus, & *Andreas Proles* Augustinianus, cujus tùm eruditio & pietas inter Monachos præcipuè celebris erat. De horum enim consiliis & Statuta Misenensis Ecclesiæ, & libros, qvibus orando, legendo, cantando Sacerdotes uterentur, emendari curavit, & sic emendatos imprimi. Habuit iste Proles crebrò illud in ore (*i*), rem Christianam forti opus habere & magnâ reformatione, qvam qvidem se propè jam instantem videre.

(*h*) Georg. Anhalt. Oper. germ. f. 357. (*i*) Flac. Catal. Test. Verit. p. 1030. Dresser. Part. III. Isag. p. 40.

Digitized by Google

videre. Ac vidit ſanè Lutherum ipſe decrepitus juvenem, habuitq; inter Auditores Magdeburgæ [k]. Nec dubium eſt, qvin cum hoc Prole ſæpe ſermones de corrupto religionis ſtatu miſcuerit Salhuſius, alterqve alterum & confirmaverit monendo, & erexerit conſolando. Utiqve ſuperſtitiones multas, qvas animis hominum profundè infixerat ſtabilita tot annorum curriculo ſimplicitas, non ipſe modò improbavit Epiſcopus, ſed improbantibus etiam præſidio fuit, defendentibus terrori. Qvo loco Miſſam, qvo Indulgentias, qvo Monaſtici ordinis vitam, qvo tot ad pompam magis & faſtum, qvàm veram pietatem compoſitas ceremonias habuerit, apophthegmata ejus produnt. Nobili cuidam, de fundatione ſacri perpetui, qvod Miſſam nominant, conſilium expetenti hunc in modum reſpondit: *Pulcherrimum qvidem in eqvo membrum eſſe oculos, ſed ſi totum eqvi corpus nihil eſſet præter oculos, id ipſum, qvod ornamento fuerat, futurum prodigio:* haud obſcurè inſanos Miſſarum amores caſtigans. Dedicationem qvorundam templorum aut diſſvaſit, aut,



(k) Dreſſer. l.c. Flac. Catal. p. 1031.

Digitized by Google

qvoad potuit, distulit, cùm videret ultra modum superstitiones venales crescere. Qvantum de Monachis, qvales qvidem ea ætas plerosqve ferebat, sibi promiserit, æstimare hinc licet, qvòd Monachum cùm videret, solitus fuit dicere: *nullum animal audacius esse eo, qvod è cucullo prospiceret.* De Indulgentiis verò sic sentiebat: *stultos esse, qvi pecunias mitterent eam in cistam, cui reseranda clavem non haberent.* Intelligebat videlicet, venundationibus istis non id agi à Romano Flamine, ut seu viventium seu mortuorum animabus esset meliùs, sed ut spiritus intertraheretur crumenis emptorum. Qvare & Emissarios illos, qvi papyraceas merces aureis permutabant, extremo qvamdiu vixit odio prosecutus est, nullumqve iis per suam ditionem spacium concessit cauponandi. Sed de hoc posteà. *Frichenhusius* enim noster, anteqvam ad Tecelium veniamus, vindicandus est nobis ab oblivione, Paulini Cœnobii, qvod jam incolimus Academici Lipsienses, Dominicanus Monachus, non ex eorum numero, in qvos despuere solebat Salhusius Præsul, sed talis omninò, qvem patrocicinio suo ac tutelâ dignum putaret. Hunc enim

Digitized by Google

enim adversum bullas de esu butyri (l) concionantem defendit, & pro eo contra Canonicos Fribergios liberam tulit sententiam, cùm indignaretur, Germanis edere absqve venia nummis empta non licere, qvod Romæ palàm & impunè per totum annum venderetur. Historiam hanc Georgio Fabricio (m) debemus, è qvo posteà sumptam mutuò alteri Memorabilium suorum Tomo (n) inseruit Johannes Wolfius. Apud hos annus adscriptus est 1508. cùm vellent nempe unũ in locum congerere multa Salhusii dicta pariter & facta, qvi omninò qvem diximus, annum attigit vivendo. Neqve aliud qvid voluisse Scriptores illi censendi sunt: ne qvis fortè id anni ad Georgium qvoqve trahat Frichenhusium. Qvem undecim annis antè mortuum esse, testatur Epitaphium, qvod lapidi ejus sepulchrali incisum hîc exhibemus (o): *Anno*



(l) Has bullas fuisse duas, & qvidem ab Innocentio VIII. Anno 1491. & 1492. emissas, disces ex Andr. Molleri Freyberg. Theatr. Chron. erste Abtheil. c. 7. p. 51. 52. ubi & expressa mentio Bruder Georgii Frichenhausen.

(m) Annal. urb Misnæ sub Anno 1508. pag. 172. 173.

(n) f. 18. (o) Vid. & Stepneri Inscriptiones Lipsienses p. 82. n. 272.

*Domini M.CCCC.XCVII.VII Januarii mortem obiit Reverendus Pater, Frater Georgius de Frickenhausen, Sacræ Theologiæ Professor.* Visuntur hæc ponè aram Templi Paulini in latere dextro. Cæterùm ipsum Georgii cognomen gentilitium, qvod neqve Fabricius neqve Lapicida prodidit, (Frichenhusius enim appellatus fuit à patria,) debemus indicio Clarissimi Viri Joachimi Joannis Maderi, posteaqvam ille Anonymi cujusdam Centuriam Scriptorum insignium, qvi in Lipsiensi, Wittenbergensi, & Francofordianâ ad Oderam Academiis à fundatione ipsarum usqve ad annum 1515. floruerunt, ante hos qvatuor annos vulgavit. Ibi enim Georgii nostri elogium his verbis inchoatur (*p*): *Georgius Orter, natione Franco, patriâ Frickenhausensis, Professione Prædicator, & disciplinâ Lipzensis, perspicacis Vir ingenii, eloqvio paratissimo.* Sed ad Salhusium revertor. Is non minore cum animi magnitudine præconibus Indulgentiarum restitit, qvàm Frichenhusium propugnavit. Enimverò Livoniensis Indulgentiarii, Romæ literis ab Alexandro VI. & Julio II. impetratis, suas

(*p*) n. XXX.

Digitized by Google

as merces exponere cupiebant in ejus urbibus nomine & autoritate Antistitis Magdeburgici. Sed hos ille planè rejecit, Ingenuæ Misenensis Ecclesiæ libertatem objiciens, omnibusqve suæ diœceseos locis arcuit nugivendos. Ac tametsi adversarium illi se oggerebat Christianus qvidam Baumhauer (*p*), qvi ex illis pecuniam faciebat adhibitis duobus Negotiatoribꝰ PhilippoScirpio,& Hermanno Sacerdote Hildeshemio: Causam tamen obtinuit Præsul. Hæc Julio II. Pontifice gesta. Julii Successor Leo X. novis Indulgentiarum emissis in Germaniam diplomatis fatalem Regno Pontificio ruinam attraxit, Tecelio parùm feliciter rem gerente. Cum hoc impostore minus negotii Salhusio fuit, qvòd monstrum illud calamo Lutheri potiùs configendum, qvàm Episcopi autoritate terrendum DEUS decrevisset. Fecit autem impudentia Nundinatoris ac temeritas omnem modum supergressa, ut ultimum hunc fore institorem indulgentiarum haudqvaqvam vanus augur pronunciaret Salhusius. Qvem & arri-



(*q*) Corrige hinc Johan. Fidleri Müglichl. Ehren-Seule/ & p. 113. pro *Bombanor* scribe *Bombauer*.

Digitized by Google

sisse perhibent, cùm Canonicus qvidam subjecisset, lingvâ Turcicâ Tecel significare Diabolum. At enim non poterat hic Diabolus in Exorcistam feliciorem incidere, qvàm Lutherum. Qvi tametsi cùm indulgentias impugnare primùm inciperet, nihil minus animo præsumpserat, qvàm ab hâc velitatione prælium pendere, qvod in capitalem cladem sedis Pontificiæ desineret: Consilium tamen DEI, Ecclesiam suam pristino nitori redonare volentis, didicit demùm ab eventu. Laudem divini operis cras volente Deo in Auditorio Philosophico post sacra matutina eleganti oratione persequetur optimarum artium studio, morumqve politiorum Ornamentis commendatissimus nobis Juvenis PAULUS MULLERUS, Philosophiæ Baccalaureus & Magisterii Candidatus. Qvi Parentem JOHANNEM, Doctorem Theologum vel ex scriptâ Lutheri defensione celeberrimum, Hamburgensis Ecclesiæ Pastorem in æde Petro-Paulinâ primarium, ac Sacri Ministerii eâ in urbe Seniorem venerandum, imitari cupiens, non meliore in argumento stilum occupare se posse credidit, qvàm si Reformationem

Digitized by Google

nem Lutheri ſuis ornaret encomiis. Petenti tempus ipſum Martini diem, B. Luthero ſacrum, libenter indulſimus. A Magnifico Academiæ Rectore, Facultatum omnium Proceribus dignisſimis, ab univerſis deniqve, qvi bonas literas colunt, unius Semihorulæ audientiam benignam Oratori noſtro amanter rogamus. Non pietatis tantùm hoc officium erit, ſed & benevolentiæ, qvam nobis elocatam omni ſtudio vicisſim demereri conabimur. P. P. pridie Martini d. 10. Novembris Anno MDCLXIV.

# PROGRAMMA XXXVIII.

# DE QVATUOR ANIMALIBUS EZECHIELIS,

*Præſcriptum Orationi,*

Qvam Anno 1665. d. 18. Martii habuit

M. GOTTFRIDUS REICHIUS, Martisburgenſis,

*De Laudibus Miniſterii Eccleſiaſtici.*

VIxit ſuperiori ſeculo dignus qvi Viris illius ævi celeberrimis annumeraretur *Leonhardus Badehornus*, præter eximias virtutes alias tantâ præditus agendi dexteritate, ut idoneum ha-



Digitized by Google

haberet Mauritius Princeps Elector, qvem Tridentum mitteret (a), ad Concilium eò profecturis Theologis Saxonicis, si per tyrannidem Servi scilicet Servorum liceret, liberam adeundi redeundiq; potestatem impetraturum. Hic filium reliqvit maximis & ipsum negotiis parem, eoqve à Christiano II. Electore inter admissionis intimæ Consiliarios habitum *Johannem Badehornum* in Altenranstat, Canonicum Capituli Cizensis, neqve non alterius, qvod est Martisburgæ, ubi & Ecclesiæ Sancti Sixti præfuit titulo Præpositi. Annus jam ipse agitur sextus & qvinqvagesimus, ex qvo hic Johannes dignâ suis fortunis munificentiâ sortem pecuniæ non exiguam conditis solenniter tabulis erogavit, unde qvatuor literati Juvenes, singularum singuli Facultatum Studiosi, annua caperent stipendia. Durat in posteris beneficus calor providente Prænobili ac Strenuissimo Viro *Carolo Alberto à Goldstein*, in Dœlcau, Stipendii jam Collatore, ut nec nisi dignis hoc industriæ præmium addicatur, & justis integrisq; pensionibus eorum nutriatur alacritas. Cujus qvidem

(a) Sleidan. Lib. XXIII. p. 735. 736.

dem administrationis tam probæ percepit ipse hunc fructum, ut ex Alumnis stipendii eum, qvi se sacris literis mancipavisset, vocare potuerit ad gerendam curam animarum Ecclesiæ Dœlcaviensis, cui officio sanctissimo propediem, [qvod Deus clementer prosperet!] initiabitur, Reverendiq; titulum capesset ille hactenus noster. Is est Eximius ac Præstantissimus Magister *Gottfridus Reichius* Martisburgensis. Qvi nefas putavit ex hâc Academiâ prius discedere, qvàm verbis publicè faciendis & Commilitones suos confirmaret in amore virtutis, & Benefactoribus conciperet gratias. *Laudem Sacrosancti Ministerii* argumentum fecit Orationis, memor nimirum ejus servitii, qvod ipse jam vocatus ad dispensanda mysteria Dei obeundum habebit. Dum hoc ministerium nominamus, simul animum subeunt *Ezechielis qvatuor animalia* (*b*), qvorum vultûs Johanni qvoq; posteà lustrandos obtulit Apocalyptica visio (*c*). In iis enim Evangelii ministerium tanqvam in typo demonstratum esse Scripturæ sacræ tradunt interpretes: sive qvatuor illas fa-



(*b*) Ezech. I. v. 10. (*c*) Apocal. 4. v. 7.

Digitized by Google

facies cum Osiandro (*d*) exponas de totidem virtutibus (*e*), qvæ ut in Apostolis fuerunt eximiæ, sic lucere debent in eorum Successore qvolibet; sive cum Hieronymo (*f*) & Augustino (*g*) aliisq; Patribo de qvatuor Evangelistis (*h*), qvorum scripta de Jesu Christo historia in hunc usq; diem Deo cœtum ex humano genere colligit. Atq; hæc explicatio, posteaqvam singulis Evangelistis singula ex Ezechiele symbola pictores apponere didicerunt, popularior certè inqve vulgus testatior esse cœpit. In qvâ tamen non dissimulandum est, *Augustino* cum *Hieronymo* non nihil intercedere dissidii; Liceat enim nobis horum duorum vocabula, tanqvam Principũ hujus controversiæ, qvanqvam ab aliis inchoatæ, usurpare. Hi tametsi concordi suffragio Lucæ bovem, Johanni aqvilam adjun-

(*d*) In Bibliis ad Ez. f. 245. 246. & Ap. f. 707. (*e*) ut facies *hominis* exprimat humanitatem, facies *leonis* infractum animum, facies *bovis* tolerantiam laborum, faciet *aqvilæ* admoneat, non proponendas esse terrenas speculationes, sed cœlestem doctrinam, qvæ omnem rationis humanæ captum superat. (*f*) Lib. I. adverſ. Jovin. & in c. 1. Ezech. & procem. in Matth. (*g*) Lib. I. de consens. Evangelist. c. 6. & tract. 36. in Joh. (*h*) Hujus argumenti *de insignibus qvatuor Evangelistarum* historiam posteà Anno 1667. disputatione peculiari capiosius exposui.

Digitized by Google

jungunt: tamen nec adjungendi causas easdem ambo secuti sunt, & in partiendis certè, qvæ reliqva sunt, animalibus duobus sententiarum manifesto divortio scinduntur. *Hominem Matthæo, Marco Leonem* socium dat Hieronymus. Augustino contrà magis placet, ut in *Leone Matthæum*, in *Homine Marcum* intelligamus. Sed in hoc certamine adeò vicit Hieronymus, ut ejus expositionem nec pueri hodie ignorent, (cùm Augustinianam propè publica deleverit oblivio,) & haud obscuro indicio approbaverit Respublica Venetorum, qvando Marcum sibi Patronum legens unà cum eo conscivit Leonem, si qvid Augustini autoritas valuisset, pro alato Leone alatum Hominem, seu, qvod perinde est, Angelum (nullum enim ex illis typicis animantibus non alatum fuit,) habitura. Et verò non desunt causæ, qvæ ad partes Hieronymi nos inclinare qveant. Omitto, in hâc acie esse Athanasios, Ambrosios, Victorinos, Sedulios, alios sexcentos, cum Augustinus vix Bedam suum fecerit, &, si fortè, paucos alios. Ordo, qvem qvatuor Evangelistæ hodieq; tenent in Testamenti Novi canone, temporis est,

qvo

Digitized by Google

qvo qvisqve suam historiam contexuit, ipsi qvoqve Augustino (*i*) commemoratus. Cæterùm Ezechiel animalia qvatuor sic ordinat, [paulò aliter Johannes in Apocalypsi,] ut Homo Leonem, hic Bovem, Bos Aqvilam antecedat. Consentaneum ergò fuit, ut primum animal primum Evangelistam sortiretur, & sic deinceps usqve ad postremum. Accedit ex ipsis Evangeliorum primordiis alia ratio Irenæo qvoq;, licèt is animalia planè aliter partiatur (*k*), tentata. Nos Hieronymum (*l*) audiamus: *Prima HOMINIS facies MATTHÆUM signat, qvi qvasi de Homine exorsus est scribere* (*m*): Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham. *Secunda MARCUM, in qvo vox LEONIS in eremo rugientis auditur* (*n*): Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. *Tertia VITULI, qvæ Evangelistam LUCAM à Zachariâ Sacerdote sumpsisse initium* (*o*) *præfigurat. Qvarta JOHANNEM Evangelistam, qvi assumptis pennis AQVILÆ ad altiora festinans de Verbo Dei* (*p*) *disputat.* Hæc ergò Hie-

(*i*) Lib. I. de conf. Evang. c. 2. (*k*) Lib. III. adv. hæres. c. 11. f. 187. ubi *Leonem Johanni, Aqvilam Marco* assignat, in cæteris duobus cum Hieronymo sentiens. (*l*) Procem. in Matth. (*m*) Matth. I. v. 1. (*n*) Marc. I. v. 3. (*o*) Luc. I. v. 5. (*p*) Joh. I. v. 1.

Digitized by Google

Hieronymi glossam tuentur, ordo inqvam; & initialia cujuslibet Evangelii verba. Neutrum horum æqvè luculentum est in Augustini sententiâ. Qvi etsi videtur institisse ordini Apocalyptico, siqvidem Leonem, primum Johannis animal, asserit Matthæo: tamen in Marco vicissim & Lucâ seriem violat, nisi Lucam velimus priorem scripsisse Marco. Rationem verò à principiis librorum deductam ipse qvidem elevat: sed videamus, num afferat meliorem? Genealogiam Salvatoris soli exseqvuntur Matthæus & Lucas. Es his *Matthæum* vult ad *Regiam* Christi personam respexisse, *Lucam* magis ad officium *Sacerdotale*: enimverò illum stemma Christi deduxisse per Salomonem & cæteros Reges; hunc per Nathanem & alios, qvi Reges non fuerint: *Matthæum* narrasse, qvemadmodùm & Magi coluerint, & Herodes formidaverit Christum pro *Rege*; *Lucam* solùm & à *Sacerdote* Zachariâ scribendi duxisse exordium, & hujus uxori cognatam docuisse τὴν θεοτόκον. Jure igitur *Matthæo Leonem* aptari, regium animal, *Lucæ Vitulum* sacrificiis natum. Ita superfuisse, ut *Homo* copularetur *Marco*, qvi

nec

nec stirpem Domini Regiam, nec Sacerdotalem cognationem attigerit, tantùmqve ab homine Christo fuerit exorsus. Nam de *Aqvilâ*, qvin ea *Johanni* Divinitatis eximio assertori debeatur, nihil esse dubii. Hæc mens Augustini, hæc mysticorum animalium ad Evangelistas applicatio est, non ea qvidem, uti reor, Hieronymianæ anteferenda, (indiget enim majore apparatu,) sed talis tamen, ut præ ipsâ planè mereatur à nobis ea conculcari expositio, qvæ tertia nescio cujus restat. Eam, dubito an alibi exstantem, ex veteri membranâ prodidit literatæ Nobilitatis decus Caspar Barthius in Adversariorum libris (*q*). Consentit illa vulgatæ in cæteris, circa Marcum tantùm & Johannem abit diversa: *Leonem* Marco ereptum donat *Johanni*; vicissim hujus *Aqvilam* transcribit *Marco*. Sed hoc jam ab Irenæo (*r*) inventum non solicitamus; rationes tantùm, qvibus causa fulcitur alioqvi non pessima, dicimus esse nihili. Versûs in hanc rem allati sapiunt Poëtam non in Parnasso, sed Cœnobio somniantem. Nec multò elegantior est prosa, qvam margini versuum ad-

(*q*) Lib. XI. c. 23. (*r*) Regredere ad lit. k.

adjectam Vir infinitæ lectionis invenit. Si nobis dicenda sit sententia, commentum illud non judicio natales debet, debet errori. Cujus fundum videmur deprehendisse in Augustini loco (*s*), lecto, sed non satis intellecto. *Mihi videntur*, inqvit, *qvi ex Apocalypsi*, (hoc est qvod suprà (*t*) observabamus, Augustini oculos in Apocalypsi potiùs, qvàm Ezechiele fuisse,) *illa qvatuor animalia ad intelligendos qvatuor Evangelistas interpretati sunt, probabilius aliqvid attendisse illi, qvi Leonem in Matthæo, Hominem in Marco, Vitulum in Lucâ, Aqvilam in Joanne intellexerunt*, (laudat hos Beatus Pater & seqvitur,) *qvàm illi, qvi Hominem Matthæo, AQVILAM MARCO, Bovem Lucæ, LEONEM JOANNI tribuerunt. De principiis enim librorum qvandam conjecturam capere voluerunt, non de totâ intentione, qvæ magis fuerat perscrutanda.* Huic loco non aliunde lucem rectiùs admoveas, qvàm ab Irenæo. Hic enim & Apocalypseos verba profert (*u*), & Evangelistis animalia sic

(*s*) Lib. I. de cons. Evang. c. 6. (Tom. IV. Oper. f. 374. ed. Erasmi Bas. Anno 1569.) (*t*) Respice ad textum paulò post lit. p. (*u*) Lib. III. adv. hær. c. 11. f. 187. Sic enim ibi leges: *Primum animal inqvit*, (Joh. Apoc. 4. v. 7.) *simile vitulo;--- tertium verò habens faciem qvasi humanam; --qvar-*

Digitized by Google

sic dividit, ut hîc videmus, & divisioni fidem facit ex initiis Evangeliorum. Matthæo hominem, Lucæ vitulum adjungit, eodem planè, qvo Hieronymus, argumento. Vult autem qvod nec Augustino displiceat, Lucam esse *Sacerdotalis* in Christo præconem officii. Sed *Regiam* generationem non, ut Augustinus, ad homines, sed ad Deum Parentem refert. Unde Johanni, qvi à Nativitate divinâ fuerat Evangelium auspicatus, attribuit Leonem. Deniqve Marco Aqvilam, qvia fecerit initium à prophetico spiritu, ex alto adveniente hominibus, *Initium* dicens (*w*) *Evangelii, qvemadmodum scriptum est in Esaia Propheta.* In his si maximè vel facilitatem Hieronymi, vel Augustini subtilitatem non æqvavit Iræneus: ejus tamen comparatione meræ propè sunt ineptiæ, qvicqvid ad eandem hypothesin contulit Scriptor Barthianus. Nimirum inciderat in lectionem Augustini, cumqve res eum de Irenæo fugeret, cœpit cogitare de novâ glossâ. Qvam, cùm vel ex Augustini monito ab Evangeliorum exordiis petere debuisset, in alia omnia dedit ab-

*tum verò simile aqvilæ volitantis.* (vv) Marc. I. v. I.

Digitized by Google

beuntem. Adscribemus integram è Barthio, simul indicaturi, qvibus è fontibus illa per vim derivata fuerit, qvò pateat, totam nihil aliud esse, qvàm de locis qvibusdam Ambrosii, Augustini, Hieronymi, plerisqve longè aliò spectantibus, malè consutum centonem. *MATTHÆUS, qvia plus moralis fuit, qvàm cæteri Evangelistæ, idcircò per animal rationale, id est, hominem designatur.* (Mutuatus est hoc ex Ambrosio (x), cujus cùm cogitata persequi chartæ angustia non sinat, verba tantùm qvædam apponimus: Benè accidit, ut qvoniam Evangelii librum secundum *Matthæum* diximus esse *moralem*, opinio hujuscemodi non prætermitteretur: mores enim propriè dicuntur *humani.*) MARCUS *dicitur volare inter cœlum & terram: qvia enim nativitatem Verbi, in qvâ terram nostræ carnis Deitas assumpsit, sicut Matthæus & Lucas, non descripsit, qvasi terram non tetigit. Et qvia de Divinitate pauca dixit, nec cœlum sicut Joannes penetravit. Aqvila verò propter velocitatem narrationis comparatur, qvia breviloqvus est in omnibus.* (Alludunt hæc ad ea, qvibus Augustinus (y) Marcum sejungit hinc à

Ee Mat-

(x) Præf. in Luc. (y) Lib. I. de consens. Evangel. c. 2.

Matthæo & Lucâ, Genealogiæ Christi Scriptoribus, isthinc à Johanne, qvi fuit in ejus Divinitate prædicandâ copiosior. Qvod additur de *breviloqvio*, item Augustini est, qvi Marcum observat (z) esse *breviatorem* Matthæi.) *LUCAS figuram vituli tenet, qvi in templo mactari solet, qvia latiùs describit, qva in templo & circa templum gessit Dominus, & plura loqvitur de passione Domini.* [Ambrosius de Lucâ: Vituli immolationem stilo qvodam planiore diffudit.] JOHANNES *per Leonem exprimitur, qvòd qvasi rugitum Leonis edidit, dicens: In Principio erat verbum.* (Rugitum, qvem Hieronymus dederat Joanni Baptistæ, transfert hic ad Joannem Evangelistam.) Hæc ergò illa post Irenæum, Hieronymum & Augustinum est animalium inter Evangelistas distributio. Cujus ineptias ad examen vocare nunc non est locus. Tantum verò afuit, ut sectatorem ea sit nacta, ut sit repertus potiùs, qvi carmen, qvo supra [a] significabamus eandem sententiam comprehensam fuisse, refingeret in concordiam cum picturis popularibus, duosqve adeò Evan-

& 3. (Tom. IV. Oper. f. 272. 273.) (z) d. l. (a) Recurre ad textum hujus programmatis paulò post lit. r.

Digitized by Google

Evangelistas Marcum & Johannem redire juberet in usurpatas tam diu possessiones: sed ita, ut qvasi rem sic haberet planè confectam, rationes allegoriæ omitteret. Qvo perfecit, ut ne ipse qvidem ad hoc negotium satis purgatas nares attulisse videatur. Verum esse qvod diximus, facilè sibi persvadebit, qvi versûs illos vetusti carminis qvasi correctores, qvos semiseculo, & qvos excurrit, ante editos à Barthio Adversariorum libros vulgavit Georgius Fabricius (*b*), sed Barthio, ut apparet, nunqvam visos (*c*), contendet cum carmine codicis Barthiani. Visum est utrumqve oculis, qvale accepimus, exponere.

## CARMEN CODICIS BARTHIANI.

Mattheus instituit virtutum tramite mores,
Et benè vivendi justo dedit ordine leges.
*Marcus amat terras inter cœlumqve volare,*
*Et vehemens aqvila stricto secat omnia lapsu.*



(b) Commentar. in Poët. vet. Eccles. p. 50. (c) Nam alias & horum mentionem videtur facturus fuisse Barthius, si visos habuisset in memoria. Cumqve nec Fabricius Epigrammatis de qvatuor Evangelistis, ejus puta, cujus notitiam soli Barthio debemus, mentionem faciat, verosimile est, neqve huic illud innotuisse.

Digitized by Google

Lucas uberiùs describit prælia Christi,
Jure sacer vitulus, qvi mœnia fatur avita.
*Johannes fremit ore Leo, similis rugienti*
*Intonat æterna pandens mysteria vita.*

FABRICIANI.

Virtutum instituit Matthæus tramite mores,
Et benè vivendi justo dedit ordine leges.
*Infremit ore pio Marcus, similisqve leoni*
*Insonat, æterna pandens mysteria vita.*
Lucas uberius describit prælia Christi,
Jure sacer vitulus, qvia juxta mœnia fertur.
*Terras inter amat cœlumqve volare Joannes,*
*Et vehemens, aqvila stricto secat omnia lapsu.*

Sextorum versuum verba ultima (*d*) qvid sibi velint, dicant, qvi didicerunt hariolari. Nobis qvod agimus, agendum est. Magnificum Academiæ Rectorem, Comitem Illustrem Lynariæ, Proceres Gravissimos, Studiosos politissimos rogamus, ut de *Ministerio Ecclesiastico*, qvod Ezechielis illæ sanctæ qvadrigæ adumbraverunt, Ministrum ipsum Ecclesiæ jamjam futurum, REICHIUM nostrum post crastina sacra matutina in Auditorio Majoris Collegii per semihorulam bene-

(d) Illa nempe Codicis qvidem Barthiani: *vitulus, qvi mœnia fatur avita*; Codicis verò Fabriciani: *vitulus, qvia juxta mœnia fertur.*

Digitized by Google

benevolè auſcultare velint. Audiverunt per hos dies de Spiritu Sancto. Libeat audire nunc & de Schola ejus, Scholæq; Magiſtris: & partẽ pietatis putent, qvicqvid precibus noſtris dederint. P.P. Lipſiæ poſtridiè Feriarum Pentecoſtalium, d. 17. Maji Anno 1665.

## PROGRAMMA XXXIX.

## ADVERSUS PHILOSOPHOS LIBERTINOS,

Præſcriptum promulgationi Lectionum publicarum Facultatis Philoſophicæ,

Anno 1665. d. 4. Junii.

FLoret adhuc in Academiâ noſtrâ ſtudium *Ariſtotelicæ Philoſophiæ*. Qvam ad poſteros labore ac diligentia noſtrâ propagatam dare, hoc qvidem rerum ſtatu, cur velimus, non minùs juſtas habemus cauſas, qvàm habuerunt Majores, cur eam ante duo cum dimidio ſecula, qvo tempore extorres è Bohemiâ Muſæ domicilium in hâc urbe invenerunt (a), publicè vellent receptam.



(a) Lipſienſis Academia fundari cœpit Anno 1409. eàm ob Nationum diſſidia è Pragenſi emigrarent multi

Verùm ut nihil tam probè agitur, qvod in reprehensionē sciolorum non incurrat: ita hæc etiam in custodiendis placitis veteribus constantia nostra multorum voculis, hoc præsertim tam novaturiente seculo, est obnoxia. Qvibus omnino respondendum est aliqvid vel eam ob causam, ut partim contineantur in officio, qvi de studiosa juventute, (hanc enim maximè scriptum hoc nostrum alloqvitur,) veram hactenus ingressi sunt viam: partim admoneantur erroris, qvi sæpè aliis in locis præcorrupti præ nescio qvibus novis doctrinis antiqvas cum fastidio despiciunt. Licet autem animadvertere, *duo esse genera eorum, qvi Peripatetica doctrina amatores hodiè carpunt. Alii* enim totum hoc servitutis [ut vocant] genus proscribunt, liberrimamq; philosophandi facultatem in Scholas introductum eunt. *Alii* non tam servitutem damnant, qvàm Dominum, negantq; causam vel fuisse priscis, vel esse nobis, cur Aristotelem præter cæteros omnes illi elegerint, nos retineamus, reliqvorum scilicet Veterum comparatione pessimum scien-

doctissimi Viri. Vid. Dresser. de Urbib. German. p. 371. & alios passim.

Digitized by Google

sciendi Magistrum. Itaq; vel Platonem à nobis, vel Epicurum, vel ex priscis alium qvendam Aristoteli abdicato Successorem dari cupiunt. Injuriam interpretari nec priores illi poterunt, si *Libertinos* appellaverimus, nec posteriores, si *Novantiqvos*. Illi enim ad effrenem Libertatem ingenia vocant; hi Dominia renovant diu pulsorum in exilia Principum antiqvorum. Utriqve inter se dissimiles qvidem, nec ita tamen, ut non agnoscas fratres. Nam & Novantiqvi volunt in eo certè esse liberi, ut Ducem optare sibi, cui militent, pro arbitrio possint; nec Libertini qvicqvam excogitant ferè, qvod non diu ante ipsos, saltem per febrim aut somnium, alicui Veterum in mentem venerit. Juvabit interim copias dividere, & cum utrâqve acie confligere separatim, præsertim cùm res hæc esse videatur Programmatis non unius. Igitur jam qvidem, rejectis in aliam occasionem Novantiqvis (*b*), solos adoriamur LIBERTINOS.

Horum causam tùm alii egerunt, tùm Edmundus Dickinsonus in Oratiunculâ ad Peripateticos pro Philosophiâ libe-



(b) Adversus hos disseremus Program. XLI.

randâ, qvæ Autoris illius Delphis Phœnicizantibus (e) adjuncta legitur: brevis illa qvidem, sed nihil omittens eorum, qvæ pro Libertate solent dici; ad hæc Lectorem inusitato qvodam jugium allegoriarum lepore atqve argutiâ, (qvanqvam non ubiqve sibi constante,) mirificè demulcens. Cum hoc non verborum illiciis certare propositum est, sed ponderibus rationum. Qvæ omnes ad illos tres cujusqve svasionis præcipuos fontes revocari qveant: jucundi unum, honesti alterum, tertium commodi. Ad jucundum illa ejus pertinent: *Musa non minùs ac Gratiæ zonas solutas amant, & tali gestiunt licentiâ, qvæ liberas arguae, & non incastas.* Ad honestum: *Pudet me sordidi eorum atqve inopis ingenii, qvi ut gratis & otiosè sciant, rationem mendicant: Misereor eorum industriæ, qvi hoc tantùm nituntur & contendunt, ut in Rep. literariâ nescio qvi pedanei Senatores evadant.* Deniqve ad utilitatem ista: *Verendum, ne suffocentur artes, si non liberè spirent.* Neqve non illa haud

(e) Prodiit hoc opus primùm Oxoniæ Anno 1655. in qvo ostendere Autor conatur, Græcos, qvicqvid apud Delphos celebre erat, è Josuæ historiâ effinxisse. Oratiunculæ Dickinsoni affine aliud scriptum *Anonymi de libertate philosophandi* sub censurâm vocabitur intrà Program. I.

haud longè ab initio: *Huc usque sanè, Peripatetici, laboriose nihil egimus: nec tàm progredi studuimus, qvàm festinanter morari & consistere.* Item alia in Oratiunculæ medio: *Artes non ut fungi nascuntur, & maturescunt repente: Progressu illis opus est, & incremento qvotidiano.* Qvàm inidoneum verò auctorem Aristotelem habuerit Edmundus, hæc imprimis ejus verba declarant: *O ineptias! ô vecordiam! Qvem tot maculis aspersum videas, qvem modò plenum, modò semiplenum, modò silentem comperias, illumne Philosophiæ Solem credas? splendet Aristoteles, haud infiteor, sed velut inter ignes Luna minores.*

Anteqvam his respondeamus, de summâ rei statuendum est aliqvid. Utiqve reformatione indiget Philosophia, qvam à Scholasticis accepimus, Aristotelica. Sed reformandi admodum suspecta ratio fuerit, ab Aristotele ad Platonem, vel similem aliqvem Veterum, h. e. à Gentili ad Gentilem deficere. Non suspecta, sed manifestè damnosa, si solutam illam Philosophandi libertatem cuilibet Scholæ, multò magis, si cuilibet Magistello permittamus. Optima, si Reges atqve Principes peritissimorum literariæ rei

convocato concilio Scholis omnibus certam, uniusqve formæ Philosophiam præscribant, qvâ qvicqvid regnavit hactenus sive errorum sive incommodorum, pro viribus deleatur. Putet aliqvis, qvod in Ecclesiâ potuit ab uno præstari Luthero, hoc idem in Scholâ sperari posse ab uno ex Literatis: atq; hunc Asseclæ Paracelsi dicent fortasse suum Eliam Artistam [d] fore. Verùm & Reformator hujusmodi prudentiùs desperatur, & hâc via rem vix procedere docuit hactenus experientia. Neqve enim superiori seculo Ramus, neqve nostro Cartesius, horumqve similes, utut eximiis in caveâ plausibus excepti, fortunam Lutheri meruerunt. Et verò uterqve hæreseos in Philosophia novæ inventor fuit potiùs, qvam veteris veritatis cum Luthero restaurator. Ut adeò DEUS videatur cœlestis qvidem doctrinæ repurgationem extra ordinem suscipere per organum peculiare voluisse, humanas verò artes emendandi negotium curæ Principum ordi-

(d) De *Heliâ Artium* exstat disqvisitio Raphaëlis Eglini, edita Lipsiæ Anno 1606. *Artistam fabulosum Eliam Paracelsicum* vocat Lucas Osiand. admonit. de qvorundam vaticiniorum corruptelis c. 3. p. 39.

Digitized by Google

ordinariæ reliqvisse. Qvam dum exspectamus, absit interim tam simus infesti vel libertati nostræ, ut non audeamus è carceribus Scholasticorum egredi, qvoties ipsi, (ut in doctrina de analogis,) Aristotelem pervertunt: vel veritati, ut Stagiritam hunc in manifestis lapsibus, (qvalis ille est de regione Cometarum, invictis argumentis detectus,) seqvi pergamus. Sustulerunt ex eo Scholastici errores ex fide Christiana deprehensos. Imitamur exemplum, & alia qvoqve tollimus, qvæ adversus claram veritatem tueri se ampliùs non possunt. Excusandi tantùm ejus rationem inimus aliam. Illi persvaserunt seculo suo, sententias, qvas ex Aristotele dispunxerunt, ne ipsius qvidem unqvam fuisse, sed pravorum interpretum. Qvi cantilenam hanc repetunt hodiè, non minùs risum debent vel tironibus historiæ Philosophicæ, qvàm si qvis neget, Cometam Aristoteli fuisse meteoron sublunare. Ergò in iis, fatemur, qvæ Christianæ fidei refragantur, Ethnicum; qvæ manifestæ rationi, hominem fuisse Aristotelem. In cæteris non permittimus lacerari Philosophiam ejus à novatoribus, iis præsertim, qvi cum

cùm ſcribendum aliqvid eſt, calamum tingunt, non in mente, qvod de Ariſtotele fertur librum περὶ ἑρμηνείας exarante [e], ſed in mera inſcitia. Neqve tamen intercedimus, qvò minùs ingeniis felicioribus liceat inventa ſua communicare orbi literato: tantùm cautio ſit, ne autoritas tot ſeculorum abroget doctrinam publicam; neve juventus immatura, in omnem alioqvi novitatem prona, ſectam ſibi eligere pro libidine permittatur. Hoc ambitu temperatæ ſervitutis non eſt cur nos magis pœniteat, qvàm Magiſtratum, qvi domi liber publicè antiqvis legibus ſervit.

Nec exoſam nobis faciunt rationes Dickinſoni: *Amant Muſæ Zonas ſolutas.* Sed Zonas tamen. Infantes autem omninò à ſerperaſtris fuiſſe liberas, non eſt credibile. Porrò non minùs ſvaviter paſcuntur, qvi optimos piſces comedunt aliorum induſtriâ captos, qvàm qvi ranas deglutiunt, qvas ipſi paludibus extraxerint. *At ignavi eſt, rationem mendicare.* Qvaſi, ut nihil aliud qvàm mendicanti ſtipem dives, ſic nihil aliud qvàm ſinum pan-

(e) Caſſiodor. Oper. p. 536. ubi de Dialect. Iſidor. Lib. II. Orig. c. 55.

pandenti Scientiam injiciat Aristoteles; *Pusilli animi est*, inqvis, *id agere tantùm, ut Senator pedaneus evadas.* Imò verò, inqvam, ingenii superbi ac turbulenti, cùm sententiam post tot Senes tu forte sexcentesimus dicas, mutare, qvod jam vim habet decreti. *Atqvi hoc pacto nunqvam futurum est, ut in majus artes crescant.* Forte hoc telum est, fateor, sed servitutem nostram non tangit, cujus vincula eò usq; laxavimus suprà, ut Scientiarum non falsis incrementis injicere manum possit. Hæc mensura libertatis ad illum finem sufficit. Pro qvâ qvi solutissimam illam licentiam substituunt, pessimè consulunt & artibus ipsis, & profectibus adolescentum. Enimverò Auditoria esse apud nos oportet, non Agyrtarum stationes, ubi insanis qvisqve clamoribus aliorum circulos turbat, aut officinas Cyclopum, ubi ἀδεὶς ἀδενὸς ἀδὲν ἀκούει. Nusqvam felicior est ut civilis, ita literaria Respublica, qvàm sub unius imperio. Per qvotidiana enim Plebiscita qvantum additur libertati Singulorum, tantum detrahitur Universorum saluti. Parum autem abest, qvin ad hujusmodi regimen Democraticum rem Scholasticam inclinent, qvi

per

Digitized by Google

per singulas propè nundinas passim ex variis terrarum angulis erumpunt novæ qvisq; Philosophiæ conditores. Qvibus existimes vix aliud qværi majore cum curâ, qvàm ut ipsos posteritas inserat Catalogo, in qvo sunt Cardani, Campanellæ, Fluddii, Gilberti, Comenii, Hobbesii, Digbæi, & alia Novatorum jam diu plura, qvàm publicè expediat, nomina. Tantò nocentior autem hæc pestis est, qvòd triviales etiam Scholas qvasdam occupavit, in qvibus reperias, qvi regnare se non putent posse, nisi nova Disciplinarum systemata cudant ipsi, & invergant alumnis tam abnormia sæpè, ut nihil magis. Alius in Ethicis honorem affectibus annumerat. Alius in Logicis negat, rationalitatem esse hominis differentiam specificam, qvia rationalitas sit animæ qvoqve, sit Angelis & Diabolo communis: neqve verò excipi hic posse rationalitatem non solam, sed animalitati junctam constituere hominem; nam idem dici posse de visibilitate & sermone, è qvo secuturum sit, ut una res plures habeat differentias, qvod absurdum. Non scriberem hæc, nisi has tàm inficetas nugas corrigendas habuissemus in ipso-

ipsorum discipulis, qvos egregio scilicet viatico ad curriculum Academicum instructos tales Magistri dimiserant. Si ita progrediemur, paremus nos ad propediem eundas Eruditioni exeqvias. Fac tamen abesse novis Systematibus tam crassas qvisqvilias: Fiet hoc pacto certè, ut Scholæ publicæ in sortem domesticarum incidant, ubi (magno videlicet commodo discentium) seqvens qvisqve Pædagogus antecessoris decreta convellit, methodum antiqvat. Hi sunt illi fructûs, qvos nobis ista qvidvis non opinandi tantùm intra se, sed aliis publicè instillandi licentia non pollicetur, sed jam in primitiis exhibet: magno corrupti seculi argumẽto, qvod providere saltem debebat, ut qvi scribendi pruriginem sedare aliter non possunt, nisi se scalpendos præbeant Typographis, ne statim innocenti pubi scabiem affricarent suam, idqve stipendio publico. Nam Græcorum similem olim conniventiam facilîùs venia digneris, apud qvos nulla erant Scholarum Magistris alia decreta præmia, qvàm qvæ sibi qvisqve constitueret à discipulis. Nos Græcis haud paulò liberaliores ex ærario conducimus, qvi tenera in-

ge-

Digitized by Google

genia errare doceant, adultioribus viam sternant ad Scepticismum. Qvi & ipse fructus illud liberrimè Philosophandi cacoëthes, nostra memoria non minus atqve apud Græcos qvondam, secutus est. Enimverò vix fieri potest, qvin tot altercationibus qvasi minutissimas in partes discerpta veritas vel internosci ampliùs non qveat, vel penitus evanescat. Cum his tantis Philosophiæ democraticæ calamitatibus ubi qvis comparet incommoda, qvæ cum monarchicâ Philosophandi ratione conjuncta sunt, plumea esse dicet, præqve illa populari Anarchia vel tyrannidem optabilem pronunciabit. Ergò, ut finiamus tandem, frustrà nobis persvadere conatur Edmũdus, ut Aristotelem cœlo Philosophico proscribamus: præsertim qvem ipse fateatur esse, ut est omnino, Lunam inter sidera minora. *Tamen maculosus*, inqvit, *est alicubi, alibi semiplenus, alibi silens*. Benè. Facit enim nobis injuriam, qvi ait, nos eum habere pro Sole. Sol nobis Veritas est, qvam Socrati, Platoni, Aristoteli, deniqve centum Novatoribus anteferimus. Jam & maculas illas extersimus, & deliqvia supplere magis magis-

qve

qve conamur indies. Qvòd si qvid diligentiam nostram effugit, id esse tamen ejusmodi confidimus, ut præ piceâ nigredine Hobbesii, (liceat ex tot Novatorîbus vel unum eumqve eximium nominare,) jubar æstimari qveat.

Qvod igitur superest, Studiosam Juventutem paternè hortamur, ut ne patiatur blandæ Libertatis nomine dimoveri se à trito calle in campum cœcâ Scepticismi foveâ periculosum, sed pergat potiùs in studio Peripateticæ & aliàs consvetæ doctrinæ. Qvæ per hunc annum qvalis in singulis Professionibus futura sit, seqvens Tabula demonstrat.

MANE

Horâ VI. per æstatem, VII. verò per hyemem, JOHANNES ITTIGIUS, Phil. & Med. D. *Physicæ P. P.* leget, atqve Synopsin Philosophiæ Naturalis, σὺν Θεῷ, primùm proponet, deinde IV. Libros Meteorol. Aristotelis juxta seriem textûs resolvet, utramqve Lectionem ita moderaturus, ut tam in hâc scientiâ rudiores adhuc, qvàm ejus peritiores qvodammodò habeant, qvod notent atqve discant.

Horâ VIII. M. VALENT. ALBERTI, *Dialecticæ Philippeæ & Metaphysicæ Prof. Publicus*, per ἦθον & ἔνθεσιν utriusqve Disciplinæ (diebus Lunæ & Martis Logicæ, & Metaphysicæ

diebus Jovis & Veneris) præcepta methodicè tradet ac explicabit, & per discursum terminorum in aliis disciplinis & facultatibus usum adjiciet.

Horâ IX. M. JOHANN. Kühn/ *Prof. Math.* absolutâ hoc Vere doctrinâ Planorum in sex prioribus Euclidis comprehensâ, iisqve qvas singulis libris intermiscuit, disciplinis mixtis, progredietur ad Solidorum cognitionem, occasione subseqventium librorum. Antè autem tradet ex mixtâ Mathesi motûs cœlestis secundi theoriam, postqvam ex illâ præteritâ Brumâ absolvit, ante sextum Euclidis Sphæricam seu de motu primo doctrinam.

Horâ XI. FRID. RAPPOLT, *Poes. Prof. Publ.* absolutâ Tragœdiâ Senecæ, qvæ Troadum inscribitur, & ad præcepta Aristotelis, antea prælecta, fideliter exactâ, MARTIALIS XENIA aggressus est, libellum nec argutiâ cæteris inferiorem, & castitate solum ex omnibus commendabilem, variâqve rerum naturalium eruditione abundantem. In qvo enarrando his aliqvot septimanis immorabitur, & ad scribendum Epigramma, qvod unum ferè nunc inter Eruditos regnat poëticandi genius, Studiosæ Juventuti exemplo optimi Epigrammatistæ viam qvasi muniet.

A MERIDIE.

Horâ I. M. JAC. THOMASIUS, *Eloq. Prof. P.* in Analysi versatus hactenus ad Genesin transibit,

Digitized by Google

bit, & apta tùm Epistolis tùm Orationibus scribendis Themata varii argumenti proponet.

Horâ II. *Philos. Pract. Prof. Publ.* futurus consilium suum justo tempore, volente DEO, exponet.

Horâ III. CHRISTIAN FRIDERICUS Franckenstein / *L. L. & Histor. P. P.* absoluto Vellejo Svetonii Julium Cæsarem brevissimis notis illustrabit. Privatim Chronologiam & Geographiam cupidis utriusqve adolescentibus proponet.

Horâ eadem M. JOANNES OLEARIUS, *Græc. Liter. P. P.* qvod restat tùm in LUCIANI somnio sive Gallo, tùm in THEOCRITI Idyllio ἁλιεῖς seu Piscatores inscripto, pensum absolvet, priori Lunæ atqve Martis, posteriori Jovis atqve Veneris dies daturus.

Horâ IV. L. GOTFRIDUS SLUTERUS, *Organi Aristotelici Prof. Publ.* accessum faciet ad librum de Interpretatione, eumqve consvetâ methodo explanabit.

PP. post nundinas prorogatas Dominicâ II. post Trin. 4. Junii, A. 1665.

---

# PROGRAMMA XL.
# DE ANTICHRISTO MIXTO

*Præscriptum Orationi,*

qvam anno 1665. d. 16. Augusti habuit

## OTTO HEINRICUS CORVINUS

*de instanti totius Mundi πανολεθρίᾳ.*



Digitized by Google

NOn priùs venturum esse diem Domini, qvàm *revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis*, qvàm clarè prædictum est ab Apostolo Thessalonicensibus scribente (*a*), tàm clarum habemus, illum peccati hominem esse Pontificem Romanum, qvandoqvidem in eum colores omnes, qvibus notabilem *Antichristum* fecit Apostolus, exqvisite conveniunt (*b*). Ac prodest illa nobis *revelatio* non modò in futurum, ut adventanti magis magisq; judicio universali nos per veram pœnitentiam præparemus: sed in præteritum qvoq;, ut multorum retrò seculorum de Antichristo hallucinationes dijudicare qveamus liqvidiùs. Ea enim divinarum est prædictionum natura, ut qvi, anteqvam expleantur, in definiendis earum circumstantiis extra literam Scripturæ aliqvid audent, non nisi in lubrico ponant pedem. Verùm hâc in re separandi sunt nobis Sancti Patres à Divinatoribus ævi Scholastici. Horum enim qvàm illorum lapsus tantò gravior est, qvòd ipsi, cùm in tem-

(a) II. Thessal. 2. v. 3. (b) Seqvitur enim v. 4. *Qui adversatur & extollitur super omne, qvod dicitur Deus, aut qvod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanqvam sit*

tempora jam adolescentis incíderent Antichristi, & extra Latinam gentem qværendum sibi eum putarent, in qvo vel Irenæus (c) eos refellat: & sua deliria pro sacris revelationibus orbi obtruderent, qvod à Patribus certè factum non est (d). Infinitum sit omnibus Monachorum de Antichristo somniis commodare calamum. Illa tantùm hîc lustremus, qvæ de ANTICHRISTO MIXTO sunt commenti. *Duos* enim *Antichristos* (e) in eorum vaticiniis reperias, *purum* seu *merum*, & *mixtum*: qvos etiam vocabulis *veri* & *mystici* (f) distingvunt. De mero, qvem &



*Deus*. (c) lib. V. adverſ. hæreſ c. 25. 355. ubi in voce *Latinos* (Λατεῖνος) verisimiliter qværit numerum bestiæ Apocalypticæ. (d) In primis modestiæ plena sunt, qvæ d. l. in paulò præcedentibus disserit Irenæus: *Certius & sine periculo est substinere ad impletionem Prophetiæ, qvàm suspicari & divinare nomina qvælibet.* (e) Vide qvæ paulò post è Joachimo Abbate & Vincentio Ferrerio allegabimus. De *duobus Antichristis* etiam scripsisse Johannem de Rupescissa intelliges ex auctar. Catal. Test. Verit. p. 97. Conf. Magn. Chron. Belg. f. 308. (f) *Mixtus* rectè opponitur *puro* seu *mero*, minùs rectè *vero*, cui magis est ut. *mysticum* opponas. Hoc voluit interpres Joh. Bapt. Nazari, Scriptoris Itali apud Wolff. Tom. II. memorab. f. 889. ubi inter vertendum sic commentatur: *Canunt Prophetiæ, qvòd inter Antichristum mixtum* (in Italico habetur *misto*, nec satis constat, qvid per Antichristum mixtum sibi velit, unde fortassis *mysticum* substituere liceat,) *& inter verum sectæ*

Digitized by Google

*magnum* vocant (*g*), agnoscunt loqvi Epistolam ad Thessalonicenses (*h*). Sed mixtum hîc nos indagamus. De qvo ante B. Lutheri ævum tres præcipuè Vates memorandi veniunt, *Joachimus Abbas Florensis*, qvi primordium attigit seculi decimi tertii, *Huberinus de Casali* Franciscanus, & *Vincentius Ferrerius* Dominicanus, Joachimo uterq; posterior, ille seculo integro, hic duobus. Ac eorum qvidem, qvæ in hanc rem contulit Joachimus, libet summam qvandam cognoscere à Sylvestro de Castilione Aretino, Augustinianæ familiæ Eremitâ. Qvi, *Opuscula*, inqvit (*i*), *qvæ hucusq; suggestu, persvasu, curâq; & diligentiâ meâ haud modicò cum labore impressa habentur, hæc sunt: Ipsius Abbatis Joachim explanatio in Beatum Cyrillum de Statu Ecclesiæ ex modo usq; ad finem seculi,*

*Mahometica in universum abolenda & dissipanda sit.* Ac fieri potest, ut pro *mera* qvi *verum* legerent, iidem & *mixti* in *mysticum* convertendi licentiam usurparent. Unde factum porrò, ut mixtus puri figura statueretur. Autor Oneris Ecclesiæ c. 42. n. 4. p 227. *Antipapa est figura magni Antichristi, ideò nuncupatur Antichristus mixtus.* Dicendum hîc potiùs erat *mysticus*. *Mystici* Antichristi etiam expressam mentionem habes apud hunc Autorem c. 66. n. 12. p. 363. (g) Autor Oneris Eccles. d. l. p. 227. passim. (h) Petr. Sylvius Tract. VI. in libello cui tit. Die andern acht hinterstelligen Bücher. / E. I. (i) Epist. dedic. in Joach.

*culi, & specialiùs de horrendo illo schismate* Mystici *Antichristi, præcursoris* veri *Antichristi. - - Postremò in Jeremiam interpretatio perpulchra, ubi luce clariùs ostenditur, Ecclesiam carnalem, quæ nova Babylon nuncupatur, fore triplici percutiendam flagello: temporalium scilicet amissione ab Alemannorum imperio; secundò haresi & præcipuè à Patarenis, de quorum sectâ erit* mysticus Antichristus; *tertiò gladio ab infidelibus, & præsertim Mahumetanis.* Ubertini hæc sunt (*k*): *Sicut in primo Ecclesiæ statu patiens Christus post illusiones & multas injurias fuit crucifixus & mortuus: sic tempore* mixti Antichristi *in fine quinti & in excursu sexti statûs Ecclesiæ post multas illusiones Spiritus Christi & lex Evangelica tandem mortificabitur, & supprimetur veritas non solum vitæ, sed etiam scientiæ & doctrinæ, Dignitatisq; Ecclesiasticæ.* Ex Vincentii autem libro de fine mundi hæc video proferri (*l*): *Sciant omnes, quòd duo Antichristi futuri sunt successivè an-*



Abb. interpret. Jeremiæ 6. ed. Colon. Anno 1577. (h) cit. Scriptore Oneris Ecclesiæ c. 42. n. 10. p. 229. apud quem & mentio *Ubertini* hâc de re n. 6. p. 228. in marg.

(l) à Theod. Cygneo in Replicâ der Defension-Schrifft wegen Gottfried Rabens Revocations-Predigt (Maynz Anno 1602.) p. 91.

Digitized by Google

*te diem conflagrationis. Quorum primus erit Antichristus* mixtus: *alius successor erit Antichristus* purus (*m*). *Nam mixtus veniet sub specie magnæ sanctitatis, quia vitam Christianam tenebit ad extrà mirabiliter, & in corde habebit spiritum malignum radicatum, quì eum inspirabit sub specie boni multa mala facere Ecclesiæ: & iste non acquiescet consilio aliquorum, sed quæ videbuntur sibi fienda, conabitur per phas & nephas facere ex instigatione diabolicâ. Et multos Reges & Principes Christianorum sanctitate fictâ decipiet, & in maximum errorem & scandalum eos inducet, ac etiam sapientissimos & doctissimos in lege decipiet, & errare faciet. Et conabitur adimplere omnia cogitamina, quæ malignus spiritus ei inspirabit, dicens ac docens, quòd totum ei à Deo veniat.* Et posteà (*n*): *Idolum Na-*

(m) *Purum* ex Vincentio vocat etiam Labb. de Script. Eccles. pag. 485. Sed *meum* Scriptor Oneris Eccles. c. 42. n. 9. his verbis: Vincentius inquit: *Duo Antichristi sunt futuri, prior* mixtus, *successor* merus. Mixtus *apparebit bonus Christianus, & decipiet multos.* Alter *conabitur extinguere fidem Christianam.* Mixtus *intrudetur in Papatum per suprascriptum tyrannum, & erit potentior, quàm quisquis alius præteritus Pontifex: hoc enim idolum erigetur contra Verum Papam.*--- Antichristus mixtus *per fictam sanctitatem usurpabit sibi dignitates & divitias mundanas. Unde omnes gentes sive vel sponte adhærebunt eidem idolo, paucis exceptis, scilicet Sidras, Misac, & Abdenago.* (n) Theod. Cycn. d. l. p. 97.

Digitized by Google

*Nabuchodonosor est* Antichristus mixtus, *& erit major, quàm aliquis fuerit à principio Ecclesiæ usq; nunc in dignitate Papali, nec erit post in eâdem dignitate usq; ad finem mundi. Quia ille erit ultimus quoad dignitatem Papalem. Non dico, quòd fiet Papa, sed erigetur idolum illud contra verum Papam. Et ista erit quarta Bestia pessima, quæ surgit de mari. Et cùm videritis hæc fieri, credatis, quòd brevissimè eo mortuo manifestabitur Antichristus purus.* Quod hîc de dignitate Papali audimus, sic intelligatur: Mixtum Antichristum fore quendam Pseudopapam, velut idolum à Nabuchodonosore, h. e. magno Rege vel Imperatore aliquo erigendum. Hoc enim ex Vincentio produnt alii (o). Cui si jungamus, quæ ex indicio Johannis Baptistæ Nazari Brixi-



(o) Scriptorem Oneris Ecclesiæ modò audivimus lit. m. Wolffg. Aytinger Tract. super Methodium (ed Basil. A. 1498.) c. 3. tit. Quomodo quidam Rex eliget falsum Papam: *S. Vincentius dicit quendam magnum Principem prefiguratum in Nabuchodonosor, qui --- faciet ultimis temporibus unum magnum idolum, majus quàm unquam fuit à principio Ecclesiæ usq; nunc in dignitate Papali, falsum Papam. Quo mortuo aliud non fiet in Ecclesiâ usque in finem mundi in dignitate Papali. Et iste Princeps in signum, quòd ultimum sit idolum, quod faciet, & quod tale idolum erit.* Antichristus mixtus, *bastardando, id est, à latere portabit pro armis suis serpentem, mundi figurã in ore habentem. Et tamen realiter non erunt arma illius Principis, quòd per se alia arma ducet &c.*

ensis (p) innotuere nobis, historiæ fabularis de Pontificiorum Antichristo mixto compendium qvasi qvoddam hoc erit: Natus ille de Moniali, & Patarenorum imbutus hæresi, justo Pontifici vitio creatus Papa se opponet, verumqve Satanæ organum simulatione divini afflatûs & externâ sanctæ vitæ specie Orbi Christiano defectionem à fide persvadebit, puro Antichristo, qvi mortem ejus brevi excipiet, viam præparaturus. Qvanti facere hodie velint hanc Legendam stipendiarii Romanæ Meretricis, qvi Antichristum certè magnum adhuc exspectant, ipsi deliberent. Vincentio qvidem spiritum propheticum tribuunt, nec

(p) Edidit hic Italicè Anno 1570. discursum de futurâ victoriâ contra Turcam, è sacris Prophetis, aliisqve vaticiniis, prodigiis & prognosticis depromptum: qvem latinitate donavit posteà Theosophiæ qvidam Vir Studiosus: (ita se appellat.) Versio hæc habetur & apud Wolffium Tom. II. memor. è cujus f. 889. hæc excerpo: *Multi Sanctorum venisse jam illum* (Antichristum mixtum) *de suo tempore prædicarunt. Alii nascituru̇m de Monarchâ, eqve Germaniâ Italiæ à septentrione confini oriundum. Insuper dictum fuit, mistum Antichristum unum è tribus falsis Pontificibus futurum, qi & dolo à certo qvodam Imperatore creandum, qi Papa hunc Imperatorem sit coronaturus, Christianismum, per Italiam præcipuè, extincturum. Secundum falsum Pontificem Græcum, tertium autem fore Italum.*

Digitized by Google

nec postremum inter Sanctos locum (q). Joachimum alii laudant, alii hæreticis accensent (r): indignaturum meritò, nisi eadem fortuna & Hubertinum (s) excipiat. Nos eâdem lineâ signamus omnes, nisi

(q) Vid. Baron. Martyrolog sub 5. April. pag. 216. Labb. de Script. Eccles. pag. 484 Breviar. Ordin. Prædicat. p 733 ed. Rom. (r) Vid. in primis Petrej Catal. hæret. p. 97. Hæreticis annumerant & Bernh. Lutzenb. ac Gabr. Prateolus. Pseudoprophetam vocat Baronius Tom. XII. Annal. ad Ann. 1190. n. 5. f. 834. seq. inter alia ex eo, qvòd dixerit, *Antichristum* (de mixto hæc intellige) *jam natum esse in civitate Romanâ, eundemqve in sedem Apostolicam prorchendum.* Jac. Merlonus ad Tom. I. Bernh. f. 6. ait, eum existimâsse, *Antichristum* (ipse viderit qvem) *intra 60. annos à suo tempore affuturum.* (s) Gerson in admon. qvomodo cautè legendi qvorundam libri Tom. I. Oper. alphab. XIX. lit. K. de iis, qvæ Hubertinus in Cantic. Simeonis notavit (de qvibus & Trithemius consulendus in Script. Eccles. p. m. 98.) *Dum magis & magis introrsus aspexi, singulaqve notavi, manifestaverunt se vulpes parvulæ, qvæ demoliuntur vineas, maximè dum vinea floruit. Fuerunt tempore Hubertini illius hæreses aliqvæ radicem accipientes ab Abbate Joachim &c.* Multa Hubertinum cum Joachimo communia habuisse, certum est. Uterqve scripsit de septem statibus Ecclesiæ, (Sixt. Senens. Biblioth. f. m. 268. 271.) Uterqve Grilli Carmelitæ vaticiniis hæsit: In qvæ Joachimum scripsisse commentaria, testis est Ludov. Jac. à S. Carolo lib. II. Biblioth. Pontif. p. 296. Iisdem nitentem Hubertinum facit Delr. comment. in Octaviam Senecæ p. 536. Utrumqve Delrio d. l. & p. 535. accenset vanis extremæ diei Prophetis. Addit his de nonnullorum sententiâ & Vincentium Ferrerium ob Epist. de Antichristi nativitate. Qvorum opinionem etiam hæc firment ex Breviar. Ord.

Digitized by Google

nisi qvòd integrum esse nobis debet, Sanctulorum istiusmodi testimoniis adversus Pontificios, qvoad commodum fuerit, uti (*t*). Unum est, in qvo ad aliqvam similitudinem veri somnium illud accedit. Duos enim Antichristos, *occultum* & *manifestum*, [mixtum & purum illi dixerunt,] etiam nostri, sed in sacro Codice repertos, agnoscunt, & in Papæ Turcæqve regno demonstrant nobis (*u*). Verùm huic principio qvàm difformia sunt cætera! utrumq; Antichristum non nisi duo fore hominum individua: mixtum Romani Papæ circulos turbaturum. Miseri homines non agnoscebant, dum Papam venerabantur, ipsum se Antichristum adorare. Age ab ipsis extorqveamus veritatem. Dabunt enim utiq; nobis, Antichristum esse, qvi Christo se opponat,

Prædic. 733. *Avenione gravissimè ægrotantem* (Vincentium) *Christus invisens -- præcepit eisurgere, & per diversas mundi partes verbum Dei, ac imminentem in primis extremi judicii diem prædicere.* (t) Et Joachimus & Vincentius habentur in Flacii Catalogo Testium Ver. p. m. 664. & 931. b. ubi de Vincentio inter alia: *Dicit etiam clarè, Antichristum fore Papam: sed, qvò id periculi causâ molliat, dicit, eum fore, qvi non sit legitimè electus.* Ita visum fuit Flacio. (u) Vide Disp. de duobus Antichr. primariis Tom. I. Oper. Latin. Phil. Nicolai f. 101. Hopffn. Disp. II. de Apostas. Rom. th. 6.

Digitized by Google

ponat, ejusq; nomen usurpet sibi. At ipsi hunc volebant Antipapam esse, Papæqve titulum per nefas occupare. Idem ergò illis Papa, qvod Christus. Nimirum jam tùm dominabatur in Ecclesiâ mysterium hoc iniqvitatis. Itaq; oportunum erat credere, Antichristum fore Pseudo-Pontificem. Juvabat insuper, ipsum excitare de sectâ Patarenorum, h. e. Albigensium (w), qvâ nulla, istis qvidem temporibus, capitalior erat Sedi Romanæ. Pro emblemate inserviebat, illius Antichristi matrem facere Monacham. Qvod nescio an ideò placuerit, ut mixtus iste puro tantò similior haberetur. Hunc enim fuerunt, qvi crederent nasciturum de Virgine (x): Sunt enim Virgines [esse certè debent] etiam Nonnæ. Hæc ita publicos plausus meruerunt, donec in Bestiæ Apocalypticæ triplicem coronam arietare inciperet Lutherus. Emersit repente Petrus qvidam Sylvius (y), qvi qvẽ Vin-

(vv) Vid. Usser. de Eccles. success. c. 8. n. 14. 15. p. 271. De Patarenis aliàs legantur, sed cum judicio, Bernh. Luzenb. in Catal. hæret. & Pancirol. II. Thes. Var. Lect. c. 178. p. 360. (x) Vid. Pseudo-Augustin. Tract. de Antichr. (Tom. IX. Oper. Aug. f. 1187.) Draud. lib. II. Colloq. Postcanic. I. p. 14. (y) Fuisse hunc Sylvium fanatico spiritu, & vanâ sapientiæ firmitatisqve singularis persvasione turgidum

Vincentius è privato fecerat Papam, eum ex Papâ refingeret in hominem privatum, hoc est, qvi mixtum Antichristum asseveraret esse Lutherum (z): obscurior homuncio, & Vincentianæ fabulæ violentior interpres, qvàm ut vel nos, qvi ne Vincentium qvidem magnifacimus, vel Suos, qvi post Lutherum etiam, illi fabulæ δημύθιον longè aliud subjecerunt, ad ipsum ablegare debuerit Theodorus Cycneus (a), si modò Sylvium unqvam notum habuit (b). Enimverò Scriptor Oneris Ecclesiæ, iisdem cum Petro Sylvio temporibus vivens (c), tametsi pessimè

hominem, Scripta ejus produnt: tanti Suis habita illo ævo, ut cùm à primo statim Reformationis tempore usqve ad annum 1525. scribendis adversus Lutherum tractatibus 25. se fatigavisset, gratisqve imprimendos obtulisset, nemo sit inventus Typographus, qvi ex hujus Volusii chartis suo periculo diteſcere cuperet. Qvare suis impensis, qvas apparet mendicando illi subinde obvenisse, tractatûs omnes diversis temporibus, partim in hâc urbe, partim Dresdæ vulgavit. Doceri possunt hæc omnia ex libris ipsius Sylvii.

(z) In den andern acht hinterstelligen Büchern/ Tract. VI per tot. & Tract. XI. L. 4.

(a) p. 69. Der Replica wegen Gottfried Rabens Revocation-Predigt/ ubi mirificè sibi placet in Sylviano invento. (b) Gerit eqvidem se, qvasi qvi ipsius Sylvii verba proferret, sed ea sunt apud Sylvium longè alia, ut credibile sit, ipsum ab alio, qvi hæc ipsi tanqvam à Sylvio scripta obtulerit, fuisse deceptum. (c) Scripsit e-

Digitized by Google

mè & ipse animatus in Lutherum, nefas tamen duxit, mixtum illum Antichristum alium habere, qvàm qvi esset falsus Papa. Qvalem cùm ævo suo, in qvod aliàs calculo subducto credebat illud vaticinium convenire, nullum existere videret, brevi adfuturum denunciavit (*d*). Johannes verò Baptista Nazarus, qvanqvam ejus qvam agebat causæ (*e*) intererat, Antichristum mixtum profiteri exhibitum jam potius, qvàm exhibendum, Salvâqve rei summâ poterat hanc fabam in Lutherum cudere: tamen consentaneum esse vidit illis prædictionibus, si res à privatis hominibus qvàm maximè abduceretur. Ergò maluit (*f*) pro Antichristo mixto habere Fri-

nim Anno 1519. Prima verò libri editio facta est Anno 1524. Landshutæ in Bavariâ: Vid. Gerh. procem. Conf. Cathol. p. 18. qvi & autorem censori ait Johannem Episcopum Chemensem. (d) c. 42. n. 1. & 2. (p. 226. ed. Anno 1620. (e) Cùm Anno 1570. Turca Venetos bello peteret, fecit Nazarus, qvod post eum similibus Christianorum temporibus alii, ut constipatis undiqve vaticiniis, sacris, profanis, veris, falsis, veteribus, novis, ecstaticis, astromanticis, Turcæ denunciaret interitum brevi futurum. Assumpsit inter alia Prophetiam, qvæ canebat, inter Antichristum mixtum & verum planè abolendam fore sectam Mahometicam. (f) apud Wolffium Tom. II. Memorab. f. 390.

Digitized by Google

Fridericum II. Romanis Pontificibus molestissimum Imperatorem, matre Constantiâ natum, qvæ de Siciliæ Regibus oriunda munus Abbatissæ ad Senectutem usqve in Monasterio gesserat, antequam nuberet. Sed jam satis est fabularum. Verum Antichristum in Papâ Romano dudum patefecit nobis DEUS ministerio B. Lutheri. Nostrum est, hoc etiam signum computare cum cæteris, & ad illum tremendum improbis, fidelibus autem exoptandum diem oculos pariter ac mentes erigere. Inserviet huic pietati Oratio, qvam in Auditorio Philosophico finitis ad Mercurii diem, volente Deo, Sacris matutinis compositam à se recitabit *Otto Heinricus Corvinus*, L. Andreæ, Collegæ qvondam nostri beatæ memoriæ, sed famæ nunqvam intermorituræ, filius paternis vestigiis insistens, Philosophiæ Baccalaureus. Ostendet enim pluribus è Scripturâ Sacrâ cumulatis indiciis, imminere Mundo prædictam toties conflagrationem. A Vobis, Rector Academiæ Magnifice, Perillustris & Generosissime Comes de Lynar, Facultatum omnium Proceres Amplissimi, rogamus enixè, ut perqvàm

hono-

Digitized by Google

honorificâ præsentiâ Vestrâ & studium Oratoris nostri, & æmulationem literis deditæ Juventutis, qvam ipsam qvoqve freqventem interesse optamus, acuere dignemini. Dignus personâ vestrâ favor est, qvem petimus. Dabitur opera, ne petitores hoc favore indignos ulla nos ætas accusare possit. P. P. Domin. XII. post Trinit. d. 13. August. Anno 1665.

## PROGRAMMA XLI.

# ADVERSUS PHILOSOPHOS NOVANTIQVOS

*Præscriptum celebratæ*

Anno 1665. d. 9. Sept.

PROMOTIONI BACCALAUREALI.

Cùm publicas Professorum Facultatis nostræ Lectiones haud ita pridem prædiceremus, Aristotelicæ Philosophiæ defensionem suscepimus adversus eos, qvibus, qvoniam solutissimam philosophandi libertatem exoptant, LIBERTINORUM nomen indere placuit (a). Nunc ubi Baccalaureorũ indicenda venit Renunciatio, qvô in actu Juvenibus ingenuis, qvi Aristotelicæ doctrinæ tirocinia posuerunt, sua decernentur præmia: nec



(a) Respice ad Programma XXXIX.

Digitized by Google

alienum erit, opinor, â causâ, nec post mensem tertium intempestivi consilii, si cum altero qvoqve *Novatorum* genere paulisper experiemur, qvos, qvia novo exemplo aliqvem de antiqvis Ethnicæ Philosophiæ Magistris dejecto Aristoteli Successorem dari postulant, NOVANTIQVOS appellabamus.

Eqvidem tantum abest, eorum nobis ut industria displiceat, qvi veterum Sectarum historias diutiùs ignorari non patiuntur, ut existimemus potiùs ingentem iis gratiam deberi ab omnibus, qvi secretos in Aristotele sensus haud paulò exploratiores, qvàm Scholastici, habere desiderant. Qvomodo enim disputationes Philosophi adversus Pythagoram, Platonem, Anaxagoram, Parmenidem, Melissum, Democritum, Leucippum atqve alios, qvos in primis ille in argumento capitali de primis rerum principiis ad partes vocat, rectè interpretabitur, qvi qvæ singulorum germana fuerit sententia, juxta cum ignaris notum habet? Neqve verò est, qvòd qvis putet erui hanc historiam satis posse ex ipso Aristotele. Vehementer errat, ita qvi sentit, nõ qvòd Aristoteles, qvæ malevolorum est calumnia,

mnia, sensûs adversariorum depravando corruperit; sed qvia, cùm eo ævo, illi genti scriberet, cui Sectarum ista dogmata qvippe adhuc vigentium, aut memoriæ saltem nondum excussarum, perspectissima forent, multa sæpè nutu significavit magis, qvàm copiâ sermonis expressit. Qvæ causa nescio an non inter præcipuas poni debeat ejus obscuritatis, cujus ab imperitis rerum veterum reus agitur Princeps Philosophiæ. Itaqve non miror, si in Aristotele exponendo tanqvam densissimis oppressi tenebris passim corruerunt Interpretes ætatis barbaræ: nulla ipsis ab historiâ fax affulsit. Ætati nostræ gratulor, qvæ inscitiam illam, Doctissimorum qvorundam hominum lucubrationibus adjuta, magis paulatim ac magis exuit. Qvanqvam enim integrum Historiæ Literariæ corpus inter Desiderata merito adhuc referas cum Verulamio (*b*), neqve enim ultra Prodromum ejus Lambeciana processit hactenus diligentia (*c*): tamen operis utilissimi particulas qvas-



(b) Lib. II. de augm. Scient. c. 4. (c) Petri Lambecii liber primus Prodromi Historiæ Literariæ, nec non libri secundi capita qvatuor priora prodierunt Hamburgi Anno 1659.

Digitized by Google

dam ſparſim editas intueri licet. Ut de Græcorum tantùm Philoſophis dicam, in reſuſcitando Platone Marſilius Ficinus, in Stoicis Juſtus Lipſius & Caſpar Scioppius, in Epicuro Petrus Gaſſendus, in Democrito Joannes Chryſoſtomus Magnenus, in Parmenide Bernardinus Teleſius, in Anaximandro Claudius Berigardus, præter cæteros elaboraverunt. Anno ſuperiore Pythagoræ qvoqve Philoſophiam, jam ante ſeculum à Capnione tentatam in Cabaliſticis, aggredi cœpit penitioris literaturæ callentisſimus Joannes Schefferus. Sed cùm pleriqve propoſitum haberent, ejus Philoſophi, qvem qvisqve detegendum ſuſcepiſſet, placita qvoqve, ut veritati propiora, aut Chriſtianæ Religioni magis conſentanea, aut faciendis per compendia progresſibus aptiora commendare: factum eſt, ut hiſtoriam illi nobis darent alicubi minùs qvàm optaremus limpidam ac defecatam. Utiqve juratisſimos Ariſtotelis hoſtes in his reperimus Teleſium, Gaſſendum, Berigardum. Atqve adeò talibus præcipuè qvaſi clasſicum canentibus evenit, ut faſtidito Ariſtotele alius in Platonis caſtra, ad Epicurum

curum alius, alius ad Zenonem aliosve abeundum censeret. Nobis verò, ut optandum videtur, exstare justas & pravis affectibus purgatissimas veterum Sectarum historias: ita neutiqvam probatur temeritas illorum, qvi Aristoteli sic abrogatum volunt Scholarum imperium, ut in alium ex Gentilibus Philosophis id transferatur.

Sapientiùs hi qvidem paulò, qvàm isti Libertini, qvi plenam Anarchiam introductum eunt. Retinent enim sanè formam Regiminis Monarchici, qvâ nulla potest esse pro statu corrupti hominum ingenii literariæ Reip. salubrior. Veruntamen si arcanos eorum sinûs excutias, ipsos qvoqve non tam studio veritatis duci deprehendes, qvàm novandi libidine. Nam si verum adeò qværunt, cur ab Ethnico Doctore ad Ethnicum nos mittunt, non ad unum potiùs è Christianis? Cur ex Aristotelicis fieri nos Platonicos jubent ac Stoicos, non Ramæos potiùs aut Comenianos? Nimirum occulta eorum fraus est. Vetusta nomina qværunt, ne pro Novatoribus manifestariis fugiantur. Ad hæc sciunt,

majorem esse Antiqvitatis reverentiam: cùmqve factiones Philosophicæ nullæ celebrentur veterum Christianorum titulis, ad Paganos eundum censent, cum fiduciâ tanto majore, qvia talis etiam fuit latè Academiarum hodiè regnator Aristoteles. Cujus doctrinam, videlicet in Scholis etiam trivialibus receptam, cùm hodiè inertissimus qvisqve Pædotriba profiteatur, ne cum vulgo credantur sapere, malunt Platonis aut Democriti, aut cujusqve prisci alterius disciplinâ, plebejis Eruditorum ignotâ, superbire. Ad Peripatetici nomen, qvia qvotidiana hæc avis est, nemo aures arrigit. Parmenideum aliqvem voca, vel Anaximandreum, ilicò miros concursûs videbis. In Epistolis Marsilii una (*d*) legitur cùm hâc epigraphe: *Marsilius Ficinus Florentinus Platonicus Serenissimo Pannoniæ Regi Matthiæ semper invicto supplici commendat.* Nihil huic fastui deerat, nisi ut ex instituto Principum titulis suis præfigeret illud etiam: *Nos Dei gratiâ.* Aliæ exstant ejusdem ad Joannem Picum Dominicum Benivenium (*e*), qvibus eos Com-

(d) Lib. IX. p. m. 197.
(e) Lib. VIII. p. 172. 182.

Digitized by Google

*Complatonicos* suos salutat, ipse passim (f) ab Amicis *Platonicus* inscriptus: nempe callentibus, qvâ ungulâ scabere hunc mulum oporteret. Si veritatis ipsi suprema fuisset cura, maluisset esse Philalethes. Sed veri qvoqve nemo est, qvin se studiosum jactet. Inusitatæ Seculo compellationes magis illam saturant ambitionem. Qvare cùm Plato etiam similesqve Patricii nimis jam innotuissent, ad Parmenidis qvoqve & Anaximandri refodienda cadavera perventum est tandem, tàm obscuræ famæ Philosophorum, ut eos unqvam vixisse penè oblata sit posteritas. Neqve desinent Novatores de hoc genere in omnes angulos circumjicere oculum, qvamdiu superserit aliqvis inter Gentiles tenebrio, cujus oletum pro sacris reliqviis adorandum ostentari qveat. Planè enim hîc evenit, qvod in Sanctorum lipsanis inter Pontificios: qvibus diu nota sordent, nudiustertius eruta è longo seculorum situ confluxum populi cient. Qvòd si novitatem abstuleris illis pannorum veterum interpolatoribus, ad aucupandam gloriam nihil feceris reliqvi. Verùm



(f) p. 10. 11. 44. 86. 181. & alibi.

desinamus eorum conscientias rimari: videamus potiùs, ecqvod operæ pretium ipsi faciant.

Principiò si maximè illis assentiare, saniorem esse Platonis, aut cujuscunqve alterius Philosophiam, qvàm Aristotelis: dummodò per nostrum Stagiriten Sapientiæ studia non planè pessum eant, aut mergantur in barbariem, qvod nemo dixerit, qvi de ingenio illius Philosophi vel sando qvicqvam perceperit, cur ejus disciplinam retineamus, satis causæ est eò, qvia tanto temporum cursu jam inolevit. Nota est prudentiæ regula, qvæ malum, si commodè situm sit, moveri vetat (g). Ita Medici morbis qvibusdam ex industriâ parcunt, ne debellandis iis graviores excitent. Et Politici ad multa veterum legum incommoda connivent, qvia plus damni sibi metuunt à rebus novis. Metuenda hæc damna sunt & in literariâ Republicâ, præsertim si auctoritate privatâ Rex novus imponatur Scholis. Omitto his Novatoribus sua ipsorum disfidia objicere, qvibus profectò efficitur, ut, cui maximè transfugium ab Aristotele persvaserint, (hanc enim

(g) κακὸν εὖ κείμενον μὴ κινητέον.

Digitized by Google

enim causam communibus nervis agunt,) isqve certo è priscâ Philosophiâ Principi non antè velit Sacramentum dicere, qvàm inter ipsos de optimo Duce convenerit, ei sit in perpetuâ ignaviâ vivendum. Nam ut universi in Aristotelem debacchantur, ita singuli per discordiam singulis creant Sapiendi Magistros.

Jam ne hoc qvidem illis concesserimo, Aristotelem ullo esse istorum, ad qvos Juventutem vocant, inferiorem. Qvin potius, sive casus fuit, qvi eum Orbi Latino invexit, Providentiam Divinam suspicimus; sive consilium humanum, dexteritatem laudamus eorum, qvi optimũ inter Gentiles Philosophum delegerint Aristotelem. Qvem & Philippo Melanchthon, Vir ut Ecclesiasticæ sic Philosophicæ historiæ ultra seculi sui genium peritus, qviq; Scholis repurgandis illud negotium occupavit, qvod Ecclesiis præstitit Lutherus, non dubitavit passim Platoni, Stoicis, Epicuro anteferre: satisqve habens ex eo inutiles rixatorum spinas & ineptias ejecisse, de cætero commendavit eum posteris, & regnum ipsi suum continuandum censuit. Neq; verò pro



Digitized by Google

hâc ſententiâ deſunt copiæ rationum. Sed eas explicare vetat chartæ anguſtia, nec ſinit Ariſtotelem cum ſingulis, qvi ipſi obducuntur, comparare. Qvanqvam ne meretur qvidem Anaximander, & huic ſimiles inglorii minutiq; Philoſophi, ut ſingulari certamine cum illis decernere Noſtrum jubeamus. Epicurus autem, majoris qvidem famæ Doctor, ſed cujus ſapientiam Horatius, ejus aliqvandiu ſectator, meritò inſanientem appellavit (*h*), tàm impiè de Deo eſt philoſophatus, tàm craſſè de naturâ rerum, ut nec ipſe debeat à nobis aliqvo numero poni. Certè vetus Eccleſia cum eo tàm nihil commune ſibi eſſe voluit, ut nullus in eâ memoretur Philoſophus Epicureus. At Stoicum Pantænum habemus, Platonicas verò longè plurimos: qvòd hæ familiæ, Platonis præſertim, qvem Auguſtinus ajebat perpaucis mutatis Chriſtianum fore (*i*), plus pietatis reſipere viderentur. Nec abnuo, ſi ad illud reſpicimus, qvod de origine mundi docuerunt qvatuor illi Proceres, Plato, Ariſtoteles, Zeno, Epicurus, meruiſſe Platonem, ut proximus

(h) lib. I. od. 34. (i) Vid. Liv. Galant. Chriſtiana Theol. cum Platon. comparat. §. 13. 19. 33.

Digitized by Google

ximus habeatur Christianis, qvippe qvi nec ab æterno hoc universum, nec necesſitate naturæ exſtitiſſe credidit. Sed hanc veritatem tot copulat mendaciis, & iis qvidem ad ſecretisſima religionis noſtræ myſteria furtim alludentibus, ut priora Eccleſiæ ſecula vix hæreſin ullam viderint, qvam non pepererit Platoniſmus; vix bonum Platonicum inter Patres, cui non ex Platone adhæſerit nævus. Nemo ex his fortaſſe πλατωνικώτατος fuit Origene. At qvàm horrendis monſtris ille fœdavit fidem! Qvibus in Angliam hodiè importandis qvi ſtudent, Platonem magno conatu cathedris imponere cœpiſſe narrantur. Sapienter verò Clementi Papæ VIII. Platonicam Philoſophiam in Scholas reducere meditanti, ne id faceret, perſvaſit Bellarminus, adjectâ cauſâ, qvòd ea præ aliis Gentilium Philoſophorum ſectis ad Chriſtianæ Religionis placita proximè accederet, ideoq; ad ſeducendos homines & ſimplicitatem fidei corrumpendam majus ab illâ periculum immineret (*k*). Tale ab Ariſtotele eſſe nullum poteſt. Cui ſi exſeces unum alterumve manifeſtisſimæ profanitatis errorem

(h) Bern. à Mallincrot diſcurſ. de Summo Bono. p. 4.

Digitized by Google

rorem, in cæteris articulum fidei, qvia nullum tangit, nullum inqvinabit, cùm Platonici contrà instar Harpyiarum omnia contactu immundo maculent atqve inficiant. Juvat hujus disparitatis fontem lustrare, qvi in ipsa philosophandi methodo situs est. Plato ab iis exorsus, qvæ solo intellectu percipiuntur, ad sensibilia descendit, h.e. à Deo & Spiritibo ad corpora. Contrarius trames placuit Aristoteli, ad Autorem naturæ & cœlestes essentias non surgenti priùs, qvàm hanc in terris naturam speculando esset emensus. Hoc utriusq; Philosophi disidium etiam illi fatentur, qvi de conciliandis iis laborant, & in hoc ipso se clavem putant ad eorum aperiendam concordiam invenisse, qvasi solâ diversi methodo in rebus ipsis amicè conspirent. Nobis expeditius est, ab hoc principio & dissonantiam dogmatum persvadere, & causam dicere, cur ad veritatem optimus nobis Magister Aristoteles, pessimus vicissim habendus sit Plato. Etenim in Regno Naturæ non aliam Deus cognoscendi sui viam complanavit mortalibus, qvàm qvæ scalis qvasi qvibusdam admotis ab infimâ Entium serie nitatur in suprema.

Qvi

Digitized by Google

Qvi hoc medio tanqvam puerili sapere dedignarentur, & ordine præpostero vellent ab altissimis in humilia demergi, his pro luce tenebras, pro facili semitâ vepres, pro compendiis itinerum præcipitia & lapsus tristissimos præparavit. Neqve hîc suis rebus non prospexit Satanas, sed hanc superbiæ plenam curiositatem corruptissimâ & plus qvàm hæreticâ, ut inter Gentiles, Theologiâ largiter aluit. Enimverò qvi cum Platone suis alis inter discendi rudimenta statim evolare in cœlum gestiunt, hi contemptis comparandæ notitiæ justis instrumentis, nihil aliud relinqvunt sibi, qvàm ut revelationes captent. Qvæ extra Ecclesiam qvales fuerint, non est difficile divinatu. Talibus ergò tota ferè Platonis Philosophia differta est: qvam qvidem hâc parte constat eum reportasse ab Ægyptiis, in omnem κακοτεχνίαν magicam projectissimâ gente, à qvibus etiam seculo superiore Paracelsus (l) Theologiam haud absimilem peregrinando accepit.

(l) Melch. Adam. Vit. Germ. Medic. p. 29. *Qui in etiam* (Paracelsus) *alter velut Euclides aut Plato, ad ipsos usqve Ægyptios atqve Arabes transiit, ac discendi cupiditate aliqvot annis apud illos permansit.*

Digitized by Google

pit. Porrò qvì his revelationibus auſcultaverunt, iis cùm ad alios emuncianda eſſet doctrina, ſermonis placuit obſcurum & lubricum genus, qvod per ſymbola mera, fabulas, numeros, figuras, aut verborum portenta crucem figeret legentibus. Puduit eos credo nudæ vanitatis: itaqve occultandam putaverunt: ſaltem hoc ſunt conſecuti, ut capti angvillarum inſtar elabi melius poſſent. In Ariſtotele contraria ſunt omnia Non ex rumoribus ille corpus doctrinæ conflare ſtuduit, ſed demonſtrationes qvæſivit, &, qvod ad Deum qvidem attinet, ab effectu procedentes ad cauſam. Qvæ non potuit demonſtrare, in iis tacere maluit, qvàm ſomnia nobis narrare. In eloqvendo autem proprietatem ſectatus eſt verborum, & ab illâ docendi ænigmaticâ ratione ſe qvàm longisſimè ſubmovit. Non potuit inter Gentiles commodior eſſe pro Chriſtianis Philoſophus. In lumine naturæ Deum haud aliter qværimus, qvàm per creaturas. In iis, ad qvæ ſolo lumine Gratiæ pervenitur, optimus Paganorum eſt ille, qvi maximè omnium eſt elinqvis. Hîc enim ſola rem conficit autoritas divina, qvæ extra populum

lum Deo dilectum nulla est. In cæteris Deus per librum Naturæ loqvitur, cujus literas in demonstrationem ordinare nemo nos ex totâ Gentilitate docuit, præter Aristotelem. Vel hæc sola palma triumphum illi supra Platonem non modò, sed Stoicos, & si qvi aliàs cæterorũ comparatione laudari merentur, decernit. Ergò sceptrum, cui volent, Novantiqvi deferant. Nos ad Aristotelem hortari nostros non desinemus.

Atq; ex hujus militiâ cras producentur primæ Laureæ titulis publicè, qvod prosperet DEUS, consveto ritu ornandi post octavam matutinam Juvenes eruditione ac probitate conspicui septem:

TOBIAS WINCKLERUS, *Noribergensis.*
JOHANNES LANGIUS, *Lipsiensis.*
SAMUEL DONNER, *Altmitweidensis.*
JOH. CASPAR GRIEBNERUS, *Lipsiensis.*
SEB. GOTHOFR. POETZSCH, *Mitweidensis.*
JOH. CASPAR GOTTSCHALCH, *Dresdensis.*
CHRISTIANO STROBACH, *Vratislaviensis.*

Actui renunciationis ut Magnificus Academiæ Rector, Gravissimi Reip. Literariæ Proceres, omniumqve Facultatum Doctores, Licentiati ac Magistri, unà cum Florentissimo Studiosorum Cœtu in-

Digitized by Google

interesse dignentur, observantiam, amorem & studia nostra præfati, majorem in modum rogamus. P.P. Lipsiæ d. 8. Septembr. An. Christi 1665.

## Programma XLII.
## De Peregrinationis usu et abusu

*Præscriptum Orationi,*

Qvam Anno 1665. d. 23. Septembr. habuit

MICHAEL HOESCHELIUS, Augustanus,

*In Affectatores Peregrinitatis.*

EXteras Regiones non perfunctorio pede lustravisse, omni ævo habitum fuit laudi. Atq; tempus extitit, qvo Græcis, qvi sapere aliqvid ultra genium patriæ suæ vellent, peregrinationes ad Barbaros planè forent necessariæ. Cùm enim ea regnaret apud exteras illas gentes superstitio, ut crederent contaminari Scientiam, [non disputo qvalem,] si ea vel vulgaretur literis, vel ita certè vulgaretur, ut intelligi ab inspicientibus posset: noscendi cupiditate incensis in eo solo relicta spes fuit, si Magistros ipsos adirent, sacris eorum initiari se peterent, & auribus ea perciperent,

Digitized by Google

perent, in qvibus omnem aliàs oculorum sive corporis, sive ingenii aciem frustrà consumpsissent. Hæc Platonem causa, hæc Pythagoram, hæc Democritum ad Ægyptios, ad Chaldæos, Persas, Indos, Æthiopas expulit (a): hæc alios domi qviescere non magis passa est, qvàm Apollonium Tyaneum, qvi, ut Hieronymi (b) verbis rem eloqvar, *intravit Persas, pertransivit Caucasum, Albanos, Scythas, Massagetas, opulentissima India regna penetravit, & ad extremum latissimo Phison amne transmisso, pervenit ad Brachmanas, ut Hiarcham in throno sedentem aureô, & de Tantali fonte potantem, inter paucos discipulos de naturâ, de motibus siderum ac dierum cursu audiret docentem: inde per Ælamitas, Babylonios, Chaldæos, Medos, Assyrios, Parthos, Syros, Phœnices, Arabes, Palæstinos reversus Alexandriam, perrexit Æthiopiam, ut Gymnosophistas, & famosissimam Solis mensam videret in sabulo.* Hodiè, qvod inter divina beneficia meritò numeramus, haud paulò commodior est bonarum literarum an-



(a) De Democrito vide Laërt. p. m. 384. De eodem & cæteris Cic. V. Tusc. p. 137. 145. Add. Hieron. epist ad Paulinum, (Tom. IV. Oper. f. 2.) Wovver. de Polymath. c. 28. p. 250. seqq. (b) d. l.

Digitized by Google

annona. Non ampliùs obsidet januas Musarum illa sive invidia, sive tetricitas per mera ænigmata philosophandi: Secreta disciplinarum omnium atq; artium, (qvæ qvidem à Patre Luminum profectæ sunt, non à spiritu tenebrarum,) qvàm fieri potest planissimo scriptionis genere propalare optimus qvisq; amat Eruditorum. Exspiravit ergò utiq; pro capiendo ingenii cultu inevitabilis illa peregrinandi necessitas: nisi qvatenus vel ipsos Gronovios, Fabros, Vallesios, Bigotios, Bochartos, Stanlejos videndi cupido, vel bonæ frugis Codicum, qvos Belgæ, Itali, Galli, Angli subinde procudunt, prodigiosa per has oras, & ipsam plerumqve aurium conscientiam intercipiens raritas, (qvam nescio incuriæ nostræ magis, an Bibliopolarum stupori aut sordibus imputandam habeamus,) cordatis Germaniæ nostræ Juvenibus longinqvas excursiones imperat. Neq; enim de cætero habent nostri, qvòd qverantur, deesse sibi domi Duces egregios, qvos ad omne literarum genus viâ regiâ seqvantur. Imò verò si principem Scientiarum Theologiam adspicimus, periculosa esse possunt Adolescentiæ extra Germaniam nostram

nostram qvævis, modò unum alterumve ad Septentriones Regnum excepero, itinera. Omitto de remotissimis locis dicere: Taceo, qvam religionem à Saracenis retulerit Servetus, ab Ægyptiis & Arabibus Paracelsus. Qvotusqvisq; fidelior ad Suos redit, ubi Sandalia Romani Pontificis ore vel semel absterserit? Qvotumqvenq; freqventata cum hæreticis consvetudo non inficit veneno, aut ejus saltem aliqvo colore tingit? Ergò ad Sanctissimum illud rerum divinarum studium, ut molliter dicam, non valdè proficuæ, ad reliqva non maximè necessariæ sunt hominibus nostris peregrinationes. Neqve hic audiam, si qvis civilis prudentiæ cupidos, aut naturalium arcanorum indagatores eximendos putet, eosqve contendat hoc medio carere non magis posse, qvàm qvibus valetudo thermarum visitationem, aut acidularum necessariam fecit: Esse enim oculorum fidem supra aures, & præsentiam supra commentarios Rerumpublicarum; non fuisse cur Cyprum peteret Galenus (c) aut Cœlen Syriam, si Cyprium æs aut bitumen parturienti naturæ po-



(c) De qvo Georg. Agric. Berman. p. 78 79.

potuisset qvasi obstetricios oculos admovere domi; non fuisse, cur Hadrianus Imperator (d) Ætnam conscenderet montem aut Casium, si eandem faciem Orientis Solis polliceri sibi potuisset è cubiculi sui fenestrâ. Hæc, inqvam, à sententiâ me non movent. De illâ sum necessitate locutus, qvam penuria facit Antitistum Sapientiæ, non qvam discreta per terrarum orbem sive ludentis naturæ, sive morum popularium procreat varietas. Qvanqvam ne hæc qvidem, qvæ mihi sic objicitur, necessitas tanta est, ut cum illâ Græcorum veterum, qvi nec mutos domi nec vivos absconditæ, qvam venabantur, Sapientiæ Doctores habebant, contendi ex æqvo debeat. Non is erat futurus Pythagoras, qvi fuit, si non ad Memphiticos Vates accessisset. At verò cur non credam, præstantissimum in arte Medicâ futurum fuisse Galenum, etiamsi in Cyprum aut Syriam non penetrasset? Porrò Thomæ Moroqvid in doctrinâ civili defuit? Britanniâ tamen suâ pedem vix unqvam extulit (e): Mauritius Hassiæ Landgravius inter Principes

(d) Vid. Spartian. in eo p. 27. 28. 30. Plin. lib. V. c. 22.
(e) Aub. Mira. part. alt. Biblioth. Eccles. f. 27.

Digitized by Google

cipes Literatus fuit, inter Literatos Princeps. Eum tamen deliberato consilio noluit qvicqvam peregrinationum cursui debere Guilielmus Pater (*f*). Ac nescio, an non huic maximè Principi dederit Hermannus Kirchnerus, Autor celebris, cùm inter nobiles duos in Academia Marpurgensi adversarum de hoc studio Declamationum (*g*) argumenta Oratoriæ Professor partiens, postremas dicendi atqve adeò decretorias partes illi daret, qvi peregrinationes dissvaderet. Ego verò tam inhumanus esse non volo, ut hujusce generis exemplis utar in contemptum utilissimæ, si se ad regulas Prudentiæ conformet, occupationis. Satis habeo, his argumentis necessarium ab utili distinxisse. Ergò dum relinqvatur mihi, absqve peregrinatione perveniri ad Eruditionis fastigium posse: crescentes in summa qvæqve animos mirificè juvari peregrinando, ultrò fatebor. Neqve enim, qvod necessarium non est,



(f) Kirchner. Volum. I. Orat 6. p. 92. & 103. (g) Hæ duæ Orationes Volum. I. numerantur qvinta & sexta. Qvintæ p. 56. argumentum est: *Peregrinandum esse adolescentibus, ac omnibus, qui eruditionis & rerum gerendarum, tùm domi, tùm foris laudem consectantur*; Sextæ p. 83. *Non esse peregrinandum.*

Digitized by Google

ilicò definit esse expediens. Magno Patriæ bono præparantur foris, qvi domi sunt aliqvando sessuri ad gubernacula. Nec ullus unqvam, qvi Civibus suis interdiceret libero aspectu regionum exterarum, populus opinor fuit, si Lacones demas, & Moschos, ac Sinenses. Lacones à septimo statim ætatis anno ereptos Parentibus filios, ex Lycurgi lege, publicis omnes Magistris subjiciebant (*h*): Similiores sibi futuri, si ex ephebis egressis etiam Civitatem negavissent suam, saltem peregrè discere optantes non prohibuissent. Verùm id ne facerent, Spartanam duritiem obstitisse dixerim, & vel metum, ne domi rigidissimè instituti ex peregrino cœlo mollescerent, vel fiduciam domesticarum legum, qvibus meliores ab alia gente desperarent. De Sinensibus, ubi considero supercilium jactantium, Sibi solis binos oculos contigisse, Europæis unum, qvod reliqvum est hominum, cœcutire (*i*): ambigo, an non simile sit, qvod ad fiduciam qvidem sui attinet, ferendum judicium: tametsi video

(h) vid. Ubb. Emmium descript. Rerump. Græcorum p. 231. seq. (i) Lans. Consult. pag. 3. ed. Tubingens. Anno 1620.

video in alia ducere Joannem Petrum Maffejum (*k*), cujus verba libet adscribere: *Multò latiùs quondam imperásse gentem, annales ipsorum, ac littera, & veterum aedificiorum illustria monumenta, & complures, in Indiâ praesertim, ab iis denominata nationes, haud obscurè testantur. Sed cùm suâ ipsa mole viribusque fatigarentur, (quod à Carthaginensibus in re simili factum legimus,) sponte misso veluti sanguine & castigatâ luxuriâ intra hosce fines recepere sese, gravi proposito edicto, ne quis injussu Magistratuum excederet.* Moschorum verò consilium in hunc modum explicari lego (*l*): *Magnus Dux Moscorum regit suos populos magis despoticè, quàm ullus alius Princeps, quem novimus. Disponit enim absolutè de personis subditorum, & ipsorum rebus. Ideò dicebat Mahumetes Vesirus, quòd Moscus & Turca soli inter Principes essent Domini suorum Dominorum. Ut in suâ potentiâ & autoritate se Magnus Dux conservet, utitur artificio & indu-*



(k) Lib. VI. Hist. Ind. sub init. (l) apud Nicol. Bell. Tom. II. Diss. Polit. disc. 9. p. 563. 564. Paulò aliter Kirchn. Vol. I. Orat. 6. q. 88: *Moscovita Civibus suis, ne ad exteros vagarentur, omnes exitus gravissimâ pœna occlusit, nullam, haud dubiè, ob causam aliam, quàm, ne peregrinis moribus illecti, patria instituta ac consuetudines desertum irent; ne Rempubl. novis institutis externisve legibus infringerent, everterent.*

*industriâ incredibili. Primò non licet cuiquam suorum Vasallorum exire regni fines sub pœnâ mortis. Hâc de causâ nemo subditorum suorum navigat, nec cum Legato externi Principis loqui potest, nec uti operâ externi Medici in suis morbis, nisi cum veniâ.* Nostra Natio tam serviliter Suos non habet, ut illis externorum, hoc est, humani generis commercium occludat. Ab illa verò Sinensium superbia tantum absumus, ut oppositum illi vitium in morbis nostris numerari debeat præcipuis. Qvasi natura cœci essemus, oculos ab omni gentium colluvie mendicamus. Nihil Majorum placet nobis, Lingva, mores, flexus corporis, vestitus, dapes, ædificia, supellex nisi peregrinitatem oleant, publicè sordent. Itaqve Juventus nostra Rhenum aut Alpes hoc ferè omine transmittit, ut patrios ritûs omnes dediscat, nunqvam, ubi redierit, revocandos in memoriam. Hoc itinerum fructu placent nobis Protei nostri: hoc illicio venerationem sui & digitos prætereuntium excitant. Laudat Plutarchus (*m*) Agesilaum, qvi redux à bello Persico, contra con-

(m) In Agesilao f. 606. edit. græcolat. Francof. Anno 1606.

consvetudinem aliorum in simili causâ belli Ducum, perinde atqve ii, qvi Eurotam nunqvam transiissent, patrias consvetudines amplexus non cœnam immutavit, non lavacrum, non uxoris cultum, non armorum apparatum, non ædificia, qvin & fores easdem reliqvit, nec filiam suam canathrum (n) pulchrius, qvam aliorum filias habere permisit. Si qvis ex nostris Agesilaum hîc imitetur, spura credo in eum conjiciantur. Qvare non miror, si omnium rerum præterqvam ineptiarum inanes ad nos revertantur pleriqve, (neqve enim omnes desipiunt,) qvos ad Italos ablegaveramus aut Gallos. Studendum sibi putaverunt iis rebus, qvas domi scirent esse in pretio, à cæteris abstinendum. Ergò si de doctis Viris perconteris, nullum viderunt, aut si forte aliqvem, fecerunt qvod Gaditanus ille, qvem Plinius Junior (o) me-



(n) *Canathrum* ignota vox Latinis est. Qvid ea significet, ipse Plutarchus d. l. enunciat his verbis: Κάναθρα καλοῦσιν εἴδωλα γρυπῶν ξύλινα καὶ τραγελάφων, ἐν οἷς κομίζουσι τοὺς παῖδας ἐν ταῖς πομπαῖς. *Canathra appellant gryphorum & tragelaphorum ligneas simulacra, qvibus puellas in pompa transferunt.* (o) Lib. II. epist. 3.

Digitized by Google

morat Titi Livii nomine gloriaq; commotum ad visendum eum ab ultimo terrarum orbe venisse, statimqve ut viderat abiisse. At verò si de ligulis caligarum aliqvid poscas, aut unde collecti pulveres crinibus inspergantur, maxima ilicò nascetur historia de nihilo. Solum hoc cacoëthes, rem alioqvi profectibus qværendis aptissimam, peregrinationes dissvadeat nobis, nisi supersint graves qvidam Viri, qvi abituris ad exteros filiis salubriora consilia instillent, & metuere jubeant epigrammata, qvale facetissimum hoc legitur Thomæ Mori (p), in qvo nihil mutatum cupias, nisi ut ab extremo versu exulent gentilium Dii:

Amicus & sodalis est Lalus mihi,
Britanniaqve natus, altusqve insulâ.
At cùm Britannos Galliæ cultoribus
Oceanus ingens, lingva, mores dirimant:
Spernit tamen Lalus Britannica omnia.
Miratur, expetitqve cuncta Gallica.
Togâ superbit ambulans in Gallicâ,
Amatqve multum Gallicas lacernulas.
Zonâ, locello atqve ense gaudet Gallico,
Filtro

(p) In Lucubrationibus ejus Basil. Anno 1563. editis p. 208. 209. Titulus epigrammatis: *In Anglum, Gallica lingva affectatorem.*

Digitized by Google

Fiftro, bireto, pileoqve Gallico,
Et calceis & subligare Gallico,
Totoqve deniqve apparatu Gallico.
Nam & unum habet ministrum, eumqve Gallicum:
Sed qvem (licèt velit) nec ipsa Gallia
Tractare qviret plus (opinor) Gallicè.
Stipendii nihil dat, atqve id Gallicè.
Vestitqve tritis pannulis, & Gallicè hoc.
Alit cibo parvo, & malo, idqve Gallicè.
Labore multo exercet, atqve hoc Gallicè.
Pugnisqve crebrò pulsat, idqve Gallicè.
In cœtu & in viâ, & foro, & freqventiâ
Rixatur, objurgatqve semper Gallicè.
Qvid? Gallicè illud? imò semigallicè.
Sermonem enim (ni fallor) ille Gallicum
Tam callet omnem, qvàm Latinum Psittacus.
Crescit tamen, sibiqve nimirum placet,
Verbis tribus si qvid loqvatur Gallicis.
Aut Gallicis si qvid neqvit vocabulis,
Conatur id; verbis licèt non Gallicis.
Canore saltem personare Gallico,
Palato hiante, acutulo qvodam sono,
Et fœminæ instar garrientis molliter,
Sed ore pleno, tanqvam id impleant fabæ,
Balbutiens videlicet svaviter.
Pressis qvibusdam literis, Galli qvibus
Ineptientes abstinent, nihil secus,
Qvàm vulpe Gallus, rupibusqve navita.
Sic ergò lingvam ille & Latinam Gallicè,

Et

Et Gallicè lingvam sonat Britannicam,
Et Gallicè lingvam refert Lombardicam,
Et Gallicè lingvam refert Hispanicam,
Et Gallicè lingvam sonat Germanicam,
Et Gallicè omnem, præter unam Gallicam.
Nam Gallicam solam sonat Britannicè.
At qvisqvis insulâ satus Britannicâ
Sic patriam insolens fastidiet suam,
Ut more simiæ laboret fingere
Et æmulari Gallicas ineptias:
Ex amne Gallo ego hunc opinor ebrium,
Ergò ex Britanno ut Gallus esse nititur,
Sic Dii jubete, fiat ex gallo capus.

Etiã benè speramus ex eo, qvòd videmus reliqvos esse melioris monetæ Adolescentes, qvibus novaturiens illa peregrinitas maximoperè displiceat. Talem crastino die, (qvem felicem illuscere jubeat Deus ) post octavam matutinam sistemus in cathedrâ Collegii Majoris inferiore MICHAELEM HOESCHELIUM, Clarissimi etiam apud exteros Viri DAVIDIS ex PAULO Filio nepotem, è Vindelicis Augustanum, Philosophiæ Baccalaureum, cujus gratiâ totam hanc scriptionem suscepimus. Neqve solus ille est, qvi lingvam in variegati monstri perniciem armaverit. Succedet illi

Digitized by Google

li post breve temporis interstitium suus Jolaus (q), & ex eâdem cathedrâ reliqvias istius belli conficiet (r). Sed Hœschelii qvidem nostri *adversus Turpitudinem peregrinitatis* Declamatio crastino, uti diximus, manè audietur. Cui ut majorem ex præsentiâ suâ auctoritatem fœnerari Magnificus Academiæ Rector, omniumqve Facultatum Amplissimi Proceres, unà cum cæteris gravitate apud nos pollentibus Viris dignentur, ipsa barbari moris necessitas flagitat. Studiosos Adolescentes, si per judicii rectitudinem favebunt argumento, ipsa causa; sin præcorruptum stomachum afferent, tersa certè & castigatissimæ latinitatis dictio delectabit. P. P. d. 22. Septemb. Anno M DC LXV.

PRO-

(q) GEORGIUS Steinhagen/ Borussus. In die 28. Octobr. hujusdem Anni 1665. & ipse *contra studium peregrinitatis* Oratione publicâ disseruit. In Programmate Excell. VALENTINI ALBERTI, tùm Decani Fac. Phil. Steinhagianæ Orationi præmisso hæc legas: *Dixerat Antecessor* (Hœschelius,) *qvàm turpe, qvàm ineptum, qvàm stolidum sit peregrinitatis studium. Hic verò* (Steinhagen,) *immedicabilem illam nostrorum pruriginem rei familiari pestem, publicæ conversationi, libertatiqve avitæ servitutem minari, Oratione oppidò eleganti demonstrabit.*

Digitized by Google

# Programma XLIII.

# DE LEGENDA S. MICHAELIS ARCHANGELI

*Prascriptum Orationi,*

Qvam Anno 1665. die profesto S. Angelorum 28. Septembr. habuit

TOBIAS WINCLERUS, Noribergensis

*De picturâ Michaelis Archangeli, Pontificiis usitatâ.*

MICHAELEM ARCHANGELUM variæ dies in Martyrologiis adscriptum habent (*a*): sed nulla majorem adepta celebritatem est, qvàm vigesima nona Septembris. Qvæ posteaqvam universæ placere cœpit Occidentali Ecclesiæ (*b*), solennitatem anniver-

(a) In Martyrologio, qvale Joannes Molanus Lovanii, Anno 1573. edidit, Michaëlis Archangeli nomen adscriptum reperies non modò diei 29. Septemb. sed & aliis. Nam ibi sub 8. Maji hæc leges pag. 79. *In finibus Apuliæ, monte Gargano, apud Sipontum civitatem, apparitio beati Michaelis Archangeli.* Sub 6. Septemb. p. 150. *Die sextâ commemoratio miraculi facti ab Archistratego, Michaele, in Colausis, sive in Chonis.* Sub 16. Octob. p. 184. *In territorio Aprincensi, apparitio beati Michaelis Archangeli in procellâ maris, id est, in monte Tumbâ.* Sub 8. Novemb. p. 189. *Die octavâ commemoratio Archistrategi Michaelis, & reliqvarum incorporearum virtutum.* (b) Baron. Tom. VI. Annal. f. 517.

Digitized by Google

niversariam ad nos etiam transmisit. Verùm de summâ Festi, verâqve Angelorum veneratione alia longè in templis nostris audias, qvi Verbo DEI (c) severè prohibitam θρησκείαν τῶν ἀγγέλων abdicavimus, alia in delubris (hoc enim nomen merentur Idololatriæ stabula) Pontificiorum. Apud nos de naturâ, virtute, officiis illorum Spirituũ beatorum plebs eruditur, preces ad solum DEUM allegantur; apud nos revereri præsentiam Angelorum, non adorare potestatem, pietas habetur; apud nos ea sola de Angelis creduntur, qvæ revelare Deus in sacrâ Scripturâ dignatus est; apud nos â Michaële creato ad increatum sermo deniqve deducitur, ut in eo tandem, in qvo debet, omnis devotio conqviescat. Contra hæc apud Pontificios pro DEO Angeli, pro Christo Michaël invocatur; pro pietate regnat superstitio; pro Verbo Dei nescio qvis Dionysius, qvem illi Areopagitam esse Simplicibus persvadent, de novem ordinibus Angelorum differens inculcatur; deniqve pro veritate infinita sonant, & ea qvidem crassissima pariter & in Deum injuriæ plenissima

(c) Coloss. 2. v. 18.

sima mendacia. Ut æstimari res liqvidiùs possit, cognoscamus, qvid ad istum diem sit adscriptum in Martyrologio Romano, qvod Gregorii XIII. Papæ jussu editum, & Urbani VIII. auctoritate recognitum commentariis amplificavit Cardinalis Baronius (d). *In monte Gargano venerabilis memoria Beati Michaelis Archangeli, qvando ipsius nomine ibi consecrata fuit Ecclesia, vili qvidem facta schemate, sed cœlesti prædita virtute.* Memoriæ hujus historiam Vincentius Bellovacensis in Historiali Speculo his verbis exeqvitur (e): *Est locus in Campania finibus, ubi inter sinum Adriaticum & montem Garganum Civitas Sepontus sita est, in qvâ fuit prædives qvidam nomine Garganus, qvi ex eventu suo monti vocabulum indidit. Hujus pecora dũ per devexi montis latera pascerentur, contigit taurum gregis spernentem consortia, singularem incedere solitum, & ad extremum redeunte pecore domum non esse regressum. Qvem cùm dominus eum servis per devia qvæqve reqvireret, invenit tandem in vertice montis foribus speluncæ cujusdam assistere; itaqve permotus eo, qvod solivagus incederet, correpto arcu*

(d) Baron. Martyrol. Roman. p. 605.
(e) Lib. XX. c. 102. f. 815.

Digitized by Google

*arcu appetiit sagittâ toxicatâ, qva veluti venti flamine retorta eum, à qvo missa est, percussit. Turbati Cives & stupefacti, nec audentes propiùs accedere, consuluerunt Episcopum, qvid facto opus esset. Qvi indicto triduano jejunio à Deo monuit esse qværendum. Qvo peracto S. Michael Archangelus Domini apparuit Episcopo per visionem dicens*: Ego sum Michaël, qvi in conspectu Domini semper asisto, locumqve hunc in terris incolo, & hoc volui probare indicio, videlicet hominis telo suo percussi, me omnium, qvæ ibi geruntur, ipsius qvoq; loci inspectorem esse atq; custodem. *Hâc revelatione compertâ consvetudinem fecerunt, hic Dominum precibus & sanctum Michaelem deposcere. Nec tamen ultra cryptam praruptam intrare audebant, sed pro foribus qvotidiè orationi vacabant. Est igitur in loco illo Ecclesia, ipsius Archangeli & opere condita, & nomine consecrata. Hanc enim ad promerendam mortalibus ibi supernorum Civium societatem propriâ manu condere dignatus est. Vertice siqvidem montis excelsi posita, de corpore ejusdem saxi instar spelunca excavata ostenditur. Ibi cùm Neopolita paganis adhuc ritibus oberrantes, Sepontinos tentarent bello lacessere: Illi, Antistitis sui monitis edocti, tri-*

*duo petunt inducias, ut triduano jejunio liceret sancti Michaelis implorare præsidium. Ecce jam nocte, qva belli diem præcedebat, adest in visione sanctus Michael Antistiti, preces dicit exauditas, victoriam affuturam spondet, & qvartâ horâ diei hostibus occurrendum premonet. Qvod cùm fieret, in primo belli paratu Garganus immenso tremore concutitur, fulgura crebra volant, & caligo totum montis cacumen obducit, impletâ prophetiâ, qva dicit:* Qvi facit Angelos suos Spiritus &c. *Fugiunt Pagani, partim ferro hostium, partim igniferis impulsi sagittis Neapolim usq; cedentibus adversariis. Mœnia tandem urbis sua moribundi subintrant.* De tempore mira est, ut esse in rebus fabulosis convenit, dissensio. Jacobus Varaginensis, Lombardicæ Scriptor historiæ, annum Domini, qvo ista Michaëlis apparitio contigerit, 390. numerat (*f*). At Hugo Floriacensis, à Vincentio qvoq; allegatus, propè seculum interponit (*g*), memorans annum 471. Non multum abit ab eo Sigebertus Gemblacensis, qvi ad annum 488. hæc allinit! *Hoc tempore facta est inventio crypta sancti Michaelis Archangeli in mon-*

(f) Legendâ 140. f. 131.
(g) In Chronico suo p. 130.

Digitized by Google

*monte Gargano.* Anno præcedenti Sigebertus idem Gelasium dederat Romanæ Ecclesiæ Præsidem: unde in secundum hujus annum ea, si credimus, relatio inciderit. Ac Gelasium qvidem hîc & Floriacensis nominat, sed copulat cum Zenone Imperatore, in cujus imperium tamen nec annus 471. incurrit, nec Gelasius Papa, sed, si Bellarminum (*h*) audimus, Simplicius. Sigebertum de Gelasio seqvitur Baronius, at in numero annorum deceptum scribit (*i*): Gelasium enim sedere cœpisse anno 492. Itaq; nec dubitat in Annalibus (*k*) inventionem Cryptæ Gargani alligare anno 493. qvi Gelasii fuerit secundus. Verùm hîc nova difficultas caput exeruit, qvæ fabulæ fidem demeret. Nulla enim bella per eam tempestatem Sipontum & Neapolin commiserunt. Ergò audacter ipse, [credo, ut simul Criticum se probet,] pro Neapolitanis Odoacrem, pro Sipontinis Theodoricum scribere jubet. Ne injuriam illi videamur facere, verba ejus adscribemus: *Rei gestæ*, inqvit, *extat historia, in eo tamen emendanda, dum ibi dicitur*



(h) Chronol. p. 54. (i) ad 8. Maji, Martyrol. p. 288. (k) Tom. VI. n. 43. dicti anni f. 537.

Digitized by Google

*bellum tunc viguisse inter Neapolitanos & Sipontinos: restituendumq; est, inter Odoacrem & Theodoricum. Ejusmodi enim bello, & non alio privato, tunc vexabatur Italia, cùm Sipontini, qui se Theodorico dediderant, malè habiti sunt ab Odoacre. Quamobrem occiso tandem Odoacre summâ rerum potitus idem Theodoricus Sipontinis negotiatoribus duorum annorum tributa relaxari jussit. Extat de his epistola ejusdem Regis ad Faustum Prapositum.* Talis Medicus decebat causam desperatam. Cujus tamen alia duo, qvod ad rei gestæ notitiam attinet, sananda ulcera supersunt, à peritissimo historiarũ Theologo Joh. Georgio Dorscheo detecta (*l*). Neapolitanos enim qvinto post Christũ natum seculo adhuc paganos & persecutores Christianæ religionis fuisse, id verò negant Annales Neapolitani. Illud autem qvàm ridiculum! Gargano monti, cujus vocabulum Virgilius, Horatius, Lucanus, Plinius, Mela, Strabo, sexcenti Veterum alii usurpant, hanc appellationem venisse demùm ab illo Cive Sipontino, qvi Gelasii Papæ temporibus retroventuram sagittam emiserit. Credas aliqvid suboluisse ferreæ licet aliàs & frontis

(l) Dissert. 7. Singul. Angelic. p. 550. 551.

tis & Legendæ, [frustra enim aurea vocatur,] scriptori Varaginensi. Sic enim narrationem orditur: *Anno Domini* 390. *in predictâ urbe Siponto erat qvidam Vir nomine Garganus, qvi secundum qvosdam libros à monte illo nomen acceperat, vel à qvo mons ille nomen acceperat.* Lepidum est, qvod ex Pasqvillo Ecstatico (*m*) Cœlii Secundi Curionis, [hic enim illius Dialogi autor habetur,] discimus, fuisse qvi Monacho cuidam, magno cum apparatu de suggesto næniam istam recitanti, versum opponeret Lucani (*n*):

*Appulus Adriacas exit Garganus in undas*;

Monachum nihil aliud respondisse, qvàm Poëtas esse mendaciis plenos. Atqvi nihil majore cum studio egerunt illi in clauſtris obscuri Legendarum Architecti, [nec enim ullus profertur idoneus testis,] qvàm ut Poëtas, qvantum ab illis elegantiâ vincuntur sermonis, tantùm vicissim vincerent usurpandi qvidlibet audendi potestate: tolerabilius peccaturi, nisi mendacia sua voluissent esse instrumenta impietatis, qvæ soli Deo debitum cultum in Angelos transferret.



(m) Pasqvillorum (variorum) Tom. II. p. 503.
(n) Lib. V. Pharsal. 380.

Digitized by Google

Qvo qvidem in negotio planè censendi sunt Gentilismum, qvem aliàs ipsorum fabulæ fortiter resipiunt, Christianæ religioni miscuisse. Enimverò nuspiam præcepit Deus, ut sanctos Angelos adoremus. Ipsi adorare se volentes compescuisse leguntur in sacris (o). Neqve patitur sana ratio qvenqvam adorari, qvi non sit Deus. Qvòd autem Gentiles Angelis qvoq; seu [ut ipsi malebant vocare] Dæmonibus Geniisve divinos honores decreverunt, nimirum aliunde non est, qvàm qvia & ipsos persvasi erant Deos esse, hoc est, ut ambiguitatem verbi tollamus, ejusdem cum Deo essentiæ. Facilè hoc intelligit, qvi prima paganicæ profanitatis elementa intuetur, & ex iis nefariæ doctrinæ seriem contexit. Negabant ex nihilo qvicqvam fieri posse, ne qvidem si Deus ipse summus [huc eos blasphemiæ impulerat Satanas] qvantũ haberet virium intenderet. Seqvebatur ergò, Genios qvoqve non ex nihilo esse ortos. Jam ad Materiam, [coævam hanc Deo, & ipsi nihil sui debentem, apponebant,] natales eorum referre, qvos expertes materiæ crederent, non poterant. Ita

(o) Apoc. cap. 19. v. 10. c. 22. v. 9.

Digitized by Google

Ita restabat, ut ex ipsâ Dei substantiâ illos educerent, eoq; Divinitatis participes facerent, inæqvali qvidem gradu, sed qvi neutiqvam tamen toto esset genere dispar. Nec Genios tantùm tali origine nobilitabant, sed animas etiam hominũ, qvas eâ de causâ divinæ auræ particulas appellat Horatius (p). Etenim Deum, ut Solem qvendam, qvaqva versum radios ejaculari docebant, qvi velut è centro beatæ naturæ ad usq; terrenæ molis itima profecti omnia vitali Spiritu vegetarẽt. Igitur eò tandem progressa hæc insania est, ut alius in Ibide qvoq; & Cercopitheco, alius in porro & cepis venerarentur Deum, alius & Inferos religiosè sibi placandos statueret. Notum est illud ex aureis, ut vocant, Pythagoræ carminibus (q):

Τὰς τε καταχθονίους σέβε δαίμονας.

Atq; hinc ille simul interpretandus est Philosophus, qvi Deorum omnia plena esse ajebat. Non enim hoc ejus est, qvi unum Deum verum ubiqve præsentem fateretur, sed qvi Deos innumerabiles opinionis errore sibi comminisceretur. Nempe Deorum illæ myrmeciæ, illæ



(p) lib. II. Sat. 2. 79. (q) v. 3.

tam prodigiosæ & ipsam propè fidem superantes idolomaniæ vix ab aliis magis eruperunt initiis, qvàm qvæ diximus. Qvæ cùm talia sint, ut patrem mendaciorum dissimulare non possint, nostrum fuerit, ad eundem autorem omnes fabulas, qvibus castam unius Dei adorationem inqvinavit Antichristus Romanus, relegare. Ac nescio an non illa subterranea specus Gargani montis, cujus habitatorem Pseudo-Michaëlem introducit monasticum somnium, prodere nobis inventorem primum debeat. Utiq; non dubitamus, gratam Deo rem facere, qvi confodiendas hujusmodi vanitates ac blasphemias sumunt sibi. Atq; hoc nomine placuit nobis erudita pariter & veram pietatem spirans Oratio Politissimi Juvenis Tobiæ Wincleri *Noribergensis*, Philosophiæ Baccalaurei, non magis à Parentibus, qvos Nobilissimos habet, qvàm variæ doctrinæ copiâ commendandi. Inqvisivit ille in ultimas origines Picturæ Pontificiæ, qvæ Michaëli, tanqvam Judex esset animarum è corporibus evolantium, stateram cum gladio affingit: in eâq; re sic est versatus, ut de iis, qvæ religionem spectant, omninò vera,

ra, de iis, qvæ historiam, vero simillima prolaturũ confidamus. Nec injucundam fore auscultantibus ejo recitationem audemus polliceri. Qvare fecimus libenter, ut ad profestum diem cathedram illi consvetam aperiremus. E qvâ cras post matutina sacra dicturum ut Magnificus Academiæ Rector, omniumq; Facultatum Doctores, Licentiati ac Magistri, unà cum Florentissimo Studiosorum cœtu, qvem speramus ultrò sui copiam facturum, audire dignentur, majorem in modum rogamus, ad observantiæ & officii benevolentiæq; studia præstanda vicissim parati. P. P. propridiè Michaëlis d. 27. Septemb. Anno 1665.

---

## PROGRAMMA XLIV.
## DE SECULO SPIRITUS SANCTI

*Prescriptum Orationi,*

Qvam A. 1666. d. 2. Junii pridiè Pentecostes habuit

MATTHIAS GEIERUS,

*de Spiritûs S. comparatione cum Unguento.*

SOlent, qvi Apocalyptico de mille annis dicto (a) abutentes mille annorum felicitatem in his terris Ecclesiæ promittunt, auream isthanc ætatem appellare SECULUM SPIRITUS SANCTI [b]. Totam qvip-



(a) Apoc. 20. v. 4. (b) Luc. Osiand. admon. de vati-

pe ab orbe condito temporum varietatem pro Personarum Sacrosanctæ Trinitatis numero digerunt in ævum *Dei Patris*, qvod à Mundi creatione; *Dei Filii*, qvod ab adventu Christi in carnem inchoant; & *Spiritûs Sancti*, qvod ab exciso præcipuè Antichristo exspectare jubent. Hujus opinionis historiam qvalemcunqve Lectori nostro narrare nec alienum erit ab officio, Pentecostali Sermoni præfari nonnihil cupientium, nec importunum hoc tempore, cùm non ita pridem disseminatæ chartæ [c] Chiliasmum svadere denuò cœperint. Non vana spes est, fore, ut simul ex autoribus, qvi notæ sunt omnes pravitatis de dogmate, velut ex arboribus de fructu, judicium ferri qveat: simul ipsius dogmatis inconstantia, [nec enim sibi per omnium calamos constat satis,] vanitatem arguat sui. Principiò monemus, à Gregorio Nazianzeno [d], & Jobio Mo-

ein. corrupt. c. 3. p. 40. loqvens de fanaticis Chiliastarum errorem refodientibus: *nominatim mille determinant annos, qbibus* Spiritus S. Seculum, *qbod sibi fingunt, sit duraturum*. Vid. & disp. Theolog. D. Polyc. Lyseri habitam Lipsiæ Anno 1622. de Regimine Spiritus Sancti, oppositam opinioni fanaticæ *de seculo Spiritus Sancti* sub mundi finem futuro §. 3. 4. (c) Geheimniß der letzten Zeiten/ cui annectitur Betrachtung der gegenwärtigen und künfftigen Zeiten/] A. 1665. in hæc duo Henr. Ammers[b]. scripta seqvente Anno 1666. prodierunt censuræ Theologorum Marburgensium, Helmstadiensium, & Rintelensium, titulo: Abdruck der ... Bedencken und Antwort &c. (d) Orat. de Spir. S. (qvæ est qvinta de Theo-

Digitized by Google

Monacho (*e*), prolata qvædam fuisse, qvæ sententiam illam non contineant qvidem, ad eam tamen aliqvo modo, sed absqve suspicione contagii, alludant (*f*). Itaqve toto genere ab his

logiâ, cum sit aliàs in universis tricesima septima,) f. 230. ed lat. Billii Antvv. Anno 1612. & f 225. ed. Græc. Basil. Anno 1550. Conf. & Orat. 21. f 146. ed. lat.

(e) apud Phot. cod. CXXII. f. 611. 614. (ubi ad Gregorium provocat,) 622. & 623. ed. græcolat. Schotti Rothomag. Anno 1653. (f) Uterqve tres illustres mutationes memorat, (μεταθέσεις βίων vocat Gregorius, Jobius πολιτειῶν,) qvas & terræ motus nominet Scriptura (Ps. 113. al. 114. v. 7. Agg. 2 v. 7. Hebr. 12. v. 26.) *Primam* Veteris Testamenti ab idolorum cultu ad legem; *Secundam* Novi à Lege ad Evangelium; *Tertiam* ab hâc vitâ in illam æternam. In prima solum *Patrem* manifestè revelatum ajunt; in secundâ priùs *Filium*, posteà & *Spiritum S.* in tertiâ *totam* nobis *Trinitatem* clarissimè apparituram. Primum terræ motum Jobius Patri, secundum excellentiorem Filio tribuit; Spiritui S. excellentissimum tertium. Gregorius secundi priorem partem Filio videtur dedisse; posteriorem Spiritui S. & hanc statim ab Apostolorum prædicatione inchoâsse. Qvod enim discipulis ait Salvator (*Joh. 16. v. 12. 13.*) habere se multa dicere, qvæ nondum portare illi possent, sed ea fore ut ab adveniente Spiritu edoceantur: in iis ipsam Spiritûs S. Deitatem fuisse censet, cujus manifestatio post Christi ἀνακατάστασιν matura demùm fuerit. Hæc omnia ita disserit Gregorius, dum occupatur in refutando argumento, qvod contra Divinitatem Spiritus Sanctus ducebant hæretici à silentio Scripturæ, qvodq; observari velim, apertè profitetur, afferri hæc à se qvasi ex persona ejus, qvi τὸ ἄγραφον ὑποθέμενος silentium isthoc Scripturæ concedat. Ipse verò statim velut ex propriâ mente, ut λιὰν ἔγραφος ἡ τοῦ πνεύματος θεότης confirma-

Digitized by Google

his dirimendi veniunt, qvos doctrinæ scabiosæ patronos è diversis jam seculis fideli testimoniorum descriptione dabimus. Primus, & qvi semen velut hujus zizanii sparserit (g), nobis occurrit Joachimus, Ordinis Benedicti Abbas, qvi vixit circa annum 1195. De hoc in Hæreticorum epitome verba Prateoli (h) sunt: *Inter cæteras fabellas, qvas populo Christiano ingerere solebat, una est, qvâ tres hominum status esse dicebat.* Primum *qvidem, in qvo homines secundum carnis statum vixerunt, qvem ab Adamo ad Christum usq; deducit.* Secundum *verò, in qvo mediam inter carnem & spiritum vitam homines duxerunt, & hunc à Christo ad Divum Benedictum protendit.* Tertium *dicebat eum, in qvo vivitur & vivetur secundum spiritum, qvem deducit â Divo Benedicto, sub cujus disciplina militabat, ad finem mundi usq;. His autem tribus statibus tres ordines hominum adaptat, Conjugatorum, Clericorum, & Monachorum.* Conjugatorum *ordinem dicit initium sumpsisse ab Adam*

tur, nubem oraculorum hanc in rem sacrorum adversariis opponit. (g) Non enim apertè sparsit hanc doctrinam: siqvidem *Spiritum* non contradistingvit *Patri & Filio*, sed *carni*. Interim ex hoc velut semine pullulavit posteà Evangelium novum. Affinitas autem in eo consistit, qvòd utrobiqve statuuntur tres status, & in his tertius assignatur maximè Spiritui. (h) p. 552. in editione, qvam libro II. Chronici Chronicorum Ecclesiastici Johannes Gvalterus (h. e. Janus Gruterus) inseruit. Vid. & Georg. Eder. Matæol. Hæretic. p. 190. item Gvid. Perpinian. de hæres. f. 161.

Digitized by Google

*Adam, & fructificâsse ab Abraham. Ordinem autem* Sacerdotalem *ab Oziâ, qui de tribu Juda incensum Deo obtulisse traditur, incepisse, fructificâsse verò à Christo, qui Rex est & Sacerdos. Ordinem denique* Monachorum *à Divo Benedicto Viro sanctissimo inchoatum esse, sed fructificare cœpisse ipsius Joachimi Abbatis, ut de se ipso testificatur, temporibus. Primo ergò statu Lex carnalis data est, ut ille asserit; secundo Lex spiritualis, utputa Evangelium, quod tamen per Apostolos non juxta spiritualem intelligentiam, sed tantùm secundum literam prædicatum fuit. Sed in tertio, quem posuit, statu Evangelium fore prædicandum dicit juxta spiritualem ejus intelligentiam, & hoc per Monachos illos Divi Benedicti.* Paulò junior fuit Joachimo, si quidem anno Domini 1204. emersit (*i*), Amalricus (*k*) Doctor Parisiensis. *Post cujus mortem*, Vincentio (*l*) teste, *ejus venenosâ doctrinâ quidam infecti surrexerunt, qui novos & inauditos errores, & adinventiones diabolicas confinxerunt. Inter cætera verò impudenter asserere conabantur, quòd* Patris *potestas duravit, quamdiu viguit Lex Mosaica, & quia scriptum est:* novis superveniendibus

(i) teste Prateolo p. 326. (k) Sic eum Vincentius mox allegandus vocat, & passim Gerson. Quod rectum puto. Est enim hoc nomen ejusdem originis cum Amalfridro, Amalasuntâ & similibus. Vulgò *Almaricum* nominant. (l) lib. XXIX. Spec. Histor. c. 107. f. 1222. Adde hoc Bellarmini p. 103. Chronol. *Almaricus Doctor Parisiensis docuit, Legem* Dei Patris *durasse usque ad adventum Christi, legem* Christi *usque ad Almarichum, legem* Spiritus

Digitized by Google

tibus abjicietis vetera. *Postqvam enim* Christus *venit, absoluta sunt omnia veteris Testamenti sacramenta, & viguit nova Lex usq; ad illud tempus videlicet, qvo prædicabant talia. Illo ergò tempore dicebant novi Testamenti Sacramenta finem habere, &* Spiritûs Sancti *tempus incepisse. Ideoqve Confessionem, Baptismum, Eucharistiam, & alia etiam, sine qvibus non est salus, locum de cætero non habere, sed unumqvemqve per gratiam Spiritûs Sancti tantùm interiùs sine aliqvo exteriori actu inspiratam salvari posse.* His alia plura cùm junxisset Vincentius, addit, hujus sectæ convictos Parisiis jussu Regis extrà portam in Campellis crematos, Hæresiarcham sacro cœmeterio ejectum, ejusqve cinerem & ossa per sterqvilinia dispersa esse. Causam ergò habuit opinionis hujus propagator tertius, Joannes de Parmâ, generalis minister ordinis Minorum, cur scriptum à se, & anno 1254. vulgatum Æterni Evangelii (*m*) horribilem librum doctrinam esse vellet Joachimi [*n*] potiùs, qvi Propheta suo tempore habitus est (*o*), qvàm hæreseos inusti tàm propudioso stigmate Amalrici. Defenderunt id scriptum non

Sancti *usqbe ad finem mundi.* (m) De hoc *Æterno Evangelio* multi multa. Accuratè satis Jac. Usserius c. 9. de Christ. Eccles. success. & stat. p. 337. seqq. ed. Hanov. Anno 1657. sæpè hâc in re citandus nobis. Itaqve de autore libri eum vide p. 337. de anno publicationis p. 338. qvem annum prodit & computatio illorum, qvæ p. 340. n. 4. referuntur. (n) Jac. Usser. ibid. p. 340. & 341. (o) Tri-

Digitized by Google

non Minores modò, sed & Prædicatores, qvibus per eam tempestatem gravissima fuit, nec infelix (*p*) cum Academicis Parisiensibus conflictatio. Jam cum in hoc novo Fratrum Alcorano, sic enim meritò cum Usserio (*q*) appelles, multæ sint atroces blasphemiæ, ad institutum præsens facit maximè, qvòd docuerunt: *sicut veniente Johanne Baptistâ ea, qvæ præterierunt, reputata sunt vetera propter nova supervenientia: ita adveniente* tempore Spiritûs Sancti *sive tertio statu mundi, ea qvæ præcesserunt, reputabuntur vetera propter nova, qvæ supervenient. Per qvod datur intelligi, qvòd novum Testamentum reputabitur vetus, & projicietur.* Item: *Sicut in primo statu mundi commissum fuit regimen totius Ecclesiæ à* Patre *aliqvibus de ordine Conjugatorum, in qvo autorizatus fuit ille ordo; & in secundo statu commissum fuit aliqvibus de ordine Clericorum à* Filio, *in qvo ab ipso glorificatus fuit ille ordo: sic in tertio statu committetur alicui vel aliqvibus de ordine Monachorum à* Spiritu Sancto, *in qvo vel qvibus ab ipso Spiritu ille ordo clarificabitur.* (r)

them. de Scriptor. Eccles. p. 76. (n) Qvanqvàm enim ne Romanæ qvidem Ecclesiæ parcebat hoc novum Evangelium, ut intelliges ex Usser. p. 342. n. 5. 6. tamen visum Pontifici, homines sibi maximè necessarios tractare qvàm lenissimè. Unde & Magistrorum Parisiensium liber Fratribus oppositus, damnatus est atqve combustus. Usser. p. 347. Add. Mornæ. Myster. Iniq. p. 726. (q) p. 345.

Digitized by Google

(r). Joannis de Parmâ, qvem nominavimus, Auditor (s) fuit Hubertinus de Casali Ordinis fratrum Minorum, qvem anno 1500. clarvisse scribit Trithemius (t). Is acceptam à Magistro Seculorum divisionem qvemadmodùm educaverit, animadvertere licebit ex iis, qvæ adscribemus: *Sicut*, inqvit, (u) *in primo mundi statu, videlicet à creatione mundi usque ad nativitatem Christi successivè crevit doctrina fidei, & illuminatio Scripturarum ac major expressio, prophetiarum de Christo clarior per vocem legis explicatio: sic in secundo mundi statu, id est tempore gratiæ & novi Testamenti, magis ac magis illuminatur & explicatur Christiana veritas. Ergò in tertio mundi statu, id est à secundo Christi adventu* (vv) *usq; ad finem mundi, per influentiam*

(r) Hæc *Æterni* istius *Evangelii* effata ex Henrico Erfurdiensi referunt Usser. p. 342. 344. & Magdeburgenses Cent. XIII. 567. 567. Dogma hujus Evangelii Mornæus p. 925. 926. Myster. Iniq. his verbis concipit: *Deum* Patrem *sub lege regnâsse*, Filium *sub gratiâ: sed jam exortis qvatuor mendicorum Ordinibus* Spiritum Sanctum *regno inaugurari, ad finem usqve mundi duraturo, atqve eos solos salvatum iri, qvi novo huic Evangelio credituri essent.* (s) testis Trithemius loco jam citando. (t) de Script. Eccles. p. 98. (u) citatus ab Autore Oneris Ecclesiæ cap. 66. §. 10. (vv) *Duo* sunt adventus Christi: unus in carnem, alter ad judicium. Qvare & Nazianzenus terrenotum postremum, qvo scil. à tempore transibitur ad æternitatem, nihil aliud fore affirmat, qvàm *secundum Christi adventum*, Orat. 21. f. 147. & lat. Confer præ suprà diximus lit. f. At novi Prophetæ, & in his Hubertinus, pro *duobus* Christi adventibus *tres* numerant, *secundumqve* interjiciunt eum, qvi su-

Digitized by Google

*etiam* Spiritûs Sancti *Scriptura sacra apertissimè patebit. Nam sicut novum Testamentum est porta veteris Testamenti: sic iste status Spiritûs Sancti erit generalis porta utrius q̃ Testamenti, qvia hunc seqvetur octavus status* (x), *qvi est gloriæ sempiternæ.* Profert hunc Hubertini locum, & simul, ut alia ejus plurima, probat Johannes Episcopus Chemensis (y), qvi sub tempus à Luthero susceptæ Reformationis librum exaravit *Oneris Ecclesiæ* titulo, Scriptor ut infensus Luthero, sic Chiliastarum somniis



turus sit ad interficiendum Antichristum, & reformandam Ecclesiam. Vid. Onus Ecclesiæ c. 62. §. 1. & 8. & nostri seculi Chiliastas hæc approbantes, Alstedium de mille annis p. 113. & Rallium Halcyon. Eccles. c. 4. p. 15.

(x) *Ecclesia* puta: ne confundas hos octo status cum tribus statibus *Mundi.* Sic autem accipe: Facit Hubertinus, & cum eo Autor Oneris Ecclesiæ (qvem vide cap. 67. p. 363. 364.) tres mundi statûs, eos ipsos puta, de qvibus hæc suscepta est scriptio. Primum subdividunt in sex primas ætates, in qvibus claruerint duodecim Patriarchæ, totidemqve Prophetæ; secundum in sex alteras, in qvibus Apostoli, Martyres, Doctores, Anachoritæ, Confessores. Has excipit Ecclesiæ septima ætas, sive septimus status, (promiscuè enim has voces usurpant,) qvi idem est status mundi tertius, seu seculum Spiritûs Sancti Chiliasticum. Qvo finito statum demùm octavum faciunt Æternitatis, Mundo videlicet cum statibus suis abolito. Hinc æstimabis, qvod argumentum fuerit commentarii, qvem *de septem statibus Ecclesiæ* scripsit Hubertinus in Apocalypsin apud Sixt. Senens. in Bibl. f. 268. (y) Hunc esse istius libri, qvi aliàs anonymus circumfertur, autorem, prodit Gerhardus Proœm. Confess. Cathol. additqve scriptum eum fuisse Anno 1519. ac primùm prodiisse Landshutæ in

Digitized by Google

satis profundè indormiens (2), é qvo visum est hæc pauca, multorum specimen, excerpere (a): *Generalis status & cursus universi Mundi trifariam partitur. Primus censetur esse* Dei Patris, *cujus sola persona â Mundi creatione usq; ad novum Testamentum innotuit in Israel. Secundus* Dei Filii, *cujus Persona cœpit Mundo innotescere tempore novi Testamenti. Tertius, qvi vocatur perfectionis, incipiet post Antichristum, utpote à prædicatione Enoch & Heliæ, durabitq; usq; ad extremum judicium. Idem attribuitur personæ* Spiritûs Sancti, *qvi propriè est spiritus veritatis, qvi cùm venerit, docebit homines omnem veritatem,* [Joh. 16. v. 13.) *qvam hic mundus in secundo suo statu non potest accipere, qvia non videt Spiritum Sanctum, nec scit eum, qvoniam animalis homo mundum diligens non percipit ea, qvæ sunt Spiritûs Dei.* [1. Cor. 2. v. 14.] *In ipso tertio Mundi statu Judæi omnes fide verâ imbuentur. Præterea totus universi orbis populus ad Deum convertetur.* Hæc ille adolescente seculo superiore. Cum qvibus conferri possunt, qvæ de tribus Mundi cursibus Anabaptistæ Monasterienses durante obsidione anno 1535. deblaterarunt in libro Restitutionis totius Mundi (b). Eodem seculo jam decrescente

Bavariâ Anno 1524. (2) Vidit hoc B. Gerhardus, cùm Chiliastis eum annumeraret Tom. IX. Loc. Tit. de consum. sec. n. 76. p. 459. (a) ex c. 67. p. 363. seqq. edit. Anno 1620. absqve mentione loci. (b) descripsit locum Ger-

Digitized by Google

te tibias non multùm absimiles inflavit Sebastianus Castellio [c], cùm ita scriberet [d]: *Considerandum est, Spiritum S. esse qvidem semper q; fuisse unum, sed habere tres ætates non in se, sed nobis. Is ad hominem, à qvo per peccatum longissimè discesserat, cœpit procul accedere per legem, itaqve fuit illa Dei cognitio, qvam lex attulit, perqvàm obscura, atqve rudis & puerilis. Legi successit deinde Christus, qvi Dei cognitionem attulit longè majorem ille qvidem, non tamen perfectam, qvia nondum per ætatem ferre poterant discipuli, qvæ ipse eis dicenda habebat. Itaqve promisit eis & posteà misit Spiritum S. qvi eos duceret ad omnem veritatem. Prima ætas* Patris *est, secunda* Filii, *tertia* Spiritûs Sancti, *qvi tres unum sunt, gignunt q; tribus ætatibus novum hominem immortali semine sermonis æterni, Pater filium lege, Filius adolescentem Evangelio, Spiritus Virum afflatu perfecto.* Eqvidem in his ætatem Spiritûs Sancti, ut ab ævo Apostolico jam inchoatam, repræsentat Castellio. Verùm & hæc mihi inspiciat aliqvis; videbit promitti ut inchoandam demum: *Existimare debes*, inqvit [e], *Dei Spiritûs esse qvendam qvasi ventum animos impellentem, & ad obedientiam flectentem. Is in Lege flavit vehementer, multosqve mortales fle-*



hardus Tom. IX. Loc. p. 454. (c) inter Chiliastas eum memorat Besold. Discurs. de Rerump. inter se compar. c. 3. §. 6. Conf. Betulej. ad Lactant. p. 698. ed. Gallæi.

(d) dialog. de lib. arbitr. p. 185. edit. Aresdorf. Anno 1578. (e) ibid. p. 199.

Digitized by Google

*xit ad obedientiam. Deinde in Evangelio flavit longè vehementius, multoq; plures flexit, quos Lex flectere neqvivisset. Idem ad extremum flabit longè vehementissimè, adeò, ut ejus vi resistere nulla vis qveat. Itaqve multos etiam flectet, quos Evangelium flectere neqvivit. Omnes homines aut flectet ad obedientiam, aut in sempiternas panas extirpabit.* Qvid ergo? Sibine ipsi contrarius est Castellio? Ita qvidem decebat lymphatum caput. Sed audi tamen conciliationem. Videtur enim Seculo Spiritûs S. duas partes dedisse, præteritam & futuram, illam inchoatam in Apostolis, hanc perfectam omnibus numeris sub Mundi finem, dum alibi (f) ait: *Qvemadmodum & Patris & Filii opera sua initia & incrementa habuerunt: ita factum est fitqve adhuc in opere Spiritûs. Itaqve principiò impertivit suis dona lingvarum, & miraculorum, & vaticiniorum, qvæ essent rudimenta futuri operis perfectiq; amoris Dei: qvi amor ubi venerit, omnia illa rudimenta cessabunt, nec ipse Spiritus in operis sui progressionibus antè conqviescet, qvàm perfecto corpore Ecclesiæ omnes ejus alumni ad unitatem fidei, ad adultam ætatem veritatis pervenerint. Tunc Deus perfecto omni opere suo feriabitur.* Ut ad nostrum seculum veniamus, circa Annum 1616. Ezechielis Methi

(f) Defens. ad autorem libri, cui titulus: Calumniæ nebulonis, p 62. Scripsit illam Castellio, ut est in fine libri Anno 1557.

Digitized by Google

thi assecla, B. Gerhardo [g] teste, *Chiliastarum somnia magnâ ex parte amplectebantur. Tria enim statuebant secula juxta numerum trium in Divinitate personarum. Primum tribuebant* Patri, *quod cœpisse dicebant in promulgatione Protevangelii: Secundum* Filio, *quod cœpisse arbitrabantur in ipsius incarnatione & adventu: Tertium* Spiritui Sancto, *cujus seculi initium hoc nostro tempore futurum, idemq; per mille annos secuturum suspicabantur. Primum vocabant veteres, Secundum novum, Tertium novissimum Testamentum, in cujus limine se versari gloriabantur.* Hi ergò seculi Utopici (*h*), cui per summam injuriam augustum à Spiritu Sancto nomen imponunt, Apostoli sunt, qui, ut video, septem (*i*) prodierunt nobis, Joachimus, Amalricus, Joannes Parmensis, Hubertinus, Joannes Chemensis, Castellio, Methus: Omnes vel hæreticorum adscripti Catalogis, vel fanaticæ notis insaniæ à rectè sentientibus compuncti.



(g) Tom. IX. Loc. p. 457. Cum qvibus, si lubet, compone qvæ p. 495. ex doctrinâ Fratrum Rosæ Crucis de tribus seculi mundis recensentur. (h) Sic vocat Lucas Osiander in titulo admonitionis de vaticin. corrupt.

(i) Crescet hic numerus, si qvis curiosius rimabitur Bibliothecas. Inserendi omninò Catalogo huic fuerint, (ut alios mittam,) Nicolaus à Buldestorff, (de qvo vide Wurstisii Baßler. Chronicl. sub Anno 1446. f. 406.) Jacobus Brocardus, (cujus interpretatio Geneseos mystica, qvæ Lugduni Batav. Anno 1593. prodiit, passim hanc mephitin olet:) Valentinus Weigelius, (de, qvo Kromay. Histor. Eccl. p. 654.) Julius Sperberus, cujus tractatus von dreyen

Nec injuriâ. Omitto ipsorum urgere minimè consonantes sensûs (*k*). Qvis Christianus ad blasphemas in primis illorum voces, qvi Apostolos, ut literæ solius absqve Spiritu Concionatores traducunt, qvi Evangelium ipsius Christi à suo [videlicet meliore] abrogandum jactitant, non toto pectore cohorrescat? Tres fateor Mundi ætates jam diu agnovit sana Antiqvitas: sed alias longè. Unam ante Mosis Legem, alteram sub eâ Lege, tertiam sub Evangelio Christi. In has ætates duo Testamenta sic partiri solemus, ut Veteri binæ priores cedant, Novo integra tertia. Anathema enim Apostolus [*l*] dicit illi, qvi aliud afferat Evangelium. In has tres ætates non commodum est partiri sacras Divinitatis Personas. Nam si qvid hîc tentes, Filio certè Dei nihil aptiùs dabis, qvàm Novi Testamenti Ecclesiam. Relinqvetur ita Patri Lex Mosis, Spiritui Sancto tempus illam antecedens, nullo justo nec ordine Personarum, nec historiæ colore. Qvare Nazianzenus & Jobius [*m*] cùm omnino mysterium Trinitatis aptare seculis hominum vellent,

Seculis prodiit Amsterod. Anno 1660.) (k) Multi seculo Spiritus Sancti ut futuro inhiant. Præsens jam tamen illud sibi credebant Methistæ. Imò mens eadem ante tot secula totius phalangis antesignano Joachimo, qvi à Benedicto suo felicitatem suam auspicabatur. Sic & Amalrico. Nec multò abire videtur æternus Pseudevangelista. (l) Galat. I. v. 8. (m) Supra lit. f. sub init. hujus Programm.

Digitized by Google

lent, corruptibilis mundi fines excedendos sibi putavere, ut Patrem toti veteri Testamento, Filium novo, Spiritum S. æternitati darent ultramundanæ. Qvæ tripartitio ab illâ priore discedit spacio infinito. Suspicetur aliqvis, illas veterum Ecclesiæ Doctorum argutias, ubi in fœtens dolium incidissent, in hoc acetum degenerâsse, Pseudoprophetis pro æternitate mille annos apocalypticos, vel nescio qvid illis simile, qvod hujus universi consummationem antecederet, & in tempus felicissimum Ecclesiam attolleret, substituentibus. At verò qvid hoc aliud erat, qvàm tot prædictionibus, qvæ dies mundi extremos omnium flagitiosissimos nobis depingerent, reclamare? Sed nimirum his jactis fundamentis necesse fuit, ut pro veteri Testamento novum secarent in partes, aut pro duobus Testamentis tria conflarent [n]: ut Evangelio & Sacramentis Christi, ceu veteribus calceis, abjectionem minarentur [o]: ut Apostolos à possessione Spiritûs



(n) Vetus, novum, & novissimum vocabant Methistæ: Tertium qvoqve nescio qvod Testamentum jam olim ævo Nazianzeni, (ut ex Oratione ejus 37. f. 225. apparet,) hæretici Spiritus Sancti Divinitatem impugnantes, crepabant. Affine huic, qvod pro duobus adventibus Christi tres numerabant, supra lit. w. (o) Faciunt hoc Amalricus, & Faber æterni Evangelii satis crassè. Subtilior stylus est Hubertini, qvi seculum suum Spiritûs Sancti vocat portam utriusqve Testamenti, puto per qvam sit utriqve suscipienda migratio in exilium.

Digitized by Google

Sancti exclusos præ se aut Chimerici seculi sui civibus contemnerent (p), homines tumidi, & enthusiastico furore pleni. Nihil potuit cum historiâ Pentecostali pugnantius proferri. Promiserat Jesus (q) discipulis suis Spiritum veritatis, qvi, qvæ nondum capere tùm possent, eos doceret. Qvin factum hoc fuerit in illâ Divini Spiritûs effusione super Apostolos visibili, nefas est Christiano dubitare [r]. Cur ergò visionis illius eventum, qvasi nunqvam implerum, hianti ore captare nos jubent isti veraculi (s)? Qvantò saniorem viam ingreditur Oratio Adolescentis rarò ultra ætatem exemplo docti MATTHIÆ GEIERI, Artium bonarum Baccalaurei, qvam de Spiritu Sancto à se verbis & latinissimis, & veram sapientiam spirantibus conscriptam exhibuit nobis! Comparat Sanctum Spiritum Ungvento, non qvod præteritis ignotum seculis rancidæ Chiliastarum polliceantur pyxides, sed qvod jam olim Apostolorum capita perfuderat: imò qvod à Summi Sacerdotis nostri vertice in faciem & barbam, & membra universa corporis mysti-

(p) Respice doctrinem Joachimi & Castellionis. (q) Joh. 16. v. 12. 13. (r) Itaqve ut impletum in Apostolis profert Nazianzenus: reg redere iterum ad lit. e. (s) Ut adhuc implendum allegat Scriptor Oneris Ecclesiæ cap. 67. § 3. & seqq. qvi & visibilem Spiritûs Sancti conspectum somniare videtur. Qvod à veteribus hæreticis accepisse credas, qvi ipsi qvoqve Spiritum Sanctum se vidisse gloriabantur.

Digitized by Google

mystici in hunc usqve diem destillat: & de qvo S. Johannes (t) dixerat: *Unctio ejus docet vos de omnibus.* Habebit hanc Orationem crastino mane horâ octavâ. Qvam ut honestare præsentiâ suâ Magnificus Academiæ Rector, Facultatum omnium Proceres ac Doctores gravissimi, unà cum ornatissimâ Studiosorum concione dignentur, impetrabit spero non modò Intercessio hæc nostra, sed & Summi Theologi, qvem Parentem habet Orator, in hanc Academiam, cujus ipse pars qvondam præcipua fuit, favor singularis, in Ecclesiam Christi merita præcellentia, in Bonos omnes voluntas propensa. Qvam adeò ipsius nomine polliceri Auditorio futuro, cum studiis nostris pro cujusqve conditione promptissimis conjungendam non dubitamus. P.P. Lipsiæ pridiè Pentecostes ipsis Calendis Juniis Anni M DC LXVI.

# PROGRAMMA XLV.

## DE PARTU VIRGINIS

*Præscriptum Orationi,*

qvam Anno 1666. pridiè festi Nativ. Christi 24. Decembr. habuit

JOHAN. CHRISTIANUS WACHIUS

*de felici Pastorum vigiliâ.*



(t) 1. Joh. 2. v. 27. De Spiritu S. interpretatur in Bibliis Osiander.

Nativitas Christi ut *magnum* est *gaudium* voluntati, sic *magnum* intellectui *miraculum*. Sive enim *nascentem* spectes, *Deus* est, sive *parientem*, *Virgo*. Ut adeò duplici miraculo mens nostra percellatur. Sed satis jam negotii habebit calamus, si vel in posteriore tantùm paulisper occupetur. Qvanqvam tanta est utriusqve connexio, ut ab altero alterum pendeat. Debuit enim, qvæ peperit, esse Virgo, qvia Deus erat, qvem peperit (*a*). Unde nec alii ferè detrahunt virginitati Matris, qvàm qvi & Filio Divinitatem abjudicant, ut Gentiles (*b*) ac Judæi (*c*), qvibus judaizantes Ebinio-

(a) Itaqve cum Sobole Virginis *Immanuelem*, i. e. Deum hominibus sociatum, conjungit Propheta Esaias c. 7. v. 14. *Filium Dei* Angelus apud Evangelistam Luc. 1. v. 32. Canticum Ecclesiæ: *Veni Redemptor Gentium, ostende partum Virginis, miretur omne seculum, Talis decet partus Deum.* Huc refer, qvòd inter causas, cur à desponsatâ conceptus sit Christus, ex Ignatio refert Hieronymus in cap. 1. Matth. (Tom. IX. Oper. f. 6.) *ut partus ejus celaretur Diabolo, dum eum putas non de Virgine, sed de Uxore generatum.* (b) Ἕλληνας ἀπειθοῦντας τῇ σῇ παρθένῳ γενέσει τοῦ Ἰησοῦ confutat Origenes lib. I. contra Cels p. m. 29. Virginem fuisse Mariam, negavit & Julianus Apostata, cujus verba è Cyrillo recitat Spencerus ad Origen. p. 27. (c) Matth. 13. v. 55 *Nonne hic est Fabri filius?* Credebant nempe Judæi, Christum è Josepho fuisse

Digitized by Google

nionitæ (*d*) absq; injuriâ hîc aggregabuntur, sicut Gentilibus Platonizans Carpocrates (*e*) cum Proclianitis (*f*).

susceptum. Alii è milite, cui nomen Panthera, per execrabilem calumniam, qvam apud Originem lib. I contra Celsum p. 25. à Judæo contra Servatorem nostrum evomi facit illud hominis flagitium Celsus. In sceleratæ fabulæ incunabula inqvirit ibi Spencerus p. 25. seqq. Si fidem liceret adhibere Legendæ, qvam satis prolixam recitat Suidas sub voce Ἰησοῦς, dici posset, Mariæ Virginitatem agnitam fuisse à Judæis qvoqve. Narratur enim ibi Christus in Sacerdotum numerum fuisse cooptatus, ejusqve nomen à Sacerdotibus sic inscriptum fuisse codici: Ἰησοῦς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος, καὶ Μαρίας τῆς παρθένου.

(d) De Semijudaismo Ebionitarum lege Danæum ad c. 10. Augustini de hæres. p. m. 35. Habuerunt autem & hi Jesum pro filio Josephi. Irenæus lib. III. c. 24. ab init. *Non vera est qvorundam interpretatio, qvi ita audent interpretari Scripturam:* Ecce ADOLESCENTULA in ventre habebit, & parient filium: *qvemadmodum & Theodotion Ephesius est interpretatus, & Aqvila Ponticus, utriqve Judæi Proselyti, qvos sectati Ebionæi ex Joseph generatum eum dicunt.* De his capiendum & illud initio cap. 21. *qvi nudè tantùm hominem eum dicunt ex Joseph generatum.* Qvare & Symmachus Hebræorum Bibliorum interpres videtur fuisse Ebionita, qvia omnes Veteris Testamenti locos in translatione corrupit, qvi divinam Christi naturam, & illius ex Virgine nativitatem demonstrant Vid. Danæ. d. l. p. 33. (e) Tertullian. adv. hæret. (f. 115. oper. edit. Basil. Anno 1562.) *Carpocrates dicit, Christum non ex Virgine Mariâ natum, sed ex semine Joseph hominem tantummodò genitum.* Qvæ totidem propè verbis reperies apud Philastr. de hæres. p. 31. Conf. Irenæ. lib. I. advers. hær c. 24.

Digitized by Google

(*f*). Sed à Judæis vicissim hoc in negotio id separat Gentiles, qvòd hi negandæ Virginitatis in eâ, qvæ Mater esset, rationem peterent ab impotentiâ DEI (*g*), [qvæ qvidem ratio & Cerintho (*h*) arrisit,] qvippe qvem negabant qvicqvam posse ultra leges Naturæ, vel Materiæ patientiam. Qvâ qvidem in re honestiùs de Divinâ potestate sensisse Judæos constat (*i*). Itaqve hos, ubi se doceri fiverint, in Jesum exqvisitè competivisse reliqva

Augustinus c. 7. de hæres. ita rem eloqvitur: *Hic* (Carpocrates) *Jesum hominem tantummodò & de utroqve sexu natum putasse perhibetur.* Danæus ad Augustinum commentans, Carpocratem Platonicæ disciplinæ scientissimum vocat p. 24. qvi Platonis dicta & ampullas Evangelicæ veritati præponeret. p. 25. (f) *Prodianitæ* (Proclianitæ scribendum fuerat,) Philastrio de hæres. p. 45 46. sunt *Christum de Virgine natum non credentes.* Qvibus statim subjungit Florianos sive Carpocratianos. (g) Itaqve Origenes adversum Gentiles qvæstionem hanc disputans lib. I. contra Cels. p. 29. unicè laborat, eos ad potentiæ divinæ agnitionem perducere. (h) De hoc enim Irenæus lib. I. c. 25. *Jesum subjecit non ex Virgine natum, (impossibile enim hoc ei visum est,) fuisse autem eum Joseph & Mariæ filium.*

(i) Peregregius hanc in rem locus est Galeni lib. XI. de usu partium c. 14. *Opinio nostra ac Platonis, tùm aliorum, qvi apud Græcos de rerum naturâ rectè scripserunt, à Mosis disidet. Satis enim habet is, si Deus materiam exornare velit, ea autem repente est exornata. Omnia enim Deum facere posse arbitratur, etiamsi ex cinere eqvum aut bovem facere velit. Nos autem non ita sentimus, sed profitemur, qvædam Naturam, facere non posse, taqve Deum ut*

Digitized by Google

liqva omnia, qvæ de Messiâ Vates ipsorum prædixerant, ut filium qvoqve Virginis nobiscum profiteantur, ad Esaiam (*k*) in primis, (*l*) ablegabimus, qvi hâc insigni ac planè prodigiosâ notâ Immanuelem nostrum eximium fecit. Qvod in Ebionitas qvoqve telum tantò fortiùs torqveretur, qvia Matthæus Evangelista, qvem illi solum è Fœderis Novi Scriptoribus aliqvid esse patiuntur (*m*), propheticum oraculum disertè ad conceptionem Christi accommodat (*n*), nisi per insigne sacrilegium duo priora huic Evan-

*aggredi qvidem omninò.* (k) Decantatissimus est Prophetæ locus c. 7. v. 14. *Ecce Virgo* (העלמה) *concipiet, & pariet filium*, de qvo vide Orig I. contra Cels. p. 27. Hieron. à S. fide contra Judæos lib. I. c. 4. p. 51. Galatin. III. arcan. 18. & VII. 15. Mornæ. c. 28. de verit. relig. Spanheim. Part. I. dub. Evang. 34. & alios passim. Lepidum est qvod B. Selneccerus memorat p. 70. & 226. disposit. in Epist. & Evang. fest. de Judæis duobus, qvi Wormatiæ Anno 1521. coram Luthero super vocc *Almah* in mutua penè verbera ruissent. Historiam Stasfurtensem vide apud Luther. Tom. VI germ. Jen. f. 352. seq. (l) Solet aliis qvoqve V. T. dictis ἡ παρθενοτοκία defendi. E qvibus luculentum est illud Salomonis Lactantio IV. 12. citatum: *Infirmatus est uterus Virginis, & accepit fœtum, & gravata est, & facta est in multa miseratione Mater Virgo*, sed frustra qværas hoc in Bibliis. Neqve novum est Lactantio, talibus testimoniis uti, qvemadmodum id ipsum ostendit editio Gallæi p. 369. 383. 412. (m) Vid. Irenæ. lib. I. c. 26. Danæ. ad Augustin. de hæres. p. 36. (n) c. 1. v. 22. 23.

Digitized by Google

Evangeliſtæ capita revulſiſſent(o). Gentiles autem, ut ante omnia capitalem illum rationiqve ſanæ prorſus adverſum errorem de materiâ increatâ, atqve adeò Divinæ potentiæ grande capiſtrum injiciente, demi patiantur, monebimus. Eqvidem ſi verum eſſet, qvod fuit à multis (p) memoriæ proditum, illâ nocte ſalutari, qvæ Deum terris edidit, Pacis templum, qvod duraturum *qvamdiu Virgo non pariet*; Apollo conſultus reſponderit, funditùs corruiſſe: faceret hoc etiam aliqvid fortaſſe ad minuendã incredulis contumaciam. Sed inconſultum eſt, velle vero miraculo fidem adſtruere à fabuloſo. Partum Virginis qvicunqve negant, inficiandi tantò majorem audaciam ſumunt, qvòd hoc ſignum non æqvè ut alia patuit oculis, fide potiùs & cogitatione complectendum. Ratio-

(o) Principium enim Evang. ſecundum Matth. (reſte Epiphanio contra hæreſ. ſub ſectâ XXX. f. 65.) apud Ebionæos ſic habet: *Factum eſt in diebus Herodis Regis Judæa venit Johannes baptizans baptiſmum pœnitentiæ*, &c. Hæc autem conſentana ſunt verbis, qvibus tertium demùm caput auſpicatur Matthæus.

(o) Inter hos eſt Guillermus in Poſtillâ p. 8. Commentum hoc refellens Baronius præf. n. 11. f. 58. *Inveniimus*, inqvit, *hæc primùm narrata in homiliâ qvadam incerti au-*

Digitized by Google

Ratione ergò ac veris testimoniis adversùm eos agere oportet, non commentitiis narratiunculis. Veris aurem præbere si nolint, omittendi sunt, nec porcis objiciendæ margaritæ. Neqve tamen, si ad has delicias illorum intellectus obbrutuit, abesse à nobis debet hujus tanti mysterii venerabunda contemplatio. Qvam illud maximè excitabit, qvòd singulare penitùs ac divinum id opus fuit. Enimverò qvòd alvus mulieris Viri nesciæ intumuit, (nam in hoc sita maximè (*q*) vis fuit stupendi facinoris,) qvoniam naturæ facultates hoc supergreditur; *magnum* est miraculum; qvoniam imitari Diabolo non licet, *majus* est; qvoniam ne Deo qvidem ipsi bis repetere libuit, *maximum*. Ut adeò tribus

*Eloris* (de Nativ. Dom. vid. Labb Tom. II. de Script. Eccles. p. 203.) titulo tamen Petri Damiani prænotatum. (q) Perpetuam τῆς θεοτόκου virginitatem ita circumscribere solent: *Virgo fuit ante partum, in partu, post partum.* Hoc ultimum Helvidio in primis, & seqvacibus ejus opponitur, qvi Mariam post Christum natum Josepho nupsisse temerè affirmabant, (de qvibus vid. Augustin. c. 84. de hæres.) sed Helvidium Hieronymus libro adversus eum edito egregiè contudit: (Petre Catal. hæret. p. 83.) Interim in hoc, qvod Maria Virgo mansit post partum, non est adeò multum portenti aut admirationis. In eo potiùs obstupescit humana ratio, qvòd Virgo fuit ante partum, h

Digitized by Google

bus qvasi gradibus in altum nitatur grande hoc Divinæ virtutis documentum. *Primò* supra naturæ vires est, ut uterum ferat, qvæ Virum non tulit (*r*). Hoc ipsum nuncio cœlesti Maria (*s*), hoc Evangelii testibus Gentiles (*t*) olim respondebant, licèt animis maximè disparibus: illa ut erudiretur; hi ut erudientium operas frustrarentur. Sed nostrum est B. Virginis exemplum imitari, &, ut infinitæ potentiæ crescat in nobis admiratio, angustos Naturæ fines priùs intueri: qvæ in qvocunqve viventium ordine sexum discrevit, nunqvam absqve masculo soli fœminæ propagandi generis potestatem facit. Eqvæ tamen, inqvies, in Lusitaniâ feruntur è vento concipere, & Vulturum sine maribus fœcunditatem multi celebrant Scriptores (*u*).

e. simul Virgo, simul gravida. Unde consecutum est alterum, ut in partu qvoqve servaret virginitatem. (*r*) Ineptum hîc est delirium Helmontii, qvi in ortu Medicinæ Amsterodami Anno 1648. edito p. 654. (cit. Joh. Hear. Posevvitz Part. II. Theol. Scholast. c. 3. qv. 10. p. 705.) statuit, Evam in statu innocentiæ suas concepturam fuisse proles non ex copulâ carnali, sed ex obumbratione foliis Spiritus Sancti, (atqve adeò integrâ virginitate.) (*s*) Luc. 1. v. 34. (*t*) Supra lit. *g*.

Digitized by Google

(u) Verum ad fabulas (vv) qvibus de hoc genere pluribus (x) mundum impleverunt Naturales Historici, jamdudum aures obsurduerunt nostræ. Nam qvòd Patres (y) his exemplis τὴν παρθενοτοκίαν Gentilibus approbare student, non tam eò factum, qvòd ipsi talia crederent, (nisi velimus Origenem, qvi in eâdem disputatione post Vultures ad Ethnicorum qvoqve Terrigenas provocat (z), etiam huic mendacio fidem præbuisse,] qvàm



(u) De utrisqve locos Autorum copiosè dabunt Cerda ad III. Georgic. Virgilii v. 283. f. 400-401. Petr. Gregor. Tholos. Commentar. in lib. VI. Syntax. art. mirab. c. 25. p. 119. & Wovver. c. II. Polymath. De eqvabus Hispanicis vide fis etiam Libavium lib. IV. de univers. p. 262. 263. & Fortun. Licetum I. de Ortu anim. hum. c. 16. & 18. p. 117. 133. De Vulturibus Allat. in Eustath. Hexaëm. p. 121. & Spencer. ad Origen. contra Celsum p. 28. (vv) Sic de re præsenti judicant ferè, qvos modò citavi. E qvibus & conjecturam capies, qvid fingendi causam dedisse potuerit. De Eqvabus Justini verba describam è lib. XLIV. histor. c. 3. *In Lusitanis juxta flvvium Tagum vento eqvas fœtus concipere multi auctores prodidere, qvæ fabulæ ex eqvorum fœcunditate & gregum multitudine natæ sunt: qvi tanti in Gallaciâ & Lusitaniâ ac tam pernices visuntur, ut non immerito vento ipso concepti videantur.* (x) De *muribus* solo linctu salis absqve coitu concipientibus vid. Aristot. VI. hist. anim. c. ult. & Plutarch. V. Sympos. qvæst. ult. De *rubellionibus* in genere piscium Anton. Ponce Santaoruz Philos. Hippocrat. f. 156.

(y) Origen. I. contra Cels. p. 29. Lactant. IV. 12. Ambros. V. Hexaem. 20. (z) d. l.

Digitized by Google

ut minora credentes (a) ab humiliori gradu attollerent ad historiæ sublimioris conscientiam (b). Age verò, sit in eqvis Lusitanorum, sit in Vulturibus ista, qvam volunt, naturæ facilitas. De homine in primis qværitur, non de qvadrupede aut avitio; de vitali fœtu, non de ovo Zephyrio. Sectetur compendium in brutis natura, sit minùs pomposa vilium rerum annona: Perfectissimi animalis certè majoris impensæ decet esse elaborationem. Absqve certo Patre (c) multi nascuntur Partheniæ (d), absqve ullo nemo. Qvod Mela Pomponius (e) insulam nobis Æthiopici maris narrat, in qvâ tantum fœminæ sint toto corpore hir-

(a) Non omnes tamen Ethnici credidere. De Justino res clara è descriptis ex eo paulò ante lit. vv.

(b) Voss. III. de Orig. Idolol. 78. f. 573. *Ut ut argumentum* (de vulturibus) *sit invalidum, si secundum se spectes; valebat tamen adversus nationes, qvibus ita persvasum fuit.* Confer illud Cypriani expos. in Symb. Apostol. (f. 254. Oper.) *Mirandum, cur hoc* (loqvitur de partu salvâ Virginis incorruptione,) *gentilibus impossibile videatur, qvi credunt Minervam suam de cerebro Jovis natam: qvid ad credendum difficilius, aut qvid magis contra naturam?*

(c) Hinc spurios Romani duabus tantùm literis innuebant S. P. qvasi qvi essent *Sine Patre*, puta *certo*. (d) *Partheniarum*, qvi apud Lacedæmonios fuerunt, mentio apud Justin. III. 4. & Aristotelem V. Pol. 7. Lactantius I. 20. *Parthenios* vocat. (e) lib. III. c. 9.

Digitized by Google

hirsutæ, & sine coitu marium suâ sponte fœcundæ, scimus ipsius commentum esse (*f*). Nec Dæmon qvidem, qvod *alterum* erat caput, cum sæpè, ut divinorum est operum simia, majora naturæ viribus emoliatur, absqve connubio gravidare fœminam potest. Multa ipsi connivet Deus: sed miraculis, qvorum imitandorum licentiam illi negavit (*g*), rectè accensebimus partum, ut ex anu effœtâ ac sterili (*h*), sic è Virgine Virum non passâ. In qvam sententiam piè atq; graviter ante hos qvatuordecim annos meminimus audire publicè disserentem Carpzovium (*i*) verè ardentis eloqvii Theologum antehac urbis nostræ. Qvare Delrio (*k*) asserens, *posse dæmones efficere, ut Virgo mente & corpore permanens concipiat*, placere nobis non potest. Qvanqvam enim addit, *non sine virili semine*: ita tamen neqve hoc illis magis qvàm Naturæ (*l*) licere existimandum



(f) Licèt enim ad Hannonem provocet, ab Hannone tamen contraria dici, observatum ibi ab Isaaco Vosso p. 305. Conf. Majol. canicul. colloq. 3. p. 100. (al. f. 52. 53.) (g) Duodecim genera talium miraculorum commemorat B. Mengering. Informat. Consc. p. 196. (h) Phil. Melanchthon. Tom. III. Oper. f. 258. 741. (i) Anno 1652. d. 25 Decemb. in concione Matutinâ. (k) II. disq mag. q. 5. p. 163. (l) Perhibentur qvædam fœminæ in balneo

Digitized by Google

est. Non permisit illis Deus, ut producendis cyniphibus Mosen imitarentur [m]: & in hoc omnibus seculis obstupescendo facinore ferat æmulos, qvalemcunqve veri speciem, ut se Deo æqviparent, machinantes? Qvid? Ipse Deus nunqvam repetiit hoc miraculum (n), nunqvam repetet: repetendi facultatem Diabolo indulgebit? Atqve sic ad illud qvoqve perventum est, qvod *ultimum* proponebamus. Ut uni homini contigit edi absqve Patre pariter his in terris ac Matre, Adamo; uni absqve Matre, Hevæ: sic uni absqve Patre, Christo (o). Virgo illa Mater ejus verò exemplum est sine exemplo. Ex omni tot ab usqve Mundi exordio fœminarum numeabsqve Viri congressu concepisse, & Viribus naturæ hoc tribuitur. Sed non credit ipse Delrio d. l. Add. Casman. Psychol. hom. c. 8. q. 8. p. 176. (m) Exod. 8. v. 18.

(n) Augustinus Epist. 7. (Tom. II. Oper. f. 35. D.) respondet illi, qvi nolebat credere virgineum partum, qvia semel factus sit. (o) Anshelm. Elucidar. (Tom. III. Oper. f. 227.) *Qvatuor modis fecit Deus homines. Uno modo absqve Patre & matre, sed de terrâ, ut Adam. Secundo modo de solo Viro, ut Evam. Tertio modo de Viro & Fœminâ, ut qvotidie nascuntur homines omnes per mundum. Qvarto modo de solâ fœminâ: qvod privilegium Christo reservatum est.* Vid. & eund. de concept. virginali & peccato origin. c. II. (III. Op. f. 100. Pseud-Aug. Serm. 20. ad frat. in Erem. (Tom. X. Op. Aug. f.) 1312.) Petr. Greg. Tholos. comn. in lib. VI. Syntax. art. mi-

numero nulla præcesſit ipſam, nulla ſecuta eſt hactenus, aut unqvam ſeqvetur, qvæ cum eâ comparari qveat. Nam qvæ de Virginum filiis Romulo ac Remo (*p*), Buddâ (*q*), Platone (*r*), Benſyrâ (*s*), Simone Mago (*t*), Merlino (*u*), Maho-



rab. c. 25. p. 118. (p) Hieron. d. l. adv. Jovinian. (Tom. III. Oper. f. 22.) & alii passim. Vid. & Balthaſ. Bonifac. Hiſtor. judic. lib. VIII. c. 13. p. 313. (q) Hieron. d. l. *Apud Gymnoſophiſtas Indiæ qvaſi per manus hujus opinionis authoritas traditur, qvòd Buddam Principem dogmatis eorum è latere ſuo virgo generarit.* Sed qvid eſt, qvòd Michaël Majerus c. 13. de volucr. arb. pag. 137. refert: *de Buddâ ſcribunt nonnulli, qvòd ejus latere Virgo enata ſit?* Suſpicor deceptum fuiſſe Henr. Cornelii Agrippæ phraſi infinitivâ: *Buddam è latere ſuo virginem generaſſe*, III. de occult. Philoſ. 35. qvæ non minus ambigua eſt, qvàm illud celebre oraculum Pyrrho datum. Buddæ poteram hîc aſſociare *Manetem*, diſcipulum ejus, de qvo Prateolus Elench. hæreſ. lib. XI. (ap. Gvalter. lib. II. Chronici Chronicor. Eccleſ. p. 589.) *Hic ſe dicebat ex Virgine natum, & in montibus educatum.* Eadem ante Prateolum tradidit, qvisqve autor eſt ſupplementi, qvod Philaſtrio adjicit editio Baſil. Anno 1539. pag. 201. Sed mihi non dubium, hæc ad Manetem fuiſſe tracta ab aliqvo, qvi Suidam feſtinanter legeret. Suidas autem (voce Μάνης) de Manete agens ſi loqvitur non de Manete, ſed de Buddâ: ἐκ παρθένου ἑαυτὸν ἔφασκε γεγεννᾶσθαι, καὶ ἐν τοῖς ὄρεσιν ἀνατεθῆναι. Qvæ latinè de Buddâ profert etiam ipſe Prateolus p. 445. *Buddas è Virgine ſe genitum, & in montibus educatum mentitus eſt.* (r) Hieron. ibid. Orig. I. contra Celſ. p. 29. Rhodigin. XIV. antiq. lect. 1. f. 729. Balth. Boniſ. Hiſtor. jud. p. 313. (s) ex Hebræorum commentis Delrio II. disq. Mag. q. 15. p. 164. (t) Sicipſe de ſe Simeon apud Pſeudo-Clemen-

Digitized by Google

metanorum Nefesoglis (w) prodita leguntur, partim frivola sunt mendacia (x), partim impertinentes ineptiæ (y). Antichristum verò ex Virgine nasciturum credat Hippolyto (z), cui libitum est decipi. Nobis religio sit prærogativam singularem, qvàm soli Filio unige-

tem II. Recogn. f. 11. (al. 34) Ne putetis qvòd generis vestri homo sim ego: neqve magus sum, neqve amator Lunæ, neqve Antonii filius. Ante enim, qvàm mater mea Rachel conveniret cum eo, adhuc Virgo concepit me, cùm esset in potestate meâ vel parvum esse, vel magnum, & hominem inter homines apparere. (u) Agripp. III. de occult. Phil. 34. Wier. II. de præstig. dæm. 46. Alan. Cop. dial. p. 679. (vv) *Apud Mahometistas constans opinio est, plerosqve, qvos suâ lingvâ Nefesogli vocant, occulto qvodam divinæ dispensationis modo, sine carnali coitu nasci*, Agrippa d. l. c. 35. Adde Cigogn. Theat. Nat. lib. II. c. 15. p. 264. Autor. incert. de moribus, religione &c. Turcorum c. 14. & 15. (Tom. III. Alcorani cum annexis f. 31. 35.) Kornman. de mirac. viv. p. 187. qvi ex incubis vel succubis natos putat. Conf. Georgievits c. 3. des Türckenbüchl.

(x) Ut illud Gymnosophistarum de Buddâ, Simonis Magi de se ipso, Judæorum de Bensyrâ, Mahometanorum Nefesoglis. (y) Ut illud de Romulo, Remo, Platone, Merlino. Nec enim planè hic ἀπάτορες introducuntur, sed pro homine Patre nominatur aliqvis deaster vol dæmon: nempe qvi Viri partes egerit. Huc & fabulas refer de Danaë, Melanippe, Auge, Antiope, qvarum mentio apud Origen. p. 30. contra Cels. egregiis Poëtarum virginibus scilicet. (z) Qvem citat Draud. lib. II. colloq. postcanic. p. 14. Vid. & Pseudo-Augustin. de Antichristo, (Tom. IX. Oper. August. f. 1187.) Alcuin. vit. Antichrist.

Digitized by Google

genito servatam voluit Pater cœlestis, cum ullo homine communicare. Salva sit illi historiæ sua majestas, qvam exercitus militiæ cœlestis inusitato spectaculo noctem illustrans Pastoribus annunciavit. De felici Pastorum vigiliâ crastino die publicè declamabit ornatissimis moribus, nec vulgari eruditione præditus Juvenis, JOH. CHRISTIANUS VIGILIUS, Viri perqvàm Reverendi & Clariss. Dn. M. SIMONIS WACHII, in æde Suburbanâ Pastoris per annos benè multos vigilantissimi, Bonisqve omnibus carissimi Filius, congruum & nomini suo, & huic tempori argumentum secutus. Eum ut in Auditorio nostro post matutina sacra Magnif. Rector cum Ampliss. Academiæ Proceribus, omniumqve Facultatum Doctoribus, Licentiatis ac Magistris, Cives item ac Studiosi Politissimi, audire dignentur, & nostro & Optimi Parentis nomine humiliter, officiosè, amanter contendimus, paria, ubi poterimus, facturi opere; certè, ubi non poterimus, voluntate. P.P. propridiè *Natalium*



(Part. II. Oper. f. 1211.) Roger. Hoveden. f. 682. Ehinger, Sec. XV. Histor. Eccles. pag. 207.

Digitized by Google

Salvatoris d. 23. Decembris Dominicâ IV. Adventûs Anno M DC LXVI.

# Programma XLVI.

# DE VETUSTO RITU CREANDI BACCALAUREOS

*Præscriptum celebratæ*

Anno 1667. d. 30. Martii.

## PROMOTIONI BACCALAUREALI.

PErvetusta in Academiis Christianorum consvetudo est creandi BACCALAUREOS: Sic enim vocari solent, à verô licèt etymo, qvod gallicum esse, non latinum, Eruditiores perviderunt (a), resiliente scriptione, qvi primum

(a) Julius Alexandrinus lib. IV. de Medico pag. 228. *Nescis compositum esse ex* baccâ & lauro *nomen, qvâ genere coronæ ornarentur, qvi paulò magis in artibus promovissent. ---- At ---- audisse me ab erudito qvodam memini,* Battalaurios *illos vocari solitos lingvâ vetere Gallicâ, qvi tyrones qvùm essent, prælio tamen aliqvando interfuissent.* His similia de *Batalariis* dabit Joh. Ludov. Vives lib. I. de caus. corr. art. p. 64 & inde Volphg. Hunger. not. in Carol. Bovilli tab. B. 2. Plura vide apud Matth. Martin. Lexic. Philol. f. 104. Voss. de vit. serm. lib. I. c. 19. p. 77. Alsted. lib. XXIV. Encyclop. cap. 9. reg. 3. (Tom. III. f. 290.) & Besold. c. 6. Dissert. de Studios. p. 74. qvi sic demum: *Certè adhuc Franco-Galli* Bacheliens ex armes *vocant, qvos nunc in re literaria* Baccalaureos *appellamus.* Falluntur ergò & qvi à *Baculo* derivantes *Bacularium* scribunt: inter qvos & Scheræus p. 96. der Sprachenschul.

mum dignitatis Academicæ gradum (b) in qvalibet Facultate sunt adepti. Nos & libenter facimus in Facultate nostrâ, ut prisco ritui obseqvamur, & volupem habemus Antiqvitatis hâc in re, perinde atqve in aliis, contemplationem. Neqve enim negari potest, huic ut ita loqvar, veteri Togæ, ut solent externa cum temporibus mutari, novum esse, nec nuperrimè prorsus, inductum habitum. Sed recentia qvæ sunt, nullius non patent obtutui. Veteris hoc de gradu historiæ documentum, ut alia in hoc toto literariorum rituum genere pluscula scitu non injucunda, propagavit ad nos Nicolaus Vernulæus, Academiæ Lovaniensis instituta perseqvens, his verbis (c): *Honores seu gradûs, qvi in hâc Facultate* (Philosophicâ) *reportantur, sunt Baccalaureatûs, Licentia, Magisterii. Ante hos publicus unus est Actus, ut vocant*, Determinantiæ. *In eo singuli Juvenes* Logicæ *studiosi in celebri totius Academiæ consessu de qvæstione aliqvâ* Ethicâ, *qvam Præses Pro-*



(b) Disceptatur: an Baccalaureatus veniat in numerum graduum atqve dignitatum? Negat Besoldus d. l. p. 76. Sunt &, qvi affirmant. (c) lib. II. Acad. Lovan. c. 6. p. 118.

*fessorum aliqvis proponit, sententiam suam dicunt. Hoc modo Philosophiæ se Studiosos profitentur, nullum verò gradum consequuntur. Baccalaureatus hic duplex est. Unum post trimestre in* Physicâ *studium examinati adipiscuntur: alterum absoluto* Metaphysices *cursu, posteaqvam de universâ Philosophiâ publicè responderunt, obtinent.* Non pauca hîc sunt observatore oculo digna. *Primò* Determinantiæ hic actus, ab ipsâ qvidem primæ lauri consecutione sejugatus, in Academiâ nostra nullus est, nec an unqvam fuerit, ausim definire. Sed hac de re posteà. *Deinde* qvid est, qvod alios *Logicæ* Studiosos facit Vernulæus, alios *Philosophiæ*? Num Logici separatas à Philosophis rationes habent? Non sanè qvidem hodiè. Sed olim Artes Liberales, in qvibus Logicam numerabant, à Philosophia secernere mos fuit. Qvod alibi (*d*) declaratum non hîc necesse est repeti. Sic ergò velut infimam Civium Academicorum classem ii tùm constituebant, qvi Artibus Liberalibus, & in his Logicæ vacarent. Paulò his habebantur superiores Philosophiæ, ejus puta, qvam Realem nuncupamus hodiè, Studio-

(d) Suprà in Programmate XXXIV. *de Septem arti-*

Digitized by Google

diosi. An hinc esse dicam, qvòd Joannes Saresberiensis (*e*), duodecimi Scriptor seculi, inter Magistrorum Parisiensium Auditores, sive (ut ipse nominat) seqvaces, Philosophos digniores ponit *Clericis?* Constat enim, ut Nobilitatis vocabulum, in Barones haud dubiè atqve Comites, multò autem magis in ipsos Principes atq; Reges vel maximè competens, penes eos deniqve resedit, qvi nullum essent Nobilitatis titulum specialem consecuti: sic appellationem *Clericorum*, omnibus communem Academicis, in horum infimo cæterisqve expertè titulis gradu conqvievisse (*f*): adeò qvidem, ut in trivialium qvoqve Scholarum discipulos erogaretur; qvos Alexander de Villâ Dei, barbaro notior qvàm nostro seculo Grammaticus Magister (*g*), primo sui Doctrinalis, (hoc nomen

*bus liberalibus.* (e) lib I. Metalog. c. 5. p. 15. *Seqvaces eorum* (Alberici Remensis & Simonis Parisiensis) *non modò Philosophos negant, imò nec Clericos patiuntur: vix homines fiunt esse, sed bobes Abrahæ, vel asinos Balaamitos* (Balaamicos lege, vel Balaamiticos) *duntaxat nominant.*

(f) *Clericum* eundem esse cum *Scholari*, observat Sim. Werlinus in Rosvveido redivivo p. 20. Scriptorum locis idem confirmare hîc parco. (g) Vixisse hunc circa annum 1212. & ejus *Doctrinale puerorum tum in Sveviâ, tum*

Digitized by Google

nomen Metricæ suæ dat Grammaticæ,) versu *Clericulos* novellos usurpat (*h*). Sciendum tamen, [qvod ex Vernulæo, si integrum ejus caput perlegas, colligere licebit,] *Logicæ Studiosos* in Academiâ Lovaniensi non ita fuisse à *Studiosis Philosophiæ* diremptos, ut non unà cum iis contra *Studiosos Literarum*, h. e. Grammaticæ Rhetoricæqve nominari potuerint. Duplex enim Autor ille facit Facultatis ibi nostræ studium *Philosophiæ & Literarum* (*i*): *Philosophiam*, qvæ qvidem in qvatuor Gymnasiis doceretur, Logicâ, Physicâ & Metaph. circumscribit (*k*), publici Doctoris Ethici professione (*l*) supplendam; *Literas* Grammatica Rhetoricaqve (m) Suspiceris ergò, ubi Logica in Scho-

*in aliarum Nationum Scholis regnum & sceptrum betulaceum annos circiter trecentos in pueros obtinuisse, donec tandem qvinto decimo* (sexto decimo scriptum oportet) *Seculo Johannis Brassicani Tubingensis, Jacobi Henrichmanni Sindelfingensis, & aliorum eruditiora Grammatica extiterint*, testis est Martinus Crusius Part. II. Svevic. annal. fol. ult. (h) *Scribere clericulis paro doctrinale novellis.* Versum hunc præter Crusium d. l. citat & Daniel Greserus, (ævo superiore Superintendens Dresdensis, dignus genero Selneccero constantissimo Theologo Socer,) in curriculo vitæ suæ germanicè scripto a. 2. ubi testatur, sibi etiam puero (natus fuerat Anno 1504.) in patriâ Scholâ Walburgensi Grammaticam Alexandri prælectam fuisse.

(i) p. 116. (k) ibid. (l) cujus mentio p. 123. (m) p. 122.

Digitized by Google

Scholis Christianorum ex arte liberali, qvalem agnoverat ævum Augustini, facta esset pars Philosophici Cursûs, apud Lovanienses tamen antiqvæ sortis hoc vestigium remansisse, ut Philosophici studii manifesta qvædam ac solennis professio non nisi post auditam fieret Logicam. *Tertiò*, Cursum *Philosophicum* Vernulæo qvatuor, uti vides, absolvunt Disciplinæ, *Logica*, *Ethica*, *Physica*, *Metaphysica*: has enim solas memorat. Etiam hîc gustum seculi antiqvioris deprehendimus. Neqve plures enim exhibere solent, qvi traducto à multis seculis in hæc usqve tempora more summas Philosophicas magno numero conscripserunt Scholastici. Apud qvos *Mathematicas* Scientias, (qvàm rectè, non est præsentis instituti dispicere,) nullo videas haberi numero: Qvasi cujus disciplinæ præceptorẽ habere Aristotelẽ non liceret, de eâ nemini foret Philosopho laborandũ. *Spherica* tamen doctrinæ explicationem Physici Professoris munus facit Vernulæus [n], sed Secundarii. *Qvartò* si, anteqvàm ad pedes Physici Professoris sederetur, in actu Determinantiæ de qvæstione Ethicâ respondendum fuit Studio-

so

(n) p. 117.

Digitized by Google

so, necesse est hoc in stadio *moralem Philosophiam fuisse præmissam naturali.* Qvam qvidem rationem hoc ævo nostro novimus Eustachio qvoqve se approbavisse, Summæ Philosophicæ Scriptori (o). Sed solent cæteri de hoc genere pleriqve omnes Ethicam in extremum locum rejicere. Ut hîc etiam aliqvid à vulgari orbita devium annotare liceat. *Qvintò duplex in Facultate nostrâ Baccalaureatus*, qvorum alter Physici studio præmium foret, alter Metaphysici, atqve totius adeò decursæ Philosophiæ, qvoniam rara res est, notari profectò supra cæteras meretur. Nam in Theologicâ Facultate duplex, apud Pontificios qvidem, Baccalaureus, Biblicus & Formatus [p], non est Academiis infreqvens perinde. Hæc igitur universa si qvis cum facie horum in Academia nostra temporum componat, haud parum dissimilitudinis deprehendet. Neqve enim, ut omissis cæteris primum tantum extremo jungam, *Determinantiam* in Facultate nostra, nisi qvæ partem primæ Laureæ faciat, usurpamus, neqve primam ipsam *Laurum bis* re-

(o) Eustach. à S. Paulo Summ. Philos. p. 2.
(p) Qvâ de re tum alii, tum Vernulæus d. l. c. 1. pag. 85.

Digitized by Google

repetimus. Qvin potiùs, qvæ apud Lovanienses eo pacto tria fuerunt, unum esse jussimus. Nam &, qvicqvid est honoris Baccalaurealis, in unum actum congerimus, & in eo Determinantiæ simul qvalescunqve partes Determinatoribus imponimus nostris. Verùm & hîc alium fuisse veteris apud nos ævi, qvàm hodierni morem, observare licuit. Initiò singuli creabantur Baccalaurei; nunc universi. E qvo consecutum alterum fuit, ut olim qvilibet Candidatus Determinatorem ageret; hodiè liceat ex universo renunciandorum cœtu, si qvidem copiosus ille sit, pro numero Nationum, qvibus Academica res nostra nititur, qvaternos deligere, qvi Determinatorum appellatione discriminentur à Competitoribus cæteris. Ac putet aliqvis fortè nomen his ex eo inditum qvondam fuisse, qvòd Nationem qvisq; suam determinaret. Sed qvi hactenus exposita cum exponendis porrò comparabit, facilè intelliget, hæsisse nostris appellationem ex eo, qvòd ii, qvorum ipsi personam repræsentarent præter cæteros, olim soliti fuerint qvæstiones à Promotore sibi propositas determinare

atqve

atqve decidere. Sic enim est: Ante duo hæc secula, qvi Baccalaureum apud nos creabat, [Sigillatim enim honoris hoc titulo affici fuisse solitos, dictum est,) qvatuor hæc (q) peragebat: *primùm* Candidato Sophisma proponebat; *tùm* qvæstionem, qvam ille determinaret, [habes Determinantiæ apud Lovanienses consolitæ simulacrum, sed à Baccalaureatu indivulsum;) *post* commendabat eum præsentibus, dignum jam qvi diserto verbo Determinans appellaretur (r), & solenniter Baccalaureum nuncupabat; *ad extremum* ipse agebat Auditorio gratias

(q) Est in Bibliotheca nostræ Facultatis manuscriptus codex, Alberti de Saxonia Lecturas super X. Nicom. continens. Huic adjectæ sunt Formulæ Baccalaurealium Actuum compluscula. Harum hoc aut simile est initium: *In præsenti actu qvatuor per ordinem sum facturus.* Primò *Dn. Baccalaureando Sophisma qvoddam assignabo, ad qvod respondebit.* Secundò, *qvæstionem proponam determinandam.* Tertiò, *qvandam ejus Collationem annectam.* Demùm & ultimò *gratiarum actiones referam.* Totidem verbis hæc leguntur ibi p. 268. Unde Sophismatis etiam & Qvæstionis exemplum excerpere libet. *Sophisma:* Infinitum pondus Sortes potest portare. *Qvæstio:* Utrum possit esse aliqvod corpus infinitum, immobile? (r) Nam initiò qvidem *Baccalaureandum* appellabat tantum, ut lit. præced. vides: post Qvæstionis verò determinationem hæc audiebantur: *Domine Baccalaureande & Determinans, & statim Baccalaurete.* Descripta hæc sunt ex eadem dicti Codicis paginâ.

Digitized by Google

tias. Tubingensis Academiæ morem non multò absimilem,(nisi qvòd apparet, Lauream eôdem Actu multis injectam fuisse,) dignum habuit Martinus Crusius, qvem Annalibus insereret suis (s), sed qvi ad annum 1499. spectet. Qvæ nos retulimus, antiqviora prope sunt semisæculo. Ut major dictis sit fides, formulam agendi gratias M. Johannis Curlebeke perveterem adscribemus [t]. Nomen enim Rectoris Academici Johannis Breslaweri adjectum certam faciet anni 1452. notitiam. Sed hoc præfamur, ubi Lector in ea formula non eam & Religionis & Latinitatis castimoniam inveniet, qva ipse delectetur, sæculo qvicqvid hoc nævi est, condonari æqvum fore: nam & Crusiana formula [u] similem veniam desiderat. *Qvantum ad ultimum, qvod est difficillimum, in qvo teneor re-*

Mm *ferre*

(s) Part. III. Svevic. Annal. lib. IX. cap. 9c f. 512. Sic autem ille: *Ritus creandi Baccalaureos tunc hi erat:* 1. *Exordiolum ponebatur, seu partitio faciendorum.* 2. *Candidati qvæstiones proponebant, & eas explicabant.* 3. *Recitabatur à Pedello juramentum.* 4. *Attributio honoris vel gradus.* 5. *Oratio --- 6. Ejusdem Promotoris gratiarum actio ad cœtum præsentem.* (t) Ex eadem pag. Codicis msr. citati modo lit. q. (u) Ubi f. 513. juxta Deum non Virgini modò Mariæ, sed & Comiti suæ pudicissimæ Katharinæ gratias refert Promotor.

Digitized by Google

*ferre gratiarum actiones: Refero igitur grates summo omnipotenti Deo, Matri suæ, totiq; Curiæ Civium supernorum. Deinde descendens ad inferiora refero grates* Joh. Breslawer, *nostræ almæ Universitatis benè digno Rectori: Domino Decano Facultatis artium, & omnibus aliis Magistris tàm absentibus, qvàm præsentibus, & singulis suppositis,* [w] *offerens me & Dominum Baccalaureum novellum ad qvævis eorum beneplacita.* Hæc igitur Baccalaureos creandi ratio apud nos obtinuit ad unum usqve 1543. Qvo post novam Illustrissimi Principis Electoris MAURITII reformationem, abrogata seorsim singulos promovendi consvetudine, simul universi, qvi examen sustinuissent, in publicum produci, ab unoqve omnes ornari honorum primitiis cœpere. Qvam formam seqvens ætas ita paulatim elimavit, ut latinis græca, pedestribus verbis carmina miscerentur à Candidatis, proqve determinandis Qvæstionibus, qvas illa ætas austerior vix alias dabat in medium, qvàm spinosas, amœnum aliqvod thema tractari à Determinatore fas esset,

(w) i. e. subditis. Vernulæus lib. 1. de Acad. Lovan. c. 13. p. 76. *Subditi, seu ut Vulgò, suppositæ Academiæ.*

Digitized by Google

set, ipse Promotor Audientium animos facundâ pariter ac doctâ oratione perpermulceret. Talem actum & crastina dies, qvod Ter Benignissimum Numen prosperet, per nos pollicetur. Et inusitato qvidem facinore, qvi Juvenibus doctissimis duodecim eruditionis brabeum conferet publicum, idem simul Facultati nostræ valedicet, in Venerandam Theologorum Facultatem mox cooptandus, hactenus Collega noster conjunctissimus, laude nostrâ & ambitione titulorum omni Vir major Dn. D. JOHANNES ADAMUS SCHERTZERUS, cui adeò dignitatis hoc novæ pondus eximium animo sincero gratulamur. Nomina Candidatorum, qvos Baccalaureos esse jubebit felici omine, exemplo novo de Cathedrâ Philosophicâ Professor Theologus, (ut hinc Ecclesiæ nostræ ab hoc seminario fructûs uberes ominari liceat,) hæc sunt:

ANDREAS WEIDLICHIUS, Werdâ-Misn.
DANIEL Franck/ Weidâ - Varisc.
CHRISTOPH. Franck/ Weida- Varisc.
JOHANNES CHRISTIAN. Wach/ Lipsiens.
JACOBUS KRUMPHARDUS, Tenstadiô-Thuringus.

JOHANNES CHRISTOPHORUS LAURUS, Bergensis.

JOH. GOTTOFREDUS Gottsmann / Olsnicensis Variscus.

ELIAS GEISLERUS, Reussendorffensis Silef.

FRIDERICUS AUGUSTUS JANUS, Tychopolitanus Holsatus.

ADAM WERNERUS, Werdâ-Misnicus.

GOTTOFREDUS Sprotta / Uratislaviensis Silesius.

JOHANNES FRIDERICUS Schreck / Uratislaviensis Silesius.

Magnificum Academiæ Rectorem, Facultatum omnium Doctores, Licentiatos, Magistros humiliter, officiosè, amanter rogamus, ut sive Oratori nostro, qvem scimus ab omnibus magnifieri, sive nobis, qvi memoriam beneficii nunqvam deponemus, sive Candidatis nostris, qvos alacriter jam currentes hoc magis incitabit Illustrium Virorum spectata benevolentia, tribuere hoc velint, ut per Ipsos celebrior hic Actus, & vel ad posteros memorabilis censeri mereatur. Florentissimam Studiosorum coronam, nihil ambigimus, vel hæc humana compellatio nostra in Auditorium pelliciet. P.P. Lipsiæ d. 29. Martii A. 1667.

Pro-

Digitized by Google

# PROGRAMMA XLVII.

# DE FICTIS RELIQVIIS SANGVINIS CHRISTI

*Præscriptum Orationi*,
Qvam Anno 1667. d. 6. Aprilis pridiè Paschatos habuit

## JOH. DAVID STAPENIUS,
Lipsiensis

## De optimo Chirurgo JESU CHRISTO.

VUlneratæ pœnitentis hominis conscientiæ nulla certior afferri medicina potest, qvàm devota & pia SANGVINIS CHRISTI meditatio. Hic enim est qvi mundat nos ab omni peccato (*a*), nec meliùs modò qvàm hircorum sangvis taurorumqve sanctificat (*b*), sed meliùs etiam qvàm sangvis Abel coram Deo loqvitur (*c*). Crescit hoc solatium, ubi velut ore ad pendentis crucifixi corpus apposito illud bibere licet è sacro calice, qvod effluxit è πὶ Θεανθρώπȣ latere. Miseram verò in Papatu & nunc & olim conditionem hominum, ubi jam ab aliqvot seculis nec Laico bibere vivificum illud poculum fas est, & anhelantibus conscientiis pro sangvine Christi succus è panno menstruatæ (*d*), pro illo aqvæ salientis in vitam æternam salutari fonte (*e*), ne-



(a) 1. Joh. 1. v. 7. (b) Ebr. 9. v. 13. 14. (c) Ebr. 12. v. 24. (d) Esai. 64. v. 6. (e) Joh. 4. v. 14.

Digitized by Google

scio qvis putidus liqvor è dissipatis cisternis (f) præbetur. Servavit tamen sub istâ Pontificum Romanorum infami tyrannide qvosdam Deus veræ Medicinæ præcones, qvi sauciis animabus nullum aliud commendarent pharmacum, qvàm, qvod è Christi vulneribus exundāret. Satis hîc sit nobis ex ore duorum Testium veritatem cognoscere. Smaragdus Abbas, noni vel decimi seculi Scriptor, in Postillâ: *Christi humilitate mundamur, qvia nisi humiliâsset semetipsum factus obediens Patri usqve ad mortem crucis, non utiqve sangvis ejus in remissionem peccatorum, hoc est, in nostram mundationem fuisset effusus.* Autor vitis mystiicæ (i), qvæ inter Bernhardi opera legitur: *Bestiæ corruunt in mortem suam, dulcedine sangvinis humani attractæ: Ego non festinabo ad vitam meam, & sangvinem rubicundi Jesu & candidi? Imò verò festinabo: emam & bibam. Properate mecum qvi diligitis Dominum! Si perfectus, si fortis es, vinum est tibi sangvis iste, sangvis meracissimus; si adhuc infirmus es, & cui opus sit lacte, lac est tibi ad nutriendum te. Bibe ergò sangvinem hunc meracissimum fide, memoriâ & intuitu spirituali.* Qvantò cordatior hæc & sanior vox fuit illâ dubitatione, qvam Franciscani publicâ picturâ (h) qvondam in templo Patavino sunt pro-

(f) Jerem. 2. v. 13. (g) c. 33. (Tom. V. Oper. Bernh. f. 128. ed. Colon. Anno 1641.) (h) Repræsentat eam Wolfius Tom. II. memorab. f. 823

professi, cùm Monachum sisterent, qvi medius inter vulnera Crucifixi & lac Virgineæ Matris procumbens, nesciret qvo se verteret. Qvantò fidelior scriptura, qvàm illa Jesuitæ:

*Lac Matris miscere volo cum sangvine Nati.*

Sed exspecta, magis etiam profana percipies. Progressa enim ulteriùs impietas Pontificiæ gentis, qvorumlibet Sanctorum sordes, (qvis enim homo, si unum excipias ἀναμάρτητον, mundus in oculis Dei?) purissimo Christi sangvini non miscuit modò, sed, eventum si spectes, prætulit etiam, donec eo penitùs propè sublato pro justitiâ divinitus nobis partâ meritorum humanorum passim regnarent meræ qvisqviliæ. Imò ad fraudes deniqve & sceleratas imposturas res abiit, cùm, qvi mentis aciem ad Cœlites citiùs qvàm ad Deum flectere condocefacti essent, hi etiam cranium undecunqve sublectum pro sanctis de aliqvo Martyre lipsanis osculari juberentur. Neqve sic tamen finis offuciarum. Pro ipsissimo Salvatoris sangvine, qvem ille vel inter patiendum olim effudisset, vel recentiore prodigio per simulacrum suum aut consecratam hostiam sudavisset, rubigo, resina, sangvis Draconis, pictæ guttæ (horresco referens) obtrusæ. Nimirum justo Dei judicio factum, ut qvi verum sangvinem Christi contemtui habere didicissent, fictitium adorarent. Porrò cùm ea res, plebe ex disitis etiam locis ad novum qvodqve miraculum confluente,

videretur cohortis rasæ crumenas haud perfunctoriè saginare: nec Pontificum bullæ, nec Historicorum mendacia, nec eorum, penes qvos illis temporibus regnum staret literarium, disputationes illi defuerunt: eo tandem operæ pretio, ut plus qvàm centum in locis exhiberetur sangvis Christi. Ac *Mantuanum* qvidem sangvinem, qvi nono demùm post C. N. seculo repertus est (vix enim citiùs genus hoc reliqviarum comparuit,) nescio qvorum Romanorum Pontificum, qvos nec Baronius nominare potest; *Wilsnacensem*, qvi Anno 1384. eruperat (i), Papæ pariter & Conciliorum; *Xantonensem* Anno 1461. Pii II. (k) diplomata confirmaverunt. Fabularum autem magnam ubivis messem est metere. *Mantuanum* Longinus [l], (hoc enim nomen faciunt militi, cujus λόγχη [m] latus Christi aperuit;) *Ruppellensem* Nicodemus Chirothecis collectum suis [n]; *Sanmaximianum* Maria Magdalena cum glebâ terræ sub cruce effossum attulisse finguntur. Mirum nî, & vasculum, qvo sangvinem & aqvam è latere Christi profluentem à B. Virgine & Johanne exceptum narrat fabulosissimus autor Nicephorus, alicubi ostendant αἱματολάτραι. Sed hîc eruditos inprimis scrupulus urgebat qvidam, non tàm Bullis Pontificum, qvas ipsi sæpè contemne-

(i) Crantz. IX. Wandal. 12. f. 210. (k) Silv. Prier. Tract. 3. Aur Ros. q. 31. (l) id ibid. (m) Joh. 19. v. 34. (n) Wolff. II. memorab. & Calvin. de reliq.

Digitized by Google

mnebant, aut Legendis Hagiologorum, qvæ intactum eum relinqvebant, qvàm Scholarum disputationibus eximendus. Credebant, à resurgente Christo, ut humanæ naturæ sibi constaret integritas, receptum intra venas & carnes veterem fuisse sangvinem. Neqve malè hoc qvidem, nisi qvòd partim curiosas qvæstiones admiscerent, partim audaci proterviâ definirent, qvid licuerit Angelis hoc in opere, qvid non licuerit. A qvâ περιεργίᾳ sibi temperantes Theologi nostri satis habent firmissimis rationibus adversus heterodoxos, revivescentem Christum, eò qvòd cruorem ejus computruisse perperàm existiment, tanqvam unum ex Homericis Diis [o] ἀναίμονα facientes, ostendere, *sangvinem ipsius non putrefactum, sed in resurrectione corporis tertiâ die intra sua vasa & corporis venas esse receptum* (p). Hanc ergò doctrinam cùm & inter tenebras Papales conservasset Deus, magna fuit causa dubitandi, unde tanta effusi olim sangvinis prostare possit variis in locis copia, si omnem Salvator intra corpus postliminiò recepisset? Ex hoc dubio Scotistæ se facilius expedivisse videntur, qvàm Thomistæ. Illi enim, qvoniam disputabant, gloriosum corpus non tanto sangvinis proventu indigere, qvanto caducum, qvod in reliqviis deprehenderetur, ajebant esse de sangvi-



(o) Iliad. E. p. m. 178. (p) verba sunt Hunnii c. 14. de Sacram. Tom. I. Oper. f. 1181. Adde Dorsch. & Haberk. d. l.

Digitized by Google

ne, qvia superfluus jam esset, non resumpto. At verò Thomistæ, qvorum Patriarcha dixisset, Sangvinem in passione effusum, fuisse totum reassumptum, magis hîc sudabant. Itaqve unus eorum alterve negabant, qvicqvam divini sangvinis in terrâ superesse. Qvod eos fecisse Silvester qvoqve Prierias ex eâdem familiâ concedens, negat interim unqvam hanc sententiam Ordinis Prædicatorii factam fuisse communem: ipse autem operosè, perqve magnas ambages hoc agit, ut ementitas illas reliqvias etiam in viâ Thomæ defendat. Qvem jam subexcusat [q], ut qvi vixerit ante determinationem Pontificis & Sangvinem Magdalenæum; jam distinctione adjuvat (r) inter sangvinem *radicalem*, de qvo solo Thomas locutus sit, & *nutrimentalem*, qvem in terrâ residuum esse non negaverit. Sed omnium optimè nodum hunc secuerunt Johannes Muntziger [s], Johannes Wunschelbergius [t], Henricus Token (u), Johannes Hussus, & alii, qvi veteratorias fraudes confictì cruoris detexerunt, qvantumqve in se fuit, declamando, scribendo, hortando sibulam imposuerunt errori. Nos verò per Dei gratiam in eâ jam sumus Evangelii luce constituti, ut hâc in re monitoribus carere videamur posse. Religiosè veneramur pretiosissimum cruorem

(q) q. 32. (r) loco jam citato q. 31. (s) Rector Scholæ Ulmensis. (t) Doctor Theologiæ. (u) Canonicus Magdeburgensis.

Digitized by Google

cruorem, qvo redempti sumus: sed in rancidis illis scrutariorum capsis eum non qværimus. Qvare à crastino etiam Oratore nostro, cui cathedram inferiorem patere jussimus, eruditâ pietate & probis moribus præstanti Juvene, JOH. DAVIDE STAPENIO Lipsiensi, nemo exspectet, ut ad Falsariorum, qvos descripsimus, Sacrilegas pyxides Auditorem mittat. Verè potiùs Lutheranum sermonem *de vulneratissimo qvidem, sed optimo Chirurgo Jesu Christo*, qvisqvis interfuturus est, ex Chirurgi non incelebris filio auscultabit. Qvod ut facere placeat Rectori Magnifico, & Proceribus Academiæ Facultatumqve omnium Viris honoratis, cum Flore Studiosæ Pubis, observantiam vicissim nostram, obseqvia cum officiis, & amore polliciti, etiam atqve etiam rogamus. P. P. propridiè Paschatos d. 5. April. Anno 1667.

## PROGRAMMA XLVIII.

# DE MIRACULO LINGVARUM

*Præscriptum Orationi*,

Qvam Anno 1667. d. 25. Maji pridie Pentecostes habuit

FRIDERICUS BENEDICTUS CARPZOVIUS

## De Studio Lingvarum.

INter miracula primæ ab ascensu Christi Pentecostes illa maximè tot Lingvarum

rum in Apostolis dicto citiùs efflorescens peritia Convenas, qvi tùm Hierosolymis morabantur, in stuporem dedit. Qvi pridiè vix vernaculâ satis expeditè, nec ultra plebejorum hominum consvetudinem, usi fuissent, nunc repentè non modò disertissimi prodibant, sed qvasi vel diu essent in variis terræ partibus peregrinati, vel aliqvot annos exoticarum Lingvarum studia excoluissent, Parthos, Medos, Cappadoces, Phrygas, Ægyptios, Cyrenæos, Romanos, Cretas, Arabes, alios suâ qvemqve Dialecto compellabant (a). Neqve enim, qvod opinantur nonnulli, solùm hebraicè concionantibus Apostolis, in auscultantium auribus demùm verba pro singulorum captu familiarem cuivis induerunt sonum, sed hanc tantam varietatem inde usqve ab ipsis dicentium sensibus juxta & labris acceptam diffuderunt. Utiqve omnibus sub sole Nationibus qvi Evangelium erant annunciaturi, eos omnium lingvis, ut populariter intelligi possent, instructos advenire conveniebat. Qvarum notitiam cùm ipsi nullam sibi hactenus comparavissent, visum DEO fuit momen-

(a) Act. 2. v. 4. seqq.

mento temporis eam prodigiosè in illos unà cum aliis Sancti Spiritus donis effundere. Fuit verò miraculi hujus eadem, qvæ cæterorum ratio, ut, ubi gentes in unitatem fidei essent collectæ, cessaret. Ergò qvòd Hildegardin Abbatissam Seculo post C. N. duodecimo legimus, *licet latinam lingvam non didicerit, hanc tamen Spiritu S. inspirante intellexisse, ac Viris doctis qvid dictarent suggessisse*, suspectum nobis est vel ex eo, qvòd hujus Prophetissæ vaticinia fanaticum sapiunt Enthusiasmum. Qvòd autem sub initium seculi decimi qvinti Vincentius Ferrerius ex Ordine Dominicanorum scribitur *illud mirabile Spiritus Sancti donum nactus, ut vernaculam lingvam* (Hispanus fuit) *loqventem omnes passim intelligerent nationes, qvod paucis ab Apostolorum temporibus contigit* [b]: qvis non videt, excogitatum esse ab aliqvo, qvi Apostolorum qvoqve crederet Pentecostales Conciones ab ipsis non nisi patrio sermone habitas fuisse, in adstantium auriculis, qvales qvisqve attulisset, Persicè, Græcè, Latinè sonuisse? At iste Frater *per diversas mundi partes prædicans viginti qvinque milia*

(b) Aubert. Miræ. I. Biblioth. f. 264.

Digitized by Google

*lia Saracenorum ad fidem adduxit.* Scio narrari hoc in Ordinis Prædicatorum Breviario. Qvid autem tùm postea? Igitur, inqvies, è duobus alterum fuit necesse, ut aut in ejus lingvâ, aut in auribus circumfusæ multitudinis miraculum fuerit. Ego verò neutrum fuisse contendo. Illa tot infidelium conversio locupletiorem testem flagitat. Scimus enim pleraqve talia, qvæ solent ex Breviariis juxtà cum Evangelio cantillari, nihil esse minus qvàm Evangelia. Sanè ut alia prætteream, cum Auberto Miræo malè congruit ista relatio, qvi non *diversas mundi partes* hîc memorat, sed *in una Hispaniâ* scribit hoc evenisse. Qvod & similius vero est, cùm constet, illâ tempestate Mauris & Hebræis refertissimam adhuc Hispaniam fuisse, ut has gentes Vincentium, qvas domi haberet, nulla coëgerit necessitas foris qværere. Qvare hoc posito, si maximè fabulatoribus accredamus cætera, qvod ipsum tamen à nobis nondum impetrant, nullo circa dialectum opus miraculo fuit. Dicemus enim, populis per tot jam secula sibi permixtis eam utrinqve sermo-

nis

nis assvetudivem inolevisse, ut alteri alteros differentes haud ægrè perciperent; id occasionem postea dedisse fabulæ. Age tamen, Hispani Declamatoris nullum verbum isti intellectu perceperint. Eodem seculo, qvanqvam junior paulò (c) vixit Johannes Capistranus Italus è Francisci familiâ, qvi Germaniam pervagatus nostram publicis ad plebem concionibus passim latinè habitis, (neqve enim callebat germanicè loqvi,) tantos animorum tùm gestu suo, tùm interpretis voce, qvi conciones ejus integras pari penè prolixitate subseqvebatur, motûs excitavit, ut Viri ludorum instrumenta varia, Fœminæ cultum corporis vanum & luxui servientem palàm concremarent (d). Cur non putemus, Vincentio qvoqve, si homini ulli, nullâ sibi sermonis societate copulato, religionem Christianam persvasit, interpretem suum adstitisse? Profectò minùs peccabit, qvi hoc dicet, qvàm qvi S. Paulo aliisve Apostolis hoc subsidii genere opus fuisse censeat. Certa enim fides est, Apostolis LINGVARUM donum divini-

(c) annum illi 1452. adscribit Calvisii Chronologia.
(d) Krantz. XI. Saxon. 35. f. 308. & XI. Metrop. 39. f. 313.

Digitized by Google

vinitus obtigisse. Post eorum tempora multos scimus repertos, qvi artem crederent, omnes sive Sanctorum sive pro Sanctis à se habitorum Historias fictitiis miraculis inqvinare. Qvorum calamis haud dubiè mendaciorum Pater in id usus est, ut veris qvoqve pretium falsa detraherent. Qvanqvam impostor ille Spiritus etiam aliâ viâ pulcherrimum Dei facinus fœdare aggressus est. Qvasi varias Lingvas momento docere non solus posset Deus, ipse similia conatus est. Sed sceleratum artificem nunqvam non operis prodidit improbitas. Nam ut olim per Phœbadas, non nisi furore manifesto correptas, fatidicos effundebat versûs: Sic in peregrinum eloqvium neminem impulit, qvin mentis simul & corporis sanitatem horrendis affligeret modis. Candidatum qvendam Constantii Imperatoris natione Francum, præter patriam lingvam solius Latinæ gnaram, Eremitæ Hilarioni jam syriacè, jam græcè interroganti, utriusqve idiomatis purissimas voces reddidisse refert Hieronymus. Sed nec idem tacet, immanem hominis hoc ipso in colloqvio rugitum, & qvem-

ad-

Digitized by Google

admodum ab infantiâ possessus à Dæmone fuerit, qvi noctibus eum ululare, ingemiscere, fremere dentibus compelleret. Eapropter non immeritò B. Arnoldus Mengering inter indicia hoiminis energumeni vel primo loco ponit illam lingvarum improvisam notitiam. Nec malè apud Michaëlem Psellum pronunciatur adversus Medicos, qvi hujusmodi affectûs ad causas naturales referebant. Ubi & exemplum habes fœminæ post puerperium in delirio armenicè loqventis, qvæ tamen nec in conspectum Armeniorum venisset unqvam, & præter thalamum & colum nihil sciret. Verùm non æqve placere nobis in eo Scriptore potest vel modus abigendi dæmonis, qvem accersitus consilio muliercularum nescio qvis barbarus gladio & minis fugavit; vel expositio causæ, cur dæmon armeniacum sermonem usurpaverit: *qvia inter gentium Angelos alii aliis assidentes singuli singularum lingvis loqvantur: unde qvæ sint apud Armenios dæmonia, qvamvis aliò se fortè contulerint, eorum tamen sermone tanqvam vernaculo & ipsa utantur.* Qvasi nec armeni-

cè discere dæmon nisi in Armenicâ possit, nec idem pluribus comprehendendis lingvis sufficiat. Unde ergò ille, qvem ex Hieronymo audiebamus paulò ante, δι' λωος fuit? Omninò qvæ de naturâ dæmonum ac potestate leguntur apud illam Dialogistam, non pauca pagano aliqvo Scriptore digniora sunt, qvàm Christiano. Qvod autem de Medicis proferebatur, absit ut eidem reprehensioni omnes includendi veniant. Neqve enim desunt, qvi *& morbos & remedia qvædam trans naturam esse* profiteantur. Qvo titulo peculiare caput librorum de abditis reum causis (*e*) inscripsit elegantissimus Gallorum Joannes Fernelius. Qvi & furorem dæmoniacum à simplici sapienter discernit, & memorabilem recitat historiam (*f*) de qvodam ex familiâ eqvestri juvene Gallo, qvem Episcopum posteà factum è Jac. Carpentario didicimus. Cùm enim hic pro epileptico satis diu, sed frustra, curatus esset, *mense tertio primùm deprehensus dæmon voce insvetisqve verbis ac sententiis tùm Latinis tùm Græcis*, [ *qvanqvam ingnarus Lin-*

(e) qvod est libri II. 16. p. 237. ed. Francof. Anno 1581.
(f) ibid. & p. seq.

*Lingvæ Græcæ laborans esset,) se prodens multa assidentium, maximeqve Medicorum secreta detegebat; ridens, qvòd eos magno periculo circumvenisset, qvodqve irritis pharmacis corpus hoc penè jugulassent.* Eqvidem à Fernelio diversus hic abit popularis ejus Riolanus: sed hujus divortii causa, nisi fallor, hæc èst præcipua, qvòd liberiorem Philosophandi rationem secutus est Fernelius; cùm Riolanus contra plus æqvô videatur sevitium addixisse Aristoteli. Qvi qvidem in hoc genere qvæstionum non magis absqve provocatione admittendus est judex, qvàm Plato, vel qvivis extra Ecclesiam alius. Qvare nec Pomponatium, nec Lemnium, siqve his sunt similes alii [g], moramur magnoperè, qvorum alter Aristoteli, alter Platoni propria, uterqve ante Riolanum, à qvo & Lemnius citatur nominatim (h), scribentes illi hanc opinionem præiverunt. Inter Lemnium tamen & & Riolanum hoc interest, qvòd ille saltẽ qvosdam, qvi Lingvam sibi alias ignotam



(g) Conf. Huart. scrutin. ingen. p. 181 185. seqq. (qvem citat & Joh. Imperial. Musæ. Phys. sive de ingen. hum. lib. II. c. 8. p. 105.) Conf. item Vanin. de arcan. nat. dial. 54. p. 407. (h) p. 40.

Digitized by Google

tam loqvuntur, à dæmone obsessos esse haud obscurè concedit; hic sententiam suam nulla distinctione temperatam nimis crudè proloqvitur. Ad hæc cùm uterqve humorum ferociam causetur, tamen qvæ supra captum suum hoc statu ægrotus loqvitur, Lemnius ad divinam animæ vim refert, omnium rerum scientiam in se ipsa complectentis, Riolanus nescio cui temeritati potiùs imputat. Nempe Lemnium ad Platonem inclinare, Riolanum ab Aristotele totum pendere, dictum est. Hæc ita cùm sint, illùm Platonis de reminiscentia vel metempsychosi, illum Aristotelis de nullis infra lunam dæmonibus, vel de enthusiasmo ex atræ bilis exorbitantiâ oriundo (i) errorem proscribere, fuerit simul opinioni, qvæ dæmoniacum eloqventiæ genus innocenti naturæ tribuit, fauces intercludere. Nam Riolanus, qvi *dæmonem extremum ignorantiæ perfugium* hîc vocat, illud audiet vicissim, à se *Deum cœlo, dæmones mundo deturbari* (k). At, inqviunt, si à malis geniis insvetus ille sermo est, cur vacuatione humoris melan-

(i) Sect. 30. probl. 1. f. m. 626. (k) Carpent. I. ad. Alcin. p. 347.

lancholici cessant loqvi peregrino idiomate? Possem hîc fidem exemplorum vocare in dubium, sed non faciam. Respondeant nobis vicissim, cur in illo nobili Gallo, cur in muliere Laudunensi (1) nihil effecerunt illæ purgationes? Ajet fortasse Lemnius, alios ægrotorum à merè naturali affectu, alios à dæmone vexari. Atqvi cùm puerperam apud Psellum gladius dæmone liberavit, negabunt Theologi, ferro Spiritum cessisse aut minaciis: fraudem fuisse ac simulationem dicent. Idem affirmabunt, ubi medicamenta rem transegisse visa sunt: aut piis, qvæ forsan intervenerunt, precibus plus tribuent, ad ea certè egerenda, qvæ dæmon apto sibi balneo accedens unà secum intulerat, efficaciæ. Omninò si, qvod Christianos decet, Platonicam ejuremus ἀνάμνησιν, fingi nihil valet, qvod persvadeat, ab humore vitioso posse hominem idiotam naturaliter imbui justâ notitiâ non dicam Lingvæ anteà ignoratæ, sed ullius Veritatis aliàs nondum acqvisitæ: ut rectè confessus sit Riolanus, facilius hîc esse Platonicis, qvàm Peripateticis causam reddere.



(1) apud Carpentar. p. 348.

Digitized by Google

Sed controversiam hanc, Lemnio in primis respondens, Carpentarius paulò copiosiùs exeqvitur, ad qvem Lectores Benevolos ablego. Nunc ab iisdem humiliter, officiosè, amanter contendo, ut crastino mane post octavam horam in Auditorio nostro doctissimi, & ut paucis multa complectar, suâ familiâ planè digni Juvenis FRIDERICI BENEDICTI CARPZOVII Orationem *de Studio Lingvarum* excipere suâ præsentiâ ne graventur. Elegit argumentum Ornatissimus Adolescens, non sibi minùs qvàm tempori congruum. Causa Deo est, cur miraculosum peregrini sermonis habitum, qvem in Apostolis conciones Pentecostales propediem obstupescent, non continuet ampliùs. Phreneticam dæmonis eloqventiam nemo sibi optat sanus. Ergò superest, ut invictâ industria, cui nunqvam denegavit ardenter invocatum Numen suam gratiam, exoticas Lingvas comparet sibi, qvicunqve non plebejus esse inter Literatos cupit. Hoc illud est, qvod Commilitonibus suis svadere conabitur noster, tantò idoneus magis Orator futurus, qvòd non voce tantùm, sed exem-

plo

plo movere ſtudioſam Juventutem poterit. Summos autem Viros, utriusq; Reip. Patres, cæterosqve dignitate conſpicuos Auditores, qvorum in primis honorifica ipſi præſentia futura eſt, caſtigata verborum latinitas permulcebit. Nos officium grati & prædicabimus, & ubicunqve ſinet facultas, reddere ſedulò annitemur. P. P. propridiè Pentecoſtes Anno 1667.

## PROGRAMMA XLIX.

*Præſcriptum Orationi*

Qvam Anno 1668. d. 9. Sept. habuit

JOHANNES WILHELMUS STAMM,
Holmia Svecus

De Lundenſi Academiâ.

QVod felix eſſe fauſtumqve jubeat
Supremus Ingeniorum Arbiter

DEUS OPTIMUS MAXIMUS!

Craſtino mane,

poſt ſacrum ex Ædе Nicolai cœtum dimiſſum,
In Collegii Principum Majoris Auditorio

DE LUNDENSI ACADEMIA

Scandinaviæ veteris ocello novo,



Digitized by Google

Qvam
à Potentissimo Svecorum Rege
CAROLO GUSTAVO,
ut demonstraret,
Se non minora deberi Sibi velle
à Musis,
qvàm ipse acceptum ferret
Marti,
conceptam animo ac præfiguratam,
anteqvam in Superorum sedes evocaretur,
hujus ipsius anni Februarius mensis,
sub auspiciis
Felicissimi Filii
CAROLI UNDECIMI
nascentem vidit,
publicè verba faciet
JOHANNES WILHELMUS STAMM,
Holmiâ Svecus,
Natus in delicias Patriæ Juvenis,
Cui ut Se
post integrum, & qvod excedit, sexennium,
Germaniæ Academiis datum,
restituat,
propediem ex hâc urbe discedet.
Nimirum reputavit,
non posse Se
vel svaviorem vocem emittere,
qvâ Lipsiæ, Matri suæ hactenus, valediceret,
qvàm qvæ laudaret Academiam;

vel

Digitized by Google

vel Scriptum afferre tempestivius,
qvo se PATRIÆ PARENTI commendaret redux,
qvàm cui titulum faceret LUNDIA.
Ita REX AUGUSTUS,
Academiæ novæ Fundator;
Ita REGIS AUGUSTA MATER,
Academiæ nascentis Obstetrix;
Ita REGNI OPTIMATES AMPLISSIMI,
Academiæ consecratæ Testes,
gaudebunt universi,
ubi cognoscent,
non potuisse celebrari lustricum Filiolæ suæ diem,
nisi ipsi inclamarentur.
Nostra verò Lipsiensis
abiturientem Filium,
qvem moribus egregiè sedatum amavit,
pulchrè tinctum literis approbavit,
cum osculo benevolentiæ proseqvetur,
tamqve cariCivis desiderium
solabitur exemplo rrium Academiarum,
GISENÆ, ARGENTORATENSIS, TUBINGENSIS,
qvæ hoc è Sveciâ pignus
simili sorte acceperant,
ut subinde preciosius dimitterent.
Omnibus tamen bearior nostra,
qvòd in studio Sapientiæ civilis



Digitized by Google

ultimos ipsi progressus imputat STAMMIUS.
Adeste PROCERES ACADEMIÆ,
Adeste PROCERES CURIÆ,
Adeste ex qvocunqve doctrinæ literatæ censu
Senes Venerandi,
Viri Spectabiles,
Juvenes expoliti,
Sive ultimum eruditionis culmen jam conscendistis,
sive ultimo proximi manum jam illi injecistis,
sive præeuntium vestigia legitis;
Adeste!
& qvem olim Gisensis Academia
Semel de STATUIS ROMANORUM,
iterum de CAJO CALIGULA
disputantem audivit & æstimavit,
nunc de Academiarum recentissimâ
perorantem auscultate & miramini.
Dignam profectò miraculo rem
unius semihorulæ spacio
dabit effectam Orator noster.
Statuas Romanorum
priscis sedibus revulsas
remigio lingvæ transvehet in Scandinaviam,
& eriget Academiæ novellæ Structoribus:
simul similis Sibi,
dum statuas easdem denuò tractabit;
simul dissimilis,
dum non Cajos Caligulas exprimet stilo,
sed Reges Augusto feliciores,
Trajano meliores.
Vos
Digitized by Google

Vos dicturo favete,
& ab illo memoriam beneficii sempiternam,
à nobis gratiam indelebilem expectate.

*P.P. d. 8. Septemb. A. MDCLXVIII.*

# PROGRAMMA L.

# ADVERSUS ANONYMUM, DE LIBERTATE PHILOSOPHANDI

*Prescriptum Promulgationi Lectionum publicarum Facultatis Philosophicæ*

Anno 1670. d. 8. Maji.

CUm ante hos qvinqve annos Facultatis nostræ Professorum Lectiones indicerentur [a], disputatum est aliqvid adversus *Edmundi Dickinsoni Oratiunculam pro Philosophiâ liberandâ*, qvæ Delphis ejus Phœnicizantibus Oxoniæ Anno 1655. vulgatis adjuncta legitur. Nunc eadem nos invitat occasio, ut aliqvid opponamus *Tractatui Theologico-Politico* similis argumenti, Hamburgi, si titulo credimus [b], excuso, nec ita pridem ad nos, (musteum enim opus est, hoc ipso videlicet anno editum,) allato, qvo nescio qvis lucifuga Scriptor (c) ostendere conatur, *Libertatem Philo-*

*so-*

(a) Factum hoc supra Programm. XXXIX. (b) Non levis conjunctura est, prodiisse id potius ex qvodam Typographeo Amstelodamensi. (c) nuspiam enim nomen ex-

Digitized by Google

*sophandi non tantùm salvâ pietate & Reip. pace posse concedi, sed eandem, nisi cum pace Reip. ipsâque pietate, tolli non posse* (*d*). Par scopus utriqve fuit autori, ut opinandi, novisqve orbem dogmatibus inundandi maximam svaderent licentiam. Hoc interest, qvòd Pandoram suam Dickinsonus qvidem in Philosophorum Scholas tantum; alter ille potiùs in Sacraria Theologorum introducere laboravit. Qvanqvam & hic, si titulum inspicias, non aliam libertatem profitetur, qvàm *Philosophandi*: res ipsa tamen loqvitur, omnium *Religionum* infinitam licentiam hoc eum nomine occuluisse, sive qvòd erubesceret infame portentum in ipsâ statim libri facie denudare; sive qvòd sui rationes delirii sic instituisset, ut qvas nos vocamus controversias fidei, ipse non ad fidem, sed ad Philosophiam referret. Nimirum *fidei* vocabulum ad solam obedientiam, [h.e. si eventum rimeris, ad externam in humano foro honestè vivendi disciplinam,] arctavit; ex adverso Philosophiæ laciniam ad omnem veritatem, [etiam sine qvâ placere Deo nos posse negant orthodoxi,) extendit [*e*]. Eâ re factum, ut

primit suum. Cognovi tamen posteà, impii hujus scripti autorem esse *Benedictum Spinosam*, Exjudæum blasphemum, & formalem Atheum. (d) hæc ipsa verba leges in titulo operis. (e) cap. XIV. cùm p. 162. asseruisset, *fidem non tam requirere vera, qvàm pia dogmata*, postea p 165. 165. hæc profert: *Philosophia scopus nihil est præter verita-*

Digitized by Google

ut illius Philosophicæ libertatis exemplum laudaret in urbe Amstelodamensi, in qvâ *omnes*, inqvit (*f*), *cujuscunqve nationis & sectæ homines summâ cum concordiâ vivunt, --- & nulla omninò tam odiosa secta est, cujus sectarii, (modò neminem lædant, & suum unicuiqve tribuant, honesteqve vivant,) publicâ Magistratuum autoritate & præsidio non protegantur.* Scire sic, opinor, licet, qvænam illa sit Resp. qvam in præfatione [*g*] prædicans, rarærqve felicitati imputans, qvòd in eâ sibi vivere contigisset, eam esse ait, ubi unicuiqve judicandi libertas integra concedatur. In hâc tantâ felicitate tam infelix ipse fuit, ut nominis eum sui puduerit: nempe hominem Religionis illius, qvæ Sectas omnes, & natas in hunc usqve diem, & nasci possibiles; dummodò sit in generalissimis qvibusdam, iisqve paucis capitibus (*b*) consensio, æqve

*tem; Fides autem --- nihil præter obedientiam & pietatem.-- Fides igitur summam unicuiqve libertatem ad Philosophandum concedit, ut, qvicqvid velit, de rebus qvibuscunqve sine scelere sentire possit.* (f) c. ult. p. 232. (g) † 3. (h) Qvinqve articuli Eduardi Herberti, Naturalistarum hujus ævi Patriarchæ, noti sunt è cap. ejus 1. de Relig. Gentil. p. 2. & è p. 268. seqq. de Veritate. Ille verò, de qvo hic loqvimur, Anonymus fundamentalia fidei catholicæ dogmata nulla præter hæc septem agnoscit c. XIV. p. 163. *1 Deum existere. 2. eum esse unicum. 3. omnia ipsi patere. 4. ipsum in omnia supremum habere jus. 5. cultum Dei ejusqve obedientiam in solâ justitiâ & charitate, sive amore erga proximum consistere. 6. omnes, qvi hac vivendi ratione Deo obediunt, salvos tantùm; reliqvos autem, qvi sub imperio solutatum*

Digitized by Google

æqve probans patentem Atheismo portam aperit. Naturalismum appellare solemus; cujus rudimenta vel institutiones, bonam partem è pestilentissimis duorum nostri seculi Novatorum principiis confutas & interpolatas qvi librum nominet, fortasse rem ipsam dicat. Cùm enim totius operis duas partes (*i*) animo concepisset Autor, qvarum altera Libertinismum illum veræ fidei seu Religioni, altera paci Reip. consentaneum esse defenderet: prior Theologiam Edoardi Baronis Herberti, posterior Politicam Thomæ Hobbesii sapit. Neqve nihil Præadamitæ Peyrerio debere videtur (*k*). In eo autem propriam sibi patitur insaniam, qvòd ne Deo qvidem Prophetis loqventi plura vult infallibiliter credi oportere, (hor-

*vivunt, perditos. 7. Deum pœnitentibus peccata condonare.* Posteà sic disserit: *Cæterùm qvid Deus sit, an scil. sit ignis, Spiritus, lux, cogitatio &c. id nihil ad fidem: -- nihil etiam ad fidem, si qvis credat, qvòd Deus -- res dirigat ex libertate, vel necessitate naturæ; -- qvòd homo ex arbitrii libertate, vel ex necessitate divini decreti Deo obediat.* -- (i) Insinuat has partes titulus qvodammodo, dum *Pietatem à Reip. pace* distingvit. Clariùs hanc partitionem indicant verba præfationis †† *1. Postqvam hic libertatem, qvàm lex divina revelata unicuiqve concedit, ostendi, ad alteram qvæstionis partem,* (inchoatur ea cap. XVI.) *pergo, nempe hanc eandem libertatem Salvâ Reip. pace & Summarum potestatum jure posse & etiam concedi debere.* (k) Intelliges, ubi qvæ Anonymus c. II. p. 22. 23. de Sole temporibus Josuæ stante, de umbra in horologio Achas retrogradâ, de Noachi diluvio disserit, compones cum Systemate Præadamitæ Theologico lib. IV. c. 4. 5. & 7.

Digitized by Google

[horrescit hæc scribens calamus,] qvàm qvæ de substantiâ sint revelationis ac fine (*l*), nempe qvòd in cæteris non tam veritati se Deus, qvàm opinionibus Prophetarum, qvæ falsæ non rarò fuerint, accommodaverit (*m*). Verùm de hâc profanitate proferre plura non est hujus instituti, præsertim cum honoratissimum hactenus Collegam nostrum, FRIDERICUM RAPPOLTUM, summæ Virum eruditionis ac sapientiæ, cognoverimus in eo nunc esse, ut Naturalismi totius eversionem argumentum faciat habendæ propediem Orationis, qvâ Theologicam Professionem, [qvod felix faustumqve sit!] auspicetur. Id agebamus tantùm, ut Anonymi ratiunculas, qvæ sepositâ etiam hypothesi naturalisticâ insanam qvidvis in qvocunqve disciplinæ genere novandi licentiam colorant, vocaremus ad examen. Eas ipse reservavit vigesimo sui Tractatûs, h. e. ultimo capiti, qvo, ut habet lemma, *ostenditur, in liberâ Rep. unicuiqve & sentire qvæ velit, & qvæ sentiat, dicere licere.*

Observamus initiò, tametsi libertatem istiusmodi non tam Regis aut Optimatum statui, qvàm

(l) Ea verò qvàm actis limitibus intludat, vel hoc lemma docebit cap. XIII. *Ostenditur, Scripturam non nisi simplicissima docere, nec aliud præter obedientiam intendere, nec de divinâ naturâ aliud dicere, qvàm qvod homines certâ vivendi ratione imitari possunt.*

(m) cap. II. p. 28. §. *Satis superqve*: ubi postea Kainum qvoqve Prophetis annumerat.

Digitized by Google

qvàm Democratico regimini, (hoc enim ipsi est *Resp.* libera,) convenire innuit [n] : (nec diffitear, populari formæ cum illâ Naturalismi Babele maximam intercedere sympathiam ] argumenta ejus tamen præcipua tam esse generalia, ut in qvamlibet Reipublicæ speciem, si qvid valent, æqvè valeant: illud in primis, à qvo caput orditur, de impossibili. Nam si qvid impossibile est, non minus in eo ludet operam Rex Monarcha, qvàm Populus liber.

Jam in fine capitis ipse qvidem in sex puncta, qvicqvid hîc dixerat, colligit: sed instituto nostro, qvibus à spatio chartæ lex præscribitur, forsan & analysi, cujus ipse non exqvisitissimus fuit artifex, meliùs consuletur, si rem omnem ad tria revocemus. Sic enim est: *primò* impossibile putat, libertatem isthanc hominibus adimere (o); *deinde* qvosdam ipsi tamen limites ponit (p); *tandem* objectioni, qvæ libertatem ex incommodis reprehendit, satisfacere conatur (q). In singulis ea tantùm, qvæ videbuntur eminere, perstringemus.

De *primo* hæc ejus verba excerpo : *Nemo jus suum naturale, sive facultatem suam liberè ratiocinandi --- in alium transferre, neqve ad id cogi potest. Hinc ergò fit, --- ut summa majestas injuriam subditis facere --- videatur, qvándo unicuiq;*

(n) videp. 225. in fin. & conf. p. 231. item præf. † 3.
(o) ab initio capitis p. 225. (p) pag. 226. §. *Verùm enimverò neqvaqvam.* (q) p. 229. §. *Qvidem fatear.*

Digitized by Google

*cuiqve præscribere vult, qvid tanqvam verum amplecti, & tanqvam falsum rejicere --- debeat; hæc enim uniuscujusqve juris sunt, qvo nemo, etsi velit, cedere potest -- (r). -- Si itaqve --- unusqvisqve maximo naturæ jure dominus suarum cogitationum est, sequitur in Rep. nunqvam, nisi admodùm infelici successu, tentari posse, ut homines qvævis diversa & contraria sentientes, nihil tamen nisi ex præscripto Summarum potestatum loqvantur: nam nec peritissimi, ne dicam plebem, tacere sciunt (s).* Hic assentior, imperio civili nihil esse potestatis in cogitatus internos (t) qvà tales, qvanqvam hujus rei causam non satis explanatè tradit Anonymus. Sed cave cum ipso [u] ab his internis actibus ad illos loqvendi, aut signis aliis cogitata mentis edendi, externos argumenteris. Nam hos id ipsum, qvòd externi simul & liberi sunt, obnoxios facit imperio Superiorum. Imò verò, inqvit noster, non sunt liberi. Qvis enim tacere potest? Sanè tui similes, Anonyme, tacere non possunt. Nam si potuisses, non qvæsivisses Typographum. Sed videamabò, in hâc ipsâ impotentiâ tuâ vel scintillam libertatis. Nam bellissimè potuisti nomen tuum obticescere. Hoc autem scire te velim, posse legem etiam impo-



(r) p. 225. (s) p. 226. (t) notum adagium: Gedancken sind Zollfrey: de qvo Joh. Agric. Sprichw. n. 155. p. m. 68. (u) Facit hoc non tantùm hic, sed & membro seqvente, ubi qvære literam y.

Digitized by Google

tentibus poni, si hanc impotentiam illis pravi mores induerint. Multi non possunt furaces manus cohibere: nec horum tamen contemplatione Te credo furandi licentiam introductam cupere.

Progredior ad membrum *alterum*. In qvo rectè qvidem hæc pronuncias [w], (pergam enim te alloqvi,) *perniciosissimum* esse, *libertatem omninò*, h. e. nullis circumscriptam terminis, *concedere*. Sed termini tui parùm sanæ Politicæ fundamentis, qvæ excutere hîc non licet, superstructi, partim inepti sunt, si *modum* reputo; partim, si *objectum*, laxi nimis. Ad *modum* hæc pertinent, cum ais (x): posse aliqvem *contra summarum potestatum secretum omninò sentire & consequenter etiam dicere* (y), *modò simpliciter tantùm dicat vel doceat* (z), *& sola ratione, non autem dolo, irâ, odio, nec animo aliqvid in Remp. ex autoritate sui decreti introducendi defendat*. Graviùs eum peccare fateor, qvi, dum recepta suæ Civitatis decreta convellit, affectûs malevolentiæ miscet: sed sæpè magis nocet speciosis rationum coloribus picta, qvàm turbulenta passionum fluctibus Oratio. Rectius opinor distinxisses inter secreta pectoris, qvæ se privatim exonerant in sinum amici taciturni, (qvanqvam

(w) p. 226. (x) p. 227. (y) respice ad lit. u. (z) Contra decretum summarum potestatum *agere* vetat Scriptor in præcedentibus; *docere* hîc non vetat: qvasi docere non sit agere.

Digitized by Google

qvam in causâ malâ ne qvidem clandestina communicatio hæc notam criminis omnem effugit,) & qvæ diffunduntur per plateas publicas. Neqve noxam hîc effugiet illa cautio, si qvis simul suam sententiam judicio summæ potestatis submittat (a), qva in hoc opere te qvoqve usum video [b]. Nam qvi palam disseminat venena, ut ea se maximè dicat Medicorum censuræ subjicere, non ideò minorem edet stragem. Anteqvàm adveniat Medicus, jam turba cadaverum erit: imò genus hoc veneni tantò bibitur avidiùs, qvantò severius vetatur. Ad *objectum* ubi pervenisti, opiniones in Rep. seditiosas, eoqve minimè ferendas, eas tantùm judicas, *qvæ simul ac pronunciantur, pactum, qvo unuqvisqve jure agendi ex proprio suo arbitrio cessit, tollitur: è.g. si qvis sentiat, summam potestatem sui juris non esse, vel neminem promissis stare debere*: cæteras seditiosas esse inficiaris, *nisi fortè in Rep. aliqvâ ratione corruptâ* (c), h. e. ut è seqventibus intelligo, *qvæ non unicuiqve eandem philosophandi libertatem concedat, qvam fides* (Naturalistica tua) *unicuiqve concedit* (d). Sic ergo per te nulla lex vetabit, qvò minùs furiosissimus qvisqve virus in religione suum evomat publicè: qvale his & ipsis nundinis *de statu, loco & vitâ animarum* nescio cujus anonymi Disqvisitoris (e) circumvolavit.



(a) p. 227. (b) in fine totius libri. (c) p. 228. (d) p. 229. (e) Impressa Disqvisitio est in duodecimo absqve loci temporisqve mentione. Castigavit jam eam obiter E-

Digitized by Google

Atqvi seditiosas opiniones illas qvoqve meritò censemus esse, qvæ consentientes alioqvi circa fidem rectè se habentem animos, cum periculo salutis æternæ, discindere possunt in factiones. Ne illa qvidem insuper habenda est seditio, qvâ tot ac tam diversæ Philosophantium viæ discipulorum ingenia conturbant, dum, ut ait Comenius (*f*), non in commune ædificamus, sed in partes dilapsi sua tantùm qvisqve communire, aliena cuniculis qvibuscunqve subruere satagit.

Tu verò, ut ad *tertium* veniamus, hæc incommoda parvipendis, jamqve pensari vis ea ingenti commodo: nam *hæc libertas*, ais, *apprimè necessaria est ad scientias & artes promovendum* (*g*), qvæ tamen libertas longè disfidet ab illâ nobis invisâ (*h*); jam oppositæ servitutis incommoda enumeras: Seqvi enim *adulationem & perfidiam, ut homines qvotidiè aliud sentiant, aliud loqvantur* (*i*); seqvi *Schismata*

rasmus Francisci in præf. seines Geschicht-Spiegels.

(f) Diatyp. Pansoph. p. 55. qvem & vide p. 36. 56. Meretur enim omninò contra Libertinos illos legi: qvanqvam despero fore, ut aliqvando per universum orbem illa, qvam svaviter somniat, Pansophiâ regnet, qvâ sublatis disfidiis (p. 32.) *nemo se in Philosophiâ dicet Platonicum vel Aristotelicum, in Theologia Lutheranum vel Calvinianum, omnes autem Philosophos & Christianos* (p. 60.) (g) p. 229. (h) Liberum esse nos etiam volumus nobilioribus ingeniis, inventa nova nec periculosa Eruditorum judiciis modestè exponere; non liberum Bambalioni cuivis, nugas suas Scholis obtrudere. (i) p. 229.

Digitized by Google

*ta in Ecclesiâ* (*k*); seqvi *Virorum honestorum, qvi diversa sentiunt, & simulare nesciunt, exilia & neces* (*l*); jam *Amstelodami* urbis exemplo confici putas, qvæ ex immani illâ tuâ libertate oriantur *incommoda, solâ summæ potestatis autoritate vitari posse* (*m*). At enimverò temperata Servitus nostra neminem cogit, animi sensa dissimulare, tantùm vetat publicè receptis per contumaciam obniti (*n*). Schismatum autem longè major est metus ab illâ Naturalismi licentia, qvam ubi lingvam omnium unam & cor unum esse Leges jubent. De exiliis & necibus qvæ dicis, ad ea respondeant Pontificii: nos illa non feriunt, qvi negamus, religionis ergò vim esse cuiqvam, nisi seditionis aut blasphemiæ flagitium accedat, inferendam. Apud Amstelodamenses civili pace Sectas omnes cum hominibus frui audio, pace spirituali cum Deo frui non audio, neqve, si à Te audiam, credo. Lauda interim Tu in urbe unâ tot sectas. Ego in Academiâ nostrâ laudo tot Professorum ut religionem unam, sic unam studia discentium promovendi cupiditatem. Cui hæc ipsorum πινακίδια testimonium dicent.

*MANE.*

Hora VI. D. JOHANNES ITTIGIUS, Phys. Prof. Publ. Acad. p. t. Rector, Synopsin Physicam, qvam superiore anno auspicatus est, non-



(k) p. 230. (l) ibid. (m) p. 231. 232. (n) Anonymus ipse p. 227. Civem suum *sæpè contra id, qvod bonum judicat, & palam sentit, agere debere*, pronunciat.

Digitized by Google

dum verò propter negotia publica ad finem perduxit, qvantum muneris gravitas permittet, continuabit.

Hora VIII. L. VALENTINUS ALBERTI, Dialect. Philipp. & Metaph. P. P. ex Logicâ diebus Lunæ & Martis, Jovis autem & Veneris ex Metaphysicâ, Canones non ubivis obvios, nec ab aliis satis expositos seligere, eorumqve 1. Autores, 2. fontem in præceptis, & 3. exempla tradere, 4. antithesin & 5. abusum refellere perget, observans scilicet, hunc laborem gratum non minùs ac utilissimum esse Studiosæ Juventuti.

Hora IX. M. JOHANN. Kühn/ Prof. Matth. continuabit & hâc æstate absolvet doctrinam Astrologicam, cui calculum Eclipsium subjunget, præmissis Elementis Arithmeticis, Logisticis præsertim, ad motuum cœlestium supputationes necessariis. Operæ privatæ erunt occupatæ circa Operationes Geodæticas, experimenta Optica, & observationes Astronomicas.

Hora XI. M. JOACHIMUS FELLERUS, Poes. Prof. P. Lectiones suas propediem, Jesu Fortunante, auspicaturus, vestigiis Plur. Rev. & Ampliss. Dn. D. Rappolti, hactenus Poes. nunc Theol. P. P. celeberrimi, pro virili insistet, qvin & ipse Horatium ad Philosophiam perget exigere, cumqve jam duo Carminum Horatianorum Libri ab Optimo Anteceſſore hoc genere commentandi sint absoluti, deinceps tertium

Digitized by Google

tium qvoqve & qvartum pertractabit eodem modo, adeoqve, qvæ aut Peripaton Aristotelis, aut Stoicorum porticum, aut hortum Epicuri redolebunt in illis, (Eclecticum enim Flaccum fuisse constat,) ea certis observationibus inclusa exhibebit. Et hæc qvidem dictabit ad calamum. Cætera verò, qvæ ad Humanitatem spectabunt, monebit obiter, & qvasi per discursum.

## A MERIDIE.

Hora I. M. JACOBUS THOMASIUS, Eloq. Prof. P. & h. t. Collegii Philosophici Decanus, perget in dictandis illustrandisq; Thematibus Oratoriis, initium facturus a Themate de Raptu Sabinarum.

Hora II. M. OTTO MENCKENIUS, Phil. Pract. Prof. P. Hugonis Grotii de jure belli ac pacis Librorum succinctam per aphorismos politicos analysin, ipsumqve adeò operis istius nucleum publicis prælectionibus exhibebit. Intra privatos verò parietes Grotiani operis textum fusiùs interpretabitur, ventilandumqve privatis Disputationibus subjiciet. Universam item Philosophiam Practicam secundum ductum Thomasianarum Tabellarum iis tradet, qvi ex fontibus Aristotelicis solidiorem hujus disciplinæ notitiam cupiunt haurire. Eoqve absoluto vel Svetonii Augustum eâ, qvâ hactenus Cæsarem, methodo, vel taciti Annales



Digitized by Google

πρακτικωτέρας πολιτικῆς studiosis, Deo Vires indulgente, explicabit.

Horâ III. CHRISTIANUS FRIDERICUS Franckenstein / L.L. & Histor. Prof. Publ. perget in explicandâ Historiâ Universali juxta Ideam Bunonis. Privatim Geographiam tradet, itemqve Notitiam Imperii Bœcleri elucidabit.

Hora ead. L. JOHANNES OLEARIUS, Græcæ Lingvæ Professor, Publicè, qvæ super sunt in MATTHÆO, capita tredecim intermedia à XIII. ad XXVI. cum fine anni finire studebit, reliqvum temporis ad nundinas usqve vernales daturus enarrationi Historiæ passionis ac resurrectionis Dominicæ à LUCA descriptæ; privatim textus Evangelicos festivales ac deinde pericopas Epistolares sucinctis aphorismis Philologiæ Græcæ Sacræ inservientibus illustrabit. THEOPHRASTI qvoqve characteres ethicos, librum planè aureum, explanando studiosæ juventuti familiarem reddet.

Hora IV. M. ANTON. GUNTH. HESHUSIUS, Aristotelici Organi Prof. Publ. enucleatis hucusqve libris, qvi formalem Syllogismi Analysin in Organo spectant, eos qvô fieri poterit compendio explicabit in posterum, qvi Analysin docent materialem, totiusqve Logicæ & objectum continent, & finem principalem.

P.P. Dominicâ Rogationum d. 8. Maji Anno MDCLXX.

PRO-

Digitized by Google

# PROGRAMMA LI.

# DE VERA LINGVÆ GERMANICÆ ELOQVENTIA

*Præscriptum Orationi,*

Qvam Anno 1670. d. 14. Maji habuit

SEBASTIANUS OHEIM, Lipsiensis

## De priscorum Germanorum facundiâ.

QVanqvam non eadem reperitur in omnibus Lingvis svavitas atq; gratia: nulla tamen per orbem est universum, qvæ assiduâ tractatione non duci se atqve fingi in aliqvem eloqventiæ vultum patiatur. Nam si qva fortè asperiore sono aures lædit, aut confragoso literarum strepitu ipsis etiam loqventibus molestiam creat pronunciandi: eam tamen non secus atqve lapidosum & horrentem tribulis agrum, pertinax runcandi &, ut sic loqvar, exossandi studium diligensqve cultura emollit tandem, atqve in lætiorem faciem vestit. Imò, si cura hæc absit, ipsa dicendi audiendive consvetudo difficultatibus inamœni sermonis medetur, & ejus impolitiem subtrahit sensui. Nam sic & Rhe-



Digitized by Google

tor Demosthenes, cùm ita balbus esset, ut primam suæ artis literam non posset dicere, perfecit meditando, ut nemo planius eo locutus putaretur (a): & barbaram Turcarum nationem ferunt ad stridorem nescio qvorum sibi familiarium organorum, qvo qvidem nihil sit inconditum magis, similiter affici atqve cultas gentes ad dulcissimi cantûs modulamen (b). Qvis ergò miretur, ubi semel qvantumvis horrentes voces pati absqve offensione aures didicerint, si in iis nitorem qvoqve & affectuum movendorum vim deprehendant? Qvid qvòd ipsa eloqventia non eodem ubivis habitu se ostendit? jam viriliter robusta, ut copias adversarii frangat; jam mundo muliebri ornata, ut per delicias obrepat; jam simplici Orationis atqve laxo genere plebem erudiens; jam acutis sententiis & breviloqventiâ gregi se approbans erudito: aliàs gravi ac senili incessu autori-

(a) Cic. I. de Oratore p. 108. (b) Spero Speronius in Dialogis Italicè scriptis, Dial. delle lingve p. 94. *Mi ricordo, essendo una volta in Vinetia, ove erano giunte alcune navi de Turchi, udire in qvella un romore di molti stromenti, del qvale ne l'piu spiacevole, ne l' piu noioso non udi mai alla vita mia: nondimeno à coloro, che non sono usi alle delitie d' Italia parea qvella una dolce musica.*

Digitized by Google

toritati ſuæ; aliàs ſcenicâ ſubſultatione voluptati ſerviens aliorum: eſt ubi mellitos verborum globulos, ſeſamoqve ac papavere ſparſa dicta jaculari opportunum putet; eſt vicisſim, ubi ferrum grandinare, & lapides pluere, ſi qveat, velit. Qvorum ut illud optimè præſtiterit delicatæ alicujus gentis Lingva: ita hoc non feliciùs aſſeqvetur, qvàm ſi durioris populi ſermonem uſurpet. Adeò nulla eſt Lingva, qvæ, ſi qvidem ſibi relinqvatur, omnes eloqventiæ imagines æqvè commodè induat, perinde ut ex inſtrumentis muſicis alia prælio aptiora ſunt, alia ſcenæ & choreis. Rurſum neqve tam ſiniſtrum genium ulla gens habet, qvin ad certam facundiæ gloriam intra ſuæ regionis ambitum adſpirare ſuis ipſa viribus posſit. Hebræa Lingva ut omnium eſſe antiqvisſima rectè judicatur, ſic mundi recentis qvandam ſimplicitatem demonſtrat, vel etiam, ſi Ludovico Viveti (c) aſſentimur, infantiam. Pſalmis tamen Davidicis nihil uſpiam reperiri vel pondere ſententiarum gravius, vel luminibus figura-

(c) lib. I. de veritate fid. cap. *Qòd mundus eſſe aliqvando cœperit*, p. m. 98.

Digitized by Google

rarum distinctius, ejus lingvæ periti confirmant nobis, haud dubiè splendoris & gratiæ plurimum conciliante illis doctrinæ cœlestis copiâ: ut meritò profanitatis damnetur à Victorino Strigelio (*d*), hujus qvondam Academiæ Professore, vox Politiani, Pindaricam lyram huic citharæ præferentis. Qvid Germania nostra? Num illa non exuit hodiè in ore nostro, sive pedestri sermone incedamus, sive numeros poëticos verbis illigemus, horrorem ævi prisci? tam interim vi naturæ suæ robusta, ut masculam ejus fortitudinem, qvandocunqve causa jubet, exercere qveamus. Qvare convicio illi comminiscentium, cùm primos Parentes Deus læsæ majestatis suæ reos extruderet Paradiso, nostrate lingvâ locutum esse, non rependemus commentum simile, qvemadmodùm Legatus ille, qvi Hispano talia exprobranti censere Se, respondebat, serpentem Hispanicæ vocis fuco usum, cùm Evam

(d) hypomnem. in Psalm. 98. f. 442. *Non difficile intellectu est, qvàm pulchra lumina eloqventiæ habeant* (Psalmi,) *qvamqve prophanus sit sermo Politiani, qvi interrogatus, qvid de Psalmis Davidis judicaret? respondit, esse qvidem poemata plena sapientiæ, sed à Pindaro res eadem dulcius narrari, & splendidius illustrari.* Vid. & in Psalm. 96. f. 433.

Digitized by Google

Evam circumvenire vellet (*e*). Non, inqvam, caninâ certabimus facundia, sed simpliciter hoc reponemus, qvi istud objiciunt nobis, non videre, qvòd hâc ratione laudent nos veriùs, qvàm obtrectent: nisi contemnendam putamus eloqventiæ vim illam, qvâ sontes implentur terrore, & conjiciuntur in fugam: aut minùs admiramur Ciceronis Orationem, qvâ Catilinam urbe expulit, qvàm vel illam, qvâ Licinio Poëtæ civis Romani titulum asseruit (*f*), vel etiam blanditias, qvibus credibile est ad Popiliam usum, anteqvam, qvod se objurgantibus, qvòd sexagenarius Virginem duxisset, futurum prædixit (*g*). Possumus ergò de nostri sermonis formidoloso qvodam tonitru nonnihil confiteri, dum vicissim hoc auferamus, maximè opportunam ejus esse facultatem oportere in illa dicendi specie,

(e) Lans. Consultat. in Orat. contra Gall. p. m. 311. & ex eo Schottel. in Opere de Lingva Germ. p. 23. (f) Autor Dialogi de Oratoribus, qvi vulgò tribuitur Qvintiliano p. m. 530. *Nec Ciceronem magnum Oratorem P. Qvintius defensus, aut Licinius Archias faciunt: Catilina & Milo & Verres, & Antonius hanc illi famam circumdederunt* (g) *Cras mulier erit.* Qvintilian. Inst. Orar. lib. VI. c. 4. p. 289. ed. Genev. Anno 1641.

Digitized by Google

ſpecie, cum confici res niſi tonando ac fulminando non poteſt. Qvod profectò tùm patuit, cùm placuiſſet Deo multis roboratam ſeculis tyrannidem Romani Antichriſti convellere ab ſedibus ſuis & proturbare. Ad hoc enim miniſterium delectus ipſi eſt Lutherus homo Germanus, qvem & aliis dotibus inſigniter, & vernacula in primis facundia ad miraculum inſtruxit, ut credere libeat, in nullius populi lingvâ plus futurum fuiſſe nativi roboris, & ad rem tantam neceſſariæ ſeveritatis. Qvò magis mirari ſoleo, qvid in mentem veniat hominibus qvibusdam noſtris, non malis qvidem illis, ut opinor, ſed tamen parum providis, qvi autoritati ſermonis patrii ſic demùm rectè conſulere ſe putant, ſi eum qvâm proximè ad Gallorum laſciviam emaſculent, aut inflent Hiſpanico tumore, aut ingenii Thuſci verſutias doceant eloqvi. Tanqvam parum eſſet, harum nos gentium mores Germanæ gravitati malè congruos induiſſe, niſi & innocentem Lingvam corrumpamus inſuper, eaqve ad ludos, ad fabulas, ad qvisqvilias, ad neſcio tandem qvas ineptias in gynæceo aliqvo exonerandas abutamur, invito

ejus

Digitized by Google

ejus genio, & magna cum infamia nostræ nationis, qvæ ut pectore, sic ore semper mascula fuit habita. Non hoc est pomœria proferre Lingvæ vernaculæ, sed eam peregrinis adulterandam extrudere. Vim ejus nemo vel intellexit Luthero melius, vel feliciore minusqve affectato stilo expressit, ut ab ipso Deo hæc illi facultas concessa, non ærumnabili labore extusa videatur (*h*): adeò nulla in eo extranei sermonis imitatio, nihil adsciti, nihil fuci apparet; omnia domi nata & ex ipsius Lingvæ ingenio dixeris eruta. Qvamobrem libris ejus germanicè scriptis admirabilem eloqventiam ipsos qvoqve hostes (*i*) videmus tribuisse. Utiqve hic Scriptor commen-

(h) Dav. Chytr. in Orationib. p. 509. *Lutheri Oratio non tàm stylo elaborata, qvàm naturali, seu potius divinò Spiritus instinctu & adflatu fusa, verè spiritus & vita, seu ζῶσαι λέξεις, viva verba sunt, in animos & corda legentium penetrantia, & adfectus verbis congruentes in illis accendentia.* (i) Dresser. lib. II. Orat. p. 225. *In qvâ* (lingvâ Germanicâ) *perpoliendâ & augendâ artificem fuisse Martinum Lutherum, etiam qvi hostes ejus doctrinæ sunt, confitentur necesse est.* Bellarm. lib. II. de gem. columb. c. 12. p. 237. --- *de multorum hæresiarcharum parente Martino Luthero,* (describimus & hæc verba, ut appareat, esse testimonium hostis acerrimi,) *qvi lingvâ suâ Germanicâ eloqventissimus erat.*

Digitized by Google

mendandus erat Teutonicæ facundiæ ſtudioſis, non ſcribendi novum & mimicum genus, ab exteris iisqve ſubſannatoribus noſtris emendicandum. Sed hic eſt morbus ætatis noſtræ: ſordent nobis domeſtica, peregrinæ merces, etiam indecoræ, habentur in deliciis. Olim ſanior erat ſtomachus. Teſtis eſt Conradus Porta, graviſſimi Theologus judicii, in Oratione ante nonaginta novem annos habita (*k*), *initio doctrinæ Evangelicæ multos Principes ſapientes, vehementer alioqvin abhorrentes à doctrinâ Lutheri, libros ipſius emiſſe, & legendos propoſuiſſe ſcribis & aliis miniſtris aulicis, ut proprias & verè germanicas phraſes inde diſcerent* (*l*). Etiam Adamus Theodorus Siberus (*m*) ad Latinitatem excolendam ſcriptum aliqvod Lutheri, qvē incomparabilem & nulli Græcorum aut Latinorum Oratorum ſecundum vocat, vertere

(k) Orat. de ſcript. Lutheri, impreſſ. Jen. Anno 1571. (p. m. 12.) (l) cum his conferendum judicium Joh. Sturmii libro Academico de exerc. rhetor. p. m. 31. *Lutherus annon qvaſi magiſter extitit noſtri ſermonis, ſive puritatem conſideres, ſive copiam? Principum conſilia, civitatum judicia, ſcribæ omnes, omnes Legati ac JureConſulti Germaniri hanc laudem homini tribuunt Theologo.* (*m*) Volum. II. Dialex. Acad. p. 318. 319.

Digitized by Google

re nos jubet, ac pronunciat, qvi hoc ita præstiterit, ut germanicæ dictionis vim ac majestatem germanam & spiritum illum Lutheri latinâ dictione repræsentet, eum non contemnendos in utraqve lingvâ profectus, non pœnitendos in eloqventiæ curriculo progressus fecisse. Ergò Siberus, (qvem magni & planè ad Musæ veteris genium ac laudem Poëtæ juxta ac Oratoris elogio decorat Augustus Buchnerus, (*n*) utroqve nomine par illi vel etiam superior,) ut latinè exerceamur, ad Lutheri germanica nos mittit, idqve non voce tantùm, sed exemplo suo (*o*): delicatuli nostri, ut popularis lingvæ infantia nos exolvant, à Luthero qvàm longissimè abducti, qvicqvid exterorum aliqvis vel apud Utopienses rerum novarum vidit, vel in fano Veneris obdormiscens somniavit, germanicâ veste induunt, seduloqve provident, ne qvid in loqvendo remaneat nobis antiqvæ gravitatis ac sanctimoniæ. Neqve tamen ad res serias tanto impetu rapitur sermo noster, ut omnes refugiat jocos. Verùm ludit ut Princeps aliqvis suæ dignitatis memor, non ut saltator



(n) Intim. funeb. Pauli Roberi. (o) vid. Siber. d. l. p. 320.

Digitized by Google

thymelicus. Subinde enim inter ludicra se ad consvetam frontem recipit, neqve infra suæ altitudinis temperamentum subsidit: id qvod eidem, qvem toties laudamus, Luthero, qvoties jocari libuit, solenne videmus, nec difficile fuisse (*p*). Cujus dictio præterea, ut in objurgando vehemens fuit, acrisqve in disputando, sic incredibile dictu, qvàm dulcis in consolando, in hortando efficax, in docendo plana & illustris extiterit: ut in eâ absolutum sacræ facundiæ exemplar omnis veneratura sit, qvæ qvidem sapiet, posteritas (*q*). Longiùs evexit me dulcedo memoriæ Lutheri, qvàm proposueram. Id volebam, cùm lingvæ nulli Svada sic irata sit, ut Viros disertos, modò excolatur, dare non possit: nostram qvoqve in laudem eloqventiæ efflorescere potuisse, utut olim antiqvissimis fortè temporibus asperam faciem prætulerit. Nam ne qvidem Latina & Græca, qvæ jam diu facundiæ gloriâ cæteras supergressæ videntur, si ultimam sui originem recordari velint, non invenient horridos ferrearum ætatum

(p) Inspice sermones ejus convivales. (q) Seneca Part. II. Postill. p. 8.

tum mugitus, & inficeta murmura. Qvod in primis de Latiali sermone C. Duillii rostrata probat columna[r]: nec de Grajo negaverit qvisqvam, qvi vel Dialectorum varietatem considerabit, qvorum profectò non est eadem omnium gratia. Sed eloqventiam gentis nostræ copiosius demonstratam audire cupientes invitamus ad Orationem crastinam, qvam in Auditorio Collegii nostri publicè recitabit horâ octavâ non minus eleganti Juvenis ingenio, qvàm splendidis hâc in urbe natalibus SEBASTIANUS, SEBASTIANI b. m. Ædilis filius, OHEIM. Is enim cùm Patronis suis, qvos in Academia pariter & Ordine Senatorio habet sibi faventissimos, profectuum in arte dicendi specimen edere decrevisset, sibi præcipuè selegit argumentum, in qvo simul industriæ vires experiretur, simul gratum se Germaniæ civem ostenderet, probaturus, ne priscis qvidem Germanis facundiam defuisse. Qvod nostrum est, utriusqve Reip. Patres venerandos, observantiam iis nostram præfati, rogamus, ut auscul-



(r) apud Ubert. Foliet. lib. II. de ling. lat. usu & præst. pag. 92.

Digitized by Google

tare optimum Adolescentem dignentur. Qvos autem ipse Orator noster socios habet studiorum, eos tantò cupidiùs interfuturos pollicemur nobis, qvantò plus fructus ab exemplo disertæ atqve gravis Orationis ad ipsos pervenire poterit. P. P. Lipsiæ d. 13. Maji A. 1670.

✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻

## PROGRAMMA LII.

# ADVERSUS CLUVERIUM DE DIIS GERMANORUM,

*Præscriptum Orationi,*

Qvam A. 1670. d. 21. Maji pridiè Pentecostes habuit

GOTHOFREDUS BARTHIUS,

Lipsiensis

## De Spiritûs Sanctûs comparatione cum igne.

QVæ sub Gentilismi tenebris Germanorum Veterum fuerit religio, vel ex Cornelii Taciti relatione ad nos pervenit, qvi hæc inter alia de iis annotavit (a): *Deorum maximè Mercurium colunt, cui certis diebus humanis qvoqve hostiis litare fas habent. Pars Svevorum & Isidi sacrificat.* Versa per Dei misericordis gratiam hodiè rerum apud

(a) Lib. de morib. German. p. 319. ed. Lipsii Antvverp. Anno 1600.

Digitized by Google

pud nos illorum posteros est facies. Multitudinem Deorum ignoramus; unum DEUM colimus, personis qvidem trinum, sed essentia simplicissimum. Mercurius, Hercules, Mars, Isis non Deorum nobis nomina sunt, sed idolorum, qvæ juxta se venerari vetuit DEUS. Non litamus humanis hostiis, sed hostiam pro humano genere in arâ crucis mactatam adoramus. Non animalia Numini occidimus; pulchrius est labiorum victimas illi offerre. Dissimillima ergò religio nostra est illi priscæ. Tamen eruditi qvidam sunt Viri, qvi persvasum esse nobis cupiunt, Germaniæ nostræ Sacra hodierna ab illis vetustis non discrepare. *Unum Deum Thau*, inqvit Elias Schedius (*b*), *Celtæ prisci colebant, & tres personas SS. Trinitatis, Hesum Deum Patrem, Belenum Deum Filium, & Tharamin Deum Spiritum S. in uno Thau i. e. Deo venerabantur.* Ac dicit hæc Schedius qvidem, qvasiqve dixisse sufficiat, mox ad alia pergit. Majore cum apparatu causam hanc agit Philippus Cluverius, & in antiqvâ suâ Germaniâ integro capiti [*c*] hanc summam præscribit: *Priscos Germanos unum verum æternum Deum in Trinitate coluisse sub Solis, Lunæ, atqve Ignis Numinibus.* Nimirum placuit illi sententia Augustini Steuchii & Philippi Mornæi, ad qvos etiam nominatim provocat (*d*),



(b) Syngram. I. de DIs Germ. c. 12. p. 220. (c) qvod est 29. I. f. 244. (d) citato cap. f. 248. Adde & 25. f. 212.

Digitized by Google

qvorum ille in opere de perenni Philosophiâ, hic in libro de veritate Religionis Christianæ magno cum sudore mysterium S. S. Trinitatis in Ethnicorum Sacris qværunt. Nos hîc præferimus de altero Joh. Baptistæ Crispi (*e*), de altero Christiani Schotani (*f*) judicium, & humani aliqvid passos agnoscimus eos omnes, qvicunqve Christum cum Beliale in concordiam redigere laboraverunt. Ergò ut Cluverii doctrinam admiramur in aliis, ita in isto conciliationis negotio neutiqvam seqvimur, recteqve judicamus ab eo discessisse celeberrimum Vossium (*g*). Et verò qvis æqvo animo legat ista, qvæ scribit Cluverius (*h*): *Celtas nostros atqve in his maximè Germanos & Gallos — summum æternumqve THEUTH* (*i*) *trinum in unitate, & unum in Trinitate Professos esse?* Putabimus ergò in illâ caligine non modò divinarum ὑποστάσεων Trinitatem eos vidisse, sed etiam in hâc Trinitate Unitatem essentiæ, h.e.

(e) De Ethn. cautè leg. distrib. I. l. 2. f. 36. -- *qvod ad satietatem usqve fecerunt alii, qvi de perenni Philosophia scripsere,* (pepercit nomini Autoris,) *qvippe qvibus adeò placuit nostra vera dogmata ad gentilium sensus potius referre, qvàm ipsos ex nostris confutare, ut penè pudor sit, videre ipsos præ dulcedine non semel aut bis, sed centies lacrymari volentes.* (f) Heptaëm. p. 311. *Passus est se abripi zelo ostendendæ Christianæ veritatis summus Vir Philippus Mornæus, cum putavit eadem esse illa, qvæ Philosophi & Christiani docent de S.S. Trinitate.* (g) lib. I. de Orig. Idol. c. 37. f. 138. seq. (h) f. 244. (i) Hoc nomine Deum verum eos coluisse existimat c. 9. f. 82.

Digitized by Google

h.e. rem humanæ rationi, nisi cœlitus illuminetur, incredibilem, credidisse? Abripuit profectò doctissimum hominem vel inventi novi (k) amor, vel in gentem nostram affectus, cùm talia mitteret in calamum. Age omittamus illam trium personarum ineffabilem unitatem. Tres ipsas personas qvomodo nobis in Majorũ Religione demõstrat? Julii Cæsaris locum advocat, de Germanis veteribus ita scribentis (l): *Deorum numero eos solos ducunt, qvos cernunt, & qvorum opibus apertè juvantur, Solem & Vulcanum, & Lunam: reliqvos ne fama qvidem acceperunt.* Sciendum initiò, Cæsari Tacitum contradicere, qvi & plura tribus & alia memorat Germanorum Numina: Mercurium, Herculem, Martem, Isidem (*m*). Qvibus ex eodem Tacito, Religionem Reudignorum & Naharvalorum, [nam & hi sunt in Germanis,) memorante (*n*), Herthum qvoqve, seu Terram Matrem, Castorem item & Pollucem addere licebit. Qvòd si cum Eliâ Schedio (*o*) Scythas etiam eosdem habemus cum Germanis, in cumulum nominatorum accedent ex Herodoto (*p*) Vesta insuper cum Jo-



(k) c. 22. f. 189. ubi fundamenta velut hujus ædificii struit, pollicetur nobis *pleraqve nova, nec facilè aliis annotata.* (l) lib. VI. de bello Gallico c. 21. p. m. 158. (m) locum initio dedimus lit. a. (n) p. m. 347. & 348. (o) l. de Dis Germ. 4. p. 61. (p) in Melpomene. Textum ejus Schedius d. l. affert.

Digitized by Google

ve, Tellure, Apolline ac Venere cœlesti. Qvæ qvidem ipse Schedius πολυωνυμίας beneficio cogens in angustiorem numerum, haud pauciores tamen qvinqve deprehendit (q), Mercurium puta, Martem, [cui & Vulcani nomen competat, ] Apollinem [ seu Solem, ] Jovem, Venerem (r), [qvæ eadem sit Herthus, Vesta, Luna, Isis.] Transeat Herodotus. In Latinorum duorum disfidio potior esse nobis debet fides Taciti. Vixit enim Cæsare posterior, atqve adeò iis temporibus, qvæ Romanis paulò pleniorem nostræ gentis notitiam afferre potuerunt (s). Nec aliter Cluverius, ubi hanc pugnam considerat (t), utriusqve veram fidamqve narrationem efficere potest, qvàm si qvis hæc Cæsaris verba tanqvam falsa expungat: *reliqvos ne famâ qvidem acceperunt.* Atqvi si comma hoc tanqvam inimicum veritati deleamus, & è Tacito Germanos plurium Deorum, qvam

(q) p. 73. (r) Qvid est, qvòd Herculem hic omisit Schedius, memoratum tamen Tacito? An oblitus est fortè illum cum Vulcano & Marte conflare, qvod Cluverius faciet lit. x. An studiò præteriit, ut qvem negat primitùs adoratum à Celtis fuisse, statuam duntaxat in ejus honorem posuisse, contentis: Syngram III. c. 2. p. 476. (s) Igitur Tacito contra Cæsarem haud obscurè hic adstipulantur Andr. Althamerus Comment. in Tac. Germ. p. 184. & Joh. Brant. in Cæs. de bello Gall. p. m. 456. In eundem autem Glandorpius p. 144. vel Cæsarem non omnia scivisse, vel Germanos interjecto temporis spatio plures Deos recepisse credendum pronunciat. (t) c. 26. f. 218.

Digitized by Google

qvàm trium conſcios faciamus, qvomodo trinitatis illud arcanum conſtabit ſibi? Nempe non ſemper meminerat omnium Vir doctus, qvæ ſemel ſcripſiſſet: niſi forte rationibus ſuis in eo putavit conſuli poſſe, qvod ſtatim ſequitur (u), ubi rem qvaſi à Macrobio (vv) inchoatam continuaturus aſſerit, *omnia Deorum nomina ac numina ad unum pertinere Solem, Deorum verò ad Lunam, ſicqve & Celtas noſtros, & omnes ſenſiſſe gentes.* Sed neqve hoc præſidium ſatis eſt firmum aut conſentaneum cauſæ. Fiet enim hoc pacto, ut non qvatuor tantùm illi Germanorum Dii, qvorum nomina Tacitus extulit, Mercurius, Hercules, Mars, Iſis; aut, ſi Terram Matrem cum Caſtore ac Polluce his adjungimus, Dii ſeptem, ſed etiam tres alii, qvos à Cæſare cognoſcimus, ad binarium Solis ac Lunæ redigantur: præſertim cùm Vulcanum Cluverius eundem eſſe ſtatuat cum Hercule & Marte (x), hos autem duos Macrobius, cujus deprecari autoritatem hîc ipſi non licebit, apertè referat ad Solem (y). Enimverò peſſimè cohærent illa, qvæ cum dictis connectit Vir eruditus, *ea ipſa vocabula ad unum verum æternumqve Deum eſſe referenda, qvem in unitate trinum, in trinitate unum veneramur.*



(u) f. eod. (w) I. Saturn. 17. ſeqq. ubi oſtenditur, omnes Deos referri ad Solem. (x) toto cap. 28. f. 240. ſeqq. Confer, qvæ lit. r. è Schedio diximus. (y) I. Saturn. 19. & 20.

Digitized by Google

(z) Nam si maximè Deos omnes in Solem, Deas omnes in Lunam cogamus, qvomodo in his duobus, [utiqve non sunt plures,] Trinitatem habeamus, non video. Condonemus hocetiam homini de literaria re aliàs præclarè merito, & ut aliqvo commento fulciamus aciem ipsius labantem, fingamus qvicqvid Deorum est Dearumqve gentilium, partim cum Sole, cum Lunâ partim, partim deniqve cum aliqvo tertio planetâ, qvi fortasse non invito Cluverio erit Mars (a), aut etiam cum igne, conflari oportere: ne qvidem sic eò deducta res est, ut credamus, qvod opinatur (b), *priscos Germanos unum verum æternum Deum in Trinitate coluisse sub Solis, Lunæ atqve Ignis numinibus.* Nec enim Solis, Lunæ, Ignis vocabulo aliud qvid ipsi, & qvicunqve gentilium honorem Creatori ereptum transtulerunt in has creaturas, intellexere, qvàm qvod verba sonant. Audiamus tamen, qvid pro se dicat Cluverius: *unum,* inqvit (c), *in tribus personis ipse* [DEUS] *primo eorum* (Germanorum) *Patri Manno,* [hunc Adamum esse (d) interpretatur,] *sese manifestaverat, hic verò filios nepotesqve suos edocuerat.* Scimus Adamum in Religione verâ perstitisse, idemqve

(z) Cluver. d. l. f. 218. (a) qvandoqvidem Vulcanus, qvem Cæsar à Sole pariter & Luna distingvit, Cluverio idem est cum Marte, ut lit. x. patuit: qvanqvam hoc illi neutiqvam assentitur Vossius II. de Orig. Idol. 66. f. 331. (b) supra lit. c. ex inscriptione cap. 29. (c) dicto cap. f. 244. (d) respice ad tit. i.

Digitized by Google

idemqve ut sui facerent, laboravisse. Sed *Cainum* is ipse, contra qvem disputamus, Cluverius, autor est (e) *maledictione à Deo ob fraternam cædem accepta, Deum ut invisum infestumqve statim reliqvisse, moxqve à Diabolo impulsum fuisse, uti à Conditore ad rei conditæ venerationem sese converteret, hac insusurrata opinione, eum qvi cunctarum rerum fuisset auctor & opifex, cœlestia maximè curare, terrestria autem atqve humana permisisse Diis inferioribus, filiis suis; hos autem Deos esse venerandos; hanc pestiferam opinionem non soli sibi habuisse Cainum, sed filiis nepotibusq; tradidisse*: porrò (f) si de temporibus cataclysmum consecutis loqvamur, *postqvam ex arca egressi sint Noachi filii horumqve uxores, mox ad pristinam illam idololatriam, qva omnis terra ante eluvionem erat repleta, unum vel alterum delabi potuisse: qvin satis hoc certum esse debere in Chamo; ab uno autem Chamo ejusqve posteà liberis in omnem Noachi posteritatem, ante etiam lingvæ primævæ confusionem, disseminatam esse abominandam istam pestem: unde omnes, contempto Conditore suo vero Deo, unanimi consensu in terram Schinar profecti turrim prealtam ædificare aggressi: qva Deum re graviter offensum lingvam eorum confudisse, ipsosqve in universum dispersisse terrarum orbem; illos idololatriam una secum transportasse; hinc postmodum omnes per universum terrarum orbem gentes unos eosdemq; ve-*

(e) cap. 25. f. 213.
(f) ibid. f. 216. 217.

Digitized by Google

*veneratos esse Deos, Solem, Lunam, Saturnum, Jovem, Mercurium, Martem, Venerem, Minervam, Vulcanum, Herculem & alios.* Nihil aliud ergò faciendum hîc nobis, nisi ut suis Cluverium verbis jugulemus. Qvid enim? adeone idem est illi, verum Deum in Trinitate colere, &, abominanda idololatriæ peste corruptum venerari tot sidera? At, inqvit (g), *antiqva Satanæ illusione unà cum reliqvis mortalibus circumducti* (Majores nostri) *trinam divinitatem rebus à vero æternoqve Deo conditis attribuerunt, Soli, Lunæ, ac Vulcano, ita ut Solem intelligerent esse Deum Patrem, Lunam Deum Filium, Ignem Deum Spiritum Sanctum: qvia horum maxima erat omnibus in rebus virtus atqve potestas.* Verùm utcunqve opinionem suam pingat Vir disertus, non efficiet, ut, qvi Satanæ fraudibus circumventi in Sole, Luna, & Igne tres Deos venerabantur, eos unum verum Deum ita coluisse intelligamus. Jam unde probabitur, Germanos sub Sole Deum Patrem, sub Lunâ Filium, Spiritum S. sub Igne veneratos? Aliò planè verba nos Julii Cæsaris vocant, qvi ait (h), *Solos* habitos Germanis fuisse Deos, *qvos cernerent:* Divinitatis autem certè personam nullam cernebant; Solem, Lunam, Ignem cernebant, horum in se beneficia manu palpabant: in his ergo acqviescebant, altiùs levare mentem non poterant. Ita enim est, justissimo Dei

(g) iterum cap. 29. f. 244. 245. (h) lit. I.

Digitized by Google

Dei judicio ad eum profanitatis gradum gentes non paucas impulerat Cacodæmon, ut plenissimam divinitatis mensuram sideribus inesse omninò sibi persvaderent, Soli in primis atqve Lunæ: qvibus ut Ignem adjungerent, vel cognatio eos movit, qvæ cum istis facibus huic lucernæ intercedit, vel eximia elementi fortissimi utilitas. Nec alia mens vetustissimorum fuit Ægyptiorum, qvorum idolomaniam in cœlestem veritatem transformare frustra conatur Cluverius. Cui nec magis in eo fidem adhibebimus, qvòd *reliqvum etiam mortalium genus initiò in Sole, Luna, ac Vulcano Trinitatem unius veri Dei veneratum esse pergit* (i). Qvomodo verò? Juvat in pauca rem contrahere, qvæ propè omnis pendet è mythologiâ Gentilium de Vulcano, qvem Jovis ac Junonis conjugio natum scisebant. Similem enim in modum & Spiritus S. à Patre Filioqve, h. e. si Cluverium audimus, à Jove ac Junone, seu qvod perinde, à Sole ac Lunâ procedit. Jam igni qvoqve, cujus Symbolum Vulcanus, comparatur ille Spiritus, qvi Apostolorum lingvas flammarum instar divisit. Hîc profectò vereor, ut patientibus animis legere Theologi possint, qvæ de Jove ac Junone disserit autor, cùm hunc Macrobii (k) locum protulisset: *Juno & Soror Jovis & Conjux vocatur. Est autem Juno aer,*



(i) loco sæpius citato f. 245.
(k) è lib. I. in somn. Scip. c. 17.

Digitized by Google

*& dicitur Soror, qvia iisdem seminibus, qvibus cœlum, etiam aer est procuratus; Conjux, qvia aer subjectus est cœlo.* Qvæ disserit, hæc sunt: *Cœlum hic intelligit Jovem. Jupiter igitur cùm sit æternus ille* ΘΕΥΣ, *sive* ΖΕΥΣ, *sive* ΘΕΟΣ, *sive Deus, rectè Junonem interpreteris Dei æterni Filium* JESUM CHRISTUM, *qvi iisdem seminibus, qvibus Pater, ab æterno existit: unde etiam non Soror, sed Frater potiùs Dei Patris videri poterat, qvia illi æqvævus erat. Subjectus item eidem verè dicitur, non ut Conjunx, sed ut Filius.* De his ergò Cluverianis interpretationibus judicium ferant Theologi, qvi non minùs opinor pietatem in iis reqvirent, qvàm Philosophorum aliqvis judicium in hoc toto Πημυθίῳ. Sed vetat angustia chartæ effundere omnia, qvæ afferre promptum erat: fieriqve hâc de re non levis conjectura poterit è dicendis de Vulcano. In qvo certum habemus, nihil minus occuluisse Gentiles, qvàm Spiritum Sanctum. Etenim referri *Vulcanus* debet ad ignem, eumqve elementarem (l), qvippe cujus usum ipse in metallis atqve arte fabrili demonstrasse legitur (m). Qvapropter Eruditi (n), simul vocis Latinæ augurio persvasi, eundem esse hunc arbitrantur cum

(l) Vid. Voss. II. de Orig. idolol. 66. f. 328. (m) Vid. Natal. Com. II. mythol. 6. p. m. 97. 99. Voss. I. de Orig. idol. 16. f. 65. (n) Id. ibid. Chytræ. in c. 4. Genes. f. 70. & 71. Selnec. Part. I. Postill. Dom. V. post fest. Epiph. p. 657. Sched. I. de DIs Germ. 4. p. 65. Borrich. de ortu & progr. Chem. p. 9. & 62.

Digitized by Google

cum *Tubalcaino*, qvem fuisse malleatorem & fabrum in cuncta opera æris & ferri prodidit Moses (o). Jove autem ac Junone satus perhibetur, qvia ignem elementarem oriri crediderunt Jove in Junonem, h. e. calore cœlesti in aerem agente (p). Qvæ qvis non videt commodiùs dici, qvàm si Jovem Dei Patris, Junonem Dei Filii simulacrum gentilibus fuisse opinèmur, ut eos in Vulcano Spiritum Sanctum coluisse conficiamus? Nec juvabit Cluverium illa Divini Spiritûs cum igne comparatio, & in Apostolos sub specie hujus elementi effusio. Sanè posteaqvam prima Novi Testamenti Pentecoste divinum hunc ignem Apostolorum capitibus insidentem habuit, Ecclesia vera circumspicere cœpit varias rationes conferendi cum igne Spiritum Sanctum: qvin & illud Christi (q) huc applicuerunt qvidam (r): *Ignem veni mittere in terram.* Vetustissimas autem Paganorum nationes qvis credat eorum præsensionē habuisse, qvæ post multa demùm secula essent vel à Salvatore prædicenda vel implenda in ejus discipulis? Omittamus ergò illud consilium, horrendam Vulcani & infernalibus flammis similiorem (s) fornacem de Beatissimo Igne inter-

(o) Gen. 4. v. 22. (p) Vid. Phurnut. de nat. Deor. cap. περὶ τοῦ ἡφαίστου, Natal. Com. II. mythol. 6. p. 102. Voss. II. de Orig. idol. 66. f. 329. & respice paulò ante ad lit. k. (q) Luc. 12. v. 49. (r) apud Ursin. Sylv. Theol. Symbolic. n. 67. p. 120. (s) pertinent huc ollæ Vulcani, de qvibus Crus. Part. II. annal. Svevic. lib. V. c. 5. f. 155. & alii.

Digitized by Google

terpretandi. Sinamus hîc res habere suas Gluverium, & digniores Spiritu S. meditationes afferamus in celebritatem festi Pentecostalis. Faciet hoc dilectus nobis ob doctrinam & probitatem Juvenis *Gothofredus Barthius Lipsiensis*, qvi Sanctum Spiritum cum igne comparandi planè aliam rationem ingressus super hoc argumento, mane crastino horâ octavâ σὺν Θεῷ perorabit. Ut audire dicentem velint Magnificus Academiæ Rector, Facultatum omnium Proceres, aliiqve Honorati Viri, rogamus universos, Juventutis Studiosæ præsentiam vel ultroneam nobis pollicentes. P. P. Lipsiæ propridie Pentecostes 20. Maii Anno 1670.

## PROGRAMMA LIII.

Scriptum nomine Rectoris Academici

## AD EXEQVIAS INCOMPARABILIS THEOLOGI D. HIERONYMI KROMAYERI

Anno 1670. d. 9. Junii.

O Casuum vices! ô rerum humanarum inconstantiam! Concussa superiore anno per obitum cordatissimi REINHARTI Facultas apud nos Theologica, suis qvatuor columnis vix iterum stare cœperat; & novam nunc in

in ſolidiſſimo KROMAYERO facit ruinam! Calendæ Juniæ novum ſe cathedræ Profeſſorem inferentem Ordini Venerando gratulabantur; tertius continuò dies è Veteribus primum non cathedrâ magis, qvam vitâ exturbat. Nolite, Cives Academici, cladem hanc parvã exiſtimare. Percellit ea nos non modò, qvia repentina eſt, nec ita plurium dierum ægrotationem inſecuta: ſed multo magis qvia graviſſimo vulnere militantem his in terris Eccleſiam affligit. Enimverò primarium Theologum non Academia tantùm noſtra, ſed ipſa Respublica luget Chriſtiana. Nec errabit, qvi dicet, amiſiſſe nos HIERONYMUM ſeculi noſtri. Favet nomen Viri Beati; favent merita. Eqvidem fortaſſe non hoc ſpectaverat qvondam parens ejus, cùm nomen ille de ſuo nomine inderet, qvẽ ſimile vero eſt id egiſſe potiùs, ut in filio ſe intueretur, filium vicisſim communicatione nominis ad æmulationem paternarum incitaret virtutum. Sed interveniſſe tamen arcanum DEI conſilium qvoddam eventus confirmat, id procurantis, ut vel augurio nominis admoneretur grata in Summum Theologum

posteritas, cum qvo è priscis Ecclesiæ Latinæ Doctoribus ipsum contenderet. Qvatuor hi memorantur præcipui passim atqve cardinales. Solent enim Hieronymo addi Ambrosius, Augustinus, Gregorius. Memorantur autem tantâ cum fiduciâ celebritatis juxtà & sanctitatis eximiæ, ut reperti sint (a) qvi Apocalyptica illa qvatuor animalia (b), qvæ vulgò qvatuor Evangelistis accommodantur in picturis etiam templorum publicis, ad hanc transferrent Latinorum Patrum qvadrigam. Neqve adeò dubitari potest, qvin hi Qvatuor-Viri emineant inter cæteros eloqvii latini Doctores Ecclesiasticos. Cumqve suæ virtutes ita exornent singulos, ut pares haberi qveant: haud raro tamen unum anteferri cæteris videas Hieronymum. Tanta certè fuit ipsius autoritas, ut Bethlehemiticum illud antrum, in qvo vertendis & explicandis codicibus sacris, orandoqve & psallendo annos circiter viginti Vir sanctus vacaverat, qvasi publicum Christi orbis oraculum haberetur, & ab ejus judicio, qvisqvis in asse-

(a) teste Joh. de Sylveira in Apoc. f. 308. (b) Apoc. 4. v. 7.

Digitized by Google

asseqvendo loco hærebat Biblico, penderet (c). Ad Claudianum Mamertum scribens Sidonius Apollinaris (d), plusculosqve memorans Ecclesiæ Scriptores, qvibus propria singulis encomia dividit, neminem tamen priorem nominat Hieronymo. Nec alio eum loco inter qvaternos, qvos indicavimus, Cardinales Patres recenset Thomas à Kempis (e), qvàm primo. Johannes verò Saresberiensis (f) clarissimo eum insignit elogio Doctoris Doctorum. Non invidebit hunc eundem titulum Kromayero, qvicunqve reputabit, neminem vivere jam in Academiâ nostrâ S. Theologiæ Licentiatum, neminem Doctorem, cui non Præceptor ipse ac Promotor contigerit. Porrò eadem illa, qvæ Hieronymo tantum splendoris pepererunt, illustre qvoqve Nostri nomen effecere. Trium Lingvarum, Latinæ, Græcæ, Hebraicæ eximiam peritiam habuit Hieronymus (g). Habuit & Noster. Diffusissima sacræ pariter & profanæ Historiæ notitia in Hieronymo



(c) Beat. Kromayer. Hist. Eccles. p. 204. 205. (d) lib. IV. epist. 3. (e) c. 5. vit. bon. mon. p. 722. (f) VII. Policr. 10. in fin. p. 381. (g) Baron. V. Annal. f. 536. n. 64.

Digitized by Google

fuit, adeò ut affirmatum ab aliqvo ſit, nullum hominem ſcire, qvod ignoraret ille (h). Ad hanc Hieronymi laudem qvisqvamne eſt, qvi propiùs atqve noſter acceſſerit? Cujus cùm nulla pars fuerit vitæ, qvam non impenderit literis, adeò ſcientiarum omnium latices exhauſit, ut incredibili accedente vi memoriæ, qvæ ne Senem deſtituit qvidem, expromptum haberet, qvicqvid uſus depoſceret. Acerrimus fidei defenſor fuit Hieroymus adverſus hæreticos. Fuit & noſter, ſed ſine felle, ſine verborum acerbitate. Plurima miſit in literas Hieronymus. Nec noſter, ſi qvidem otium utriusqve ac vivendi ſpacia compares, pauciora. De qvibus vulgata jam ſunt per typographos, Commentarius in Apocalypſin, Hiſtoria Eccleſiaſtica, Theologia Poſitivo-Polemica, Loci Antiſyncretiſtici, Polymathia Theologica, Diſputationes multæ ac variæ de ſelectisſimis tam in Philoſophiâ qvàm Theologiâ argumentis: duæ inſuper Diſputationum Decades de Apoſtaſiâ Eccleſiæ Romanæ in myſterio peractâ, ſeu de ſuccesſivâ & clandeſtinâ errorum Papalium

(h) Drexel. Tom. II oper 035. pl.

Digitized by Google

lium in Ecclesiam introductione: Disputationes item decem Scrutinii religionis, qvas tredecim animo designaverat, sed ultimas præventus morte partim publico sistere non potuit, partim ne privatis qvidem schedis mandare. Luculentus qvoqve in epistolam Pauli ad Galatas commentarius inchoatus qvidem ab operis est, sed absolvi nondum potuit. In scriniis adhuc servantur Collegiũ Mathematicum, Collegium Historico-Politicum & Philologicum, Collegium Hæresiologicum, Literæ multiplices ad Amicos, de Syncretismo præcipuè, ac de Qvæstione: num pax inter Ecclesias controvertentes possit salva conscientia stabiliri? Servantur & alia opuscula qvam plurima, qvæ longum sit enumerare. Omninò alter Hieronymus fuit, cujus exuvias hodiè tumulabimus. Nec ambigere fas est, qvin anima beatissima inter Cœlites recepta societate gaudeat eorum, qvibus qvoniam ad justitiam erudierunt multos, illa Doctorum aureola parata est, qvæ vel ipsas firmamenti stellas fulgore superet. Nos ut Optimi deqve publico egregio meritissimi Senis honoratior sit memoria,



Digitized by Google

qvod officii est nostri, nunc exeqvemur. Natales suos Vir summè Reverendus, Magnificus, Nobilissimus atqve Amplissimus Dn. HIERONYMUS KROMAYERUS, Doctor Theologus famigeratissimus, officiisqve in universam Jesu Christi Ecclesiam longè celeberrimus, S.S. Theologiæ Professor primarius, Theologicæ Facultatis h.t. Decanus, ejusdemqve ut & Præsulatus Ingenui Misenensis, nec non apud nos Misnicæ Nationis Senior, Consistorii Electoralis & Ducalis Saxonici Assessor gravissimus, Collegii Minoris Principum Collegiatus, Alumnorum Electoralium Ephorus, & Academiæ hujus Decem Vir undiqvaqve spectatissimus, per antiqvæ debet ac nobilissimæ in Silesiis familiæ, qvæ his ipsis temporibus nostris Virum maximè strenuum atqve Magnificum AUGUSTINUM HEINRICUM à KROMAYER & Grossagovvitz, Hæreditarium in Bukovvin & Grünaich, Collegii Senatorii in Rep. Vratislaviensi Seniorem, reiqve Bellicæ Commissarium summâ cum laude extulit. Sed cum militiæ potiùs Civitatis sanctæ Nostrum destinavisset Exercituum Cœlestium

ſtium Dominus: non Patrem illi modò, ſed Patruos tres & è Maternâ ſtirpe Proavum atqve Avum dedit Theologos longè celeberrimos. Parentem enim habuit maximè Reverendum & Excellentisſimum Virum SS. Theologiæ Licentiatum HIERONYMUM KROMAYERUM, primùm Eccleſiæ primariæ Cizenſis ad D. Michaëlis Paſtorem, poſteà Superintendentem Plavienſem. E Patruis verò M. Johannes qvidem Serenisſimo Vinariæ Principi à Concionibus aulicis primariis, univerſoqve Ducatui Generalis Inſpector fuit; reliqvorum autem duorum alter qvidem Erfurtenſium Lutheranorum Eccleſiaſten egit primarium, alter Paſtorem Döbelenſem. Matrem porrò nactus eſt noſter Fœminam ſui ſexûs ornamentum inſigne, Mariam Magdalenam, Conſulis in urbe Numbergenſi de ſuâ Republ. meritisſimi Dn. M. Jacobi Lindeneri filiam; Maternam Aviam Margaretam, duorum Theologiæ Luminum D. Nicolai Selnecceri, & Danielis Greſeri, hujus qvidem filiam, illius uxorem. E qvibus Selneccerus gravisſimis pro verâ religione tùm voce vivâ tùm calamo



Digitized by Google

gestis certaminibus Vir illustris ad extremum in hâc Civitate nostrâ, cui Superintendens fuit, placidissimo fine acqvievit, anno superioris seculi 29. splendidè vestitâ metallo tumbâ decoratus in æde Thomanâ: Greserus Concionator primùm Aulicus, post Superintendens Dresdensis octogenario major vitam ipse suam Anno 1587. pietatis pleno, variarumqve rerum notitiâ non injucundo commentario complexus est. Sed ad nostrum ut revertamur, cùm iis, qvos dixi, Parentibus natus hanc lucem Cizæ anno seculi currentis decimo, Januarii mensis die decimo octavo aspexisset, nihil prius illi habuerunt, qvàm ut maturè Christo per Baptismum, primam gratiæ portam, filius offerretur, Civisqve scriberetur cœlestis Hierosolymæ. Vix qvadrimo desideratissimus Parens Plaviæ surreptus est. Sed prospexit illi Clementissimum Numen de altero Parente, dum dilectissima ipsi Mater per secunda vota transiit in conjugium Viri maximè Reverendi Amplissimiqve Dn. D. Erhardi Lauterbachii, Superintendentis Præsulatus Numburgo-Cizensis, & Consistorii Episcopalis

Digitized by Google

palis Assessoris, qvi ipsum à teneris ungviculis in verâ pietate optimisqve artibus juxta & moribus probissimis curavit institui. Nec enim tantùm in Episcopali Scholâ fidelissimis Præceptoribus iisqve eruditissimis, Dnn. M. Qventelio, M. Fabricio, M. Fischero, aliis imbuendum formandumqve tradidit, verum domi qvoqve Præceptores illi electissimæ notæ privatos addidit. Ita tres lingvas cardinales didicit, latinam, græcam, hebraicam: qvin & Logicæ doctrinæ atqve Rhetoricæ elementa, Naturalis item Scientiæ, Sphæricæqve; ac sapientiæ Moralis principia tam sibi familiaria reddidit, ut hisce qvasi corticibus nixus pelago se Academico jam committere posset. Qvamobrem anno seculi hujus 28. ætatis 18. in hanc nostram Lipsiensem ablegatus, inqve numerum Alumnorum Electoralium cooptatus Professoribus Philosophis indivulso nexu adhæsit, qvinis minimùm qvotidiè diligentem aurium operam navans: ne tamen esset ullus, cujus Auditorem profiteri se non posset, successu temporis alium alio permutavit. Anno seqvente post primum in Philosophiâ gradum si-

Digitized by Google

bi collatum, in Wittebergensem Acacademiam se contulit, cui mox Anno 1630. & Jenensem adjecit, ut harum etiam genio adsvescceret. Sed cum Lipsiensi sua studia consecravisset, redux factus in iis elaboravit, qvæ sibi ad obtinendos in Philosophiâ summos honores opportuna fore intellexerat. Ergò de Eclipsi Solis ac Lunæ, de Anno, de Lingvis, ut Præses; de tribus causarum generibus ut Respondens, è cathedrâ publicè disputavit, nec infreqvens Opponentium occupavit subsellia; per ferias autem caniculares, ut hujus Academiæ fert consvetudo, Lectorem egit, studiorum sociis eruditas theses de Sirio communicans. Collegiis porrò privatis adeò gnavus auditor interfuit, ut, ne qvid de aliis dicamus, vel solus Dn. Calertus, (magni posteà nominis Theologus,) intervallo temporis non magni sex Collegiorum suorum partem scribére ipsum potuerit. Summus in Philosophiâ titulus ipsi Anno 1632. collatus fuit. Sed cùm propter motûs bellicos, & serpentem luem pestiferam mutare locum alibiqve sedem circumspicere coactus foret: ita factum est, ut anno demum seqvente de con-

Digitized by Google

Conſpectis in cœlo Stellis diſputans locum inter Magiſtros qværeret ſibi. Ex eo tempore qvi diſcipulum egerat hactenus, induere Præceptorem cœpit, habendisqve asſiduis Collegiis privatis tum Lectoriis, tum Diſputatoriis, atqve Practicis, Logicam, Oratoriam, Phyſicam, Aſtronomiam, aliasqve diſciplinas animis juniorum felicisſimè inſinuavit, eo cum fructu, ut ipſe ſibi gratularetur, qvoties è Scholâ ſuâ prodire videret Lauterbachos, Zaderos, Andreas, Francos, Rehefeldos, Langios, Guntzelios, Bakios, Ibachos, Petermannos, Dauderſtatios. Cumq; facilis ipſi vena qvoq; flueret Poëtica, non ſemel (i) ipſum novelli Magiſtri dignum habuere, qvorum pileos panegyrico carmine decoraret. Qvin & poſt annum 1634. Nobilium qvorundam Parentum & aliorum non infimi ſubſellii Virorum liberis ab infirmatione ſuit privatisſimâ, qvòd amari eruditionem ſuam & expeti ab aliis intelligeret. Enimverò qvisqvis docentem audivit, ingenuè fatebitur, eximias in eô fuiſſe virtutes eas, qvæ reqviruntur à bono Doctore. Nam &, qvæ aliis infunde-

(i) Anno 1634. & 1643.

Digitized by Google

deret, ipſe hauſerat, & methodo utebatur diſcentum ingeniis conſentaneâ, & perſpicuæ voci moderationem addebat, qvin & ſvavitate qvadam pronunciandi condiebat ſermones ſuos. Atqve his dotibus cùm aliorum ſibi comparavit benevolentiam, tùm Philoſophici Collegii favorem confirmavit. Itaqve haud ægrè obtinuit, ut ejus Collega ſcriberetur Anno 1638. ubi priùs habitis pro Loco in eâdem obtinendo diſputationibus binis unâ de Anno magno, altera de Origine animæ humanæ, dignum ſe laudatisſimo Conſeſſu demonſtraviſſet. In qvo Nationis Miſnicæ, (huic enim natalis eum tellus admoverat,) Senior factus eſt biennio poſt, ex obitu pl. Rev. L. Antonii Kirchofii. Neqve jam tot editis eruditionis Philoſophicæ ſpeciminibus, inidoneus haberi poterat, cui publici Profeſſoris ardua crederetur provincia. Qvare annus 1643. Amplisſimo Cunrado Bavaro in Hiſtoriarum, qvintus poſt annus Conſultisſimo Andreæ Corvino in Oratoriæ Profesſione Succeſſorem eum dari vidit, confirmante Collegarum ſententiam Serenisſimo Electore Johanne Georgio I. Jam cùm diem

Digitized by Google

em ſuum Anno 1650. Nobiliſſimus obiiſſet JCtus Tobias Heidenrichius, eaqve ratione in Minore Principum Collegio vacua facta eſſet pro Miſnicæ Nationis membro ſedes, nemo, qvi hanc impleret, dignior viſus eſt Kromayero. Scribendorum verò Academiæ nomine Programmatum tam eorum, qvæ ordinaria ſunt, qvàm qvibus extra ordinem varii caſus aperiunt locum, Conſilii Perpetui ſuffragiis delatum ipſi munus eſt Anno 1652. ubi priùs per annos benè multos Anteceſſorem in hoc negotio ſuum Excellentiſſ. Leubnitium opera gratuita ſublevaſſet. Philoſophicæ Facultatis Collega per annos fuit novendecim, qvousqve videlicet ejus Studii Profeſſionem ordinaria Theologicâ permutaret; Minoris Principum per annos viginti, h.e. usqve dum terreno diverſorio exolutum cœlis eum beata mors inferret. Atqve hoc temporis intervallo Decani officio qvater (k), creandis Magiſtris Procancellarii bis (l), Rectoris Academici ſemel (m), in Minore verò Collegio Præpoſiti munere bis (n) ita fun-

(k) Anno 1640. 42. 44. 53. (l) Anno 1641. & 45.
(m) Anno 1653. (n) Anno 1656. &. 61.

Digitized by Google

functus est, ut, cum primùm ea ipsum dignitas exciperet, simul ferente casu cum ea Villarum Academiæ Veterum connecteretur Præpositura, qvam vocare magnam solemus.

Sed his majora jam dicenda sunt nobis. Delineandus enim Theologus, qvem ex ætatis nostræ præcipuis unum esse Cœleste voluit Numen. In qvod ille fastigium ascendere se non putavit posse, nisi maturè vestigia poneret in callem, qvi placidis gradibus assurgens nitentem evehit tandem in suprema. Stimulum ad sanctissimam disciplinarum jam puero illi dederant tot Suorum exempla domestica, Abavi Greseri, Proavi Selnecceri, Patris, trium Patruorum, Vitrici Lauterbachii. Qvorum complecti memoriam animo non volebat, qvin efficaci qvodam impetu trahi se in divinæ Sapientiæ sollicitandos amplexus persentisceret. Accesit invitamentum haud mediocre ex Bibliothecâ paternâ, cui hæres unicus non poterat non esse, qvem decedens Pater filium unicum reliqvisset. Nec alio fine sibi Electoralis stipendii factam non semel prorogationem animadvertebat ab Aulâ

Illu-

Digitized by Google

Illustrissimâ, qvàm ut profectus aleret in sacro Theologiæ studio. Huic ergò se maximè, ubi absoluto Philosophiæ curriculo Magisterii titulum adeptus esset, mancipare non vulgari occœpit industriâ, diligentissimeqve Alumnorum obiit exercitia, sive audire, qvæ à Præceptoribus legerentur, essent jussi, sive concionari aut declamare. Ergò in sacris illis conventibus, qvi in Paulino templo haberi qvotannis non rarissimi solent, satis freqvens Orator auditus est Kromayerus, jam de triplici victoriâ Christi (o), jam de adventu Messiæ (p), jam de nomine πετρογραμμάτῳ (q), jam de Genealogiâ Christi (r), jam de Lingvarum tùm confusione Babylonicâ, tùm Hierosolymitanâ restitutione (s), jam de πρωτευαγγελίῳ (t), jam de processione Spiritus S. à Filio (u), jam de jejunio Pontificiorum (w), jam de passione Dominicâ (x) verba faciens ad Patres ac Cives Academicos. Ne canicularesqvidem ferias elabi sibi passus est, qvin semel iterumqve faceret periculum, qvid posset vel Scripturis interpretandis vel alio-

(o) Anno 1632. (p) 1633. (q) 1634. (r) eod. (s) 1636. (t) eod. (u) 1637. (vv) 1638. (x) eod.

Digitized by Google

alioqvin erudiendâ hoc in genere Juventute. Itaqve legendi veniam à summè Reverendâ Facultate consecutus Anno 1635. Paulinum illud Rom. 8. *Qvos præscivit, hos & prædestinavit &c.* qvod auream salutis catenam verè dixeris, explicuit; triennio post Epitomen Historiæ Ecclesiasticæ, ab Apostolorum usqve temporibus repetita gestarum rerum inqve seculum præsens deducta memoria, prælegit: utrobiqve per hæc etiam tyrocinia tam expetitus Auditoribus, ut magna horum celebritas angusta redderet subsellia; tam gratiosus Præceptoribus, ut illud lucidissimum Theologiæ sidus Henricus Höpffnerus, qvo detexere, qvam dixi, historiam, sanè qvàm uberem atqve copiosam, posset optimus Discipulorum, post caniculares qvoqve ferias illi patere septimanam unam pateretur, & in ea sibi destinatas alioqvin horas cederet. Tanta fuit adhuc discentis æstimatio: tàm propensus in alumnum amor Præceptoris. Nimirum ab hujus maximè ore ultra septennium pendere Noster assiduè, hunc suspicere, hujus in se copiam derivare. Höpffnerus vicissim affectu planè paterno prosequi

seqvi Nostrum, nec eorum intermittere qvicqvam, qvæ ad promovenda ejus studia facere viderentur. Neqve neglecti tamen sunt cæteri non minore digni encomio Theologi, Christianus inprimis Langius, & Mauritius Burchardus, qvorum Præside altero de perspicuitate & efficaciâ Scripturæ, altero de Sacrilegio Pontificiorum, lectione codicis sacri Laicis interdicentiũ, publicè respondit Noster: etiam aliqvot annis posteà (y) conscriptas à se pro impetrando superiore gradu theses de Satisfactione, præsidium commodante Dn. D. Johanne Höpnero, Superintendente, solidissimè adversus oppugnatores defendere auditus. Successerunt (z) Prælectiones novæ de fontibus Scripturæ Canonicæ ac versionibus Bibliorum. Ita nimirum non putavit Noster adspirare se ad graduum dignitates posse, nisi priùs omnibus numeris peritiam approbasset suam pari cum diligentiâ conjunctam. Ultrò igitur in ipsum convenere tot virtutum præmia. Nam An. 1640. supremæ Facultatis Baccalaureus; An. 1645. sibi aliàs è morte pientissimæ Matris funesto, Licentiatus;



(y) Anno 1642. (z) An. 1645.

Digitized by Google

Anno 1651. Doctor publicè summâ cum laude renunciatus est. Professionem verò Sacræ Theologiæ, extraordinariam qvidem AN. 1646. ordinariam verò AN. 1657. adiit; Anno seqvente Cizensem Canonicatum adeptus, qvem posteà, cùm è vivis excessisset incomparabilis Hülsemannus, Anno 1661. mutavit Misenensi. Alumnorum Electoralium Ephorum idem annus, qvi Cizensem Canonicum effecit; Academici verò Decemviratûs initium anno 1662. debet. His perpetuis functionibus accesserunt aliæ non raro ex earum genere, qvæ annui temporis, aut minore spacio terminantur. Creandis enim in suâ Facultate Licentiatis aut Doctoribus Compromotorem semel (a) egit, semel (b) Viceprocancellarium, cùm summè Reverendum Dn. D. Danielem Henrici partes hic suas agere vetaret morbus; Procancellarium qvater (c); Decanatum verò maximè Venerandi Collegii qvinqvies (d) administravit, ita qvidem, ut in hoc ipso Magistratu constitutum fatalis hora in cœleste atrium evocaret. His tot muneribus qvantâ cum fide

(a) A. 1658. (b) A. 1659. (c) A. 1662. 1666. 1667. 1668. (d) An. 1661. 64. 66. 67. 69.

Digitized by Google

fide, qvâ dexteritate, qvàm inexhaustâ industriâ, qvo Facultatis ornamento publico, qvo fructu discentiũ privato præfuerit, qvando nemo tam hospes est in hoc Musarum emporio, qvi ignoret, nemo tàm lividus, qvi obtrectet, tàm impudens nemo, qvi vocet in dubium, orationis ambitu commemorare supervacaneum est. Nullius indiga pigmenti vivit Kromayeri virtus in ingeniis Alumnorum, qvos gubernavit; in Juvenum reliqvorum pectoribus, qvos variâ sapientiâ saturavit; in Collegarum animis, qvos lætis rebus applausu, adversis solatio, dubiis consilio juvit; in Orbis literati conscientiâ, qvem tot immortalibus scriptis perpetuò sibi devinxit, qvodq; speramus, ab obitu devincire denuò incipiet, ubi vulgabuntur, qvæ vivus ipse intra Musei septa continuit, sive qvòd parùm delectaretur aucupio parandæ per chalcographos famæ, sive qvòd negotiorum in tot functionibus qvotidiana moles nõ permitteret ipsi, adornare sua in usum officinarum. Omninò enim nulla ipsum hora spectavit otiosum. Ac providerat illi qvoq; Deus de eâ vivendi opportunitate, qvæ solutum à curationibus domesticis

ſticis tradere totum poſſet ac parem reddere tantæ munerum publicorum multitudini. Etenim cùm ad matrimonii fœdus animum appuliſſet, dignum habuit JCtus celeberrimus, ſuæq; Facultatis jam Ordinarius, Vir Nobiliſſimus, maximè Reverendus atq; Magnificus Dn. Georgius Tobias Schwendendörferus, Conſiliarius Electoralis, Curiæ Provincialis Aſſeſſor, Eccleſiæ, qvæ Martisburgi eſt, Cathedralis & S. Sixti Canonicus ac Cuſtos, Nationis apud nos Bavaricæ, qvin & totius Academiæ Senior, Majoris Principum Collegii Collegiatus, atq; inter Decemviros Paulini Collegii h. t. Præpoſitus longè ſplendidiſſimus, cui Novembri menſe anni 1646. filiam elocaret, pudiciſſimam omnibusq; florentem fœminei ſexûs ornamentis Virginem Annam Juſtinam. Nec ſterile penitus hoc fuit conjugium, cùm d. 5. Januarii Anno 1653. Parentes optimi natum è caſtiſſimis complexibus filiolum oſcularentur, cui ex Avo Georgii Tobiæ nomen facere viſum eſt ipſis. Verùm cùm infantem vix triduanum propero funere efferrent, neqve hanc orbitatem nova ulciſceretur poſteà fœcunditas: toti Viro, præcipuè

qvi

Digitized by Google

qvi sobrietati qvàm maximè studeret, comessationes & omnes desidum delicias extremè fugeret, manum injicere occupationes illæ potuerunt, qvæ propriæ Theologo Domum Dei ædificant. Ut hâc etiam parte non iniqva sit Hieronymi nostri cum illo Stridonense comparatio, cujus magnam vitæ portionem solitudo non nisi divinis dedicavit officiis. Atqve ut hunc illud in ore habuisse proditum est, cùm diceret, auribus suis, sive vigilaret ipse, sive dormiret, semper intonare vocem, qvæ surgere mortuos atq; in judicium venire jubet: ita familiare nostro fuit velut in vicem symboli albis inscribere sententiam, qvæ *superna pulchriora* (*e*) esse confirmans, infixam cœlestibus perpetuò mentem demonstravit. Una res Hieronymo veteri ut disparem, ita præferendum etiam fecit. Nam iste, qvi nævus Optimi de cætero Patris fuit, in iras natura propensior parùm liberali sale interdum scripta adspersit sua; Nostro per omnem vitam nihil placidiûs, nihil humanius, nihil tranqvillius fuit; domi, foris, publicè, privatim, pacata habuit omnia; qvippe solis succensere vi-



(*e*) Τ' ἀνώτερα καλλίω.

Digitized by Google

tiis, non hominibus didicerat. Ac meminimus hoc illi à Venerando Socero, ac Pientissima Socru, nec sine lacrymis, negatum tàm amabilis Viri diuturniorem usum deplorantibus, perhibitum esse ultrò testimonium, nunqvam se vel verbulo Generi, vel gestu minimo offensos fuisse. Tàm svavem vitam nemo miretur, si mors æqvè dulcis est consecuta. Nec enim gravi dolore aut diuturna jactatione concussit eum morbus, & anima, cùm evolandi tempus adveniret, corpus æqvè blando itinere deseruit, qvàm qvo amantium basia ultrò citroq; meare solent. Qvinto decimo die mensis superioris adeunda ipsi Wurcena fuit: ac fecit intemperies aëris frigidiusculi, ut humore noxio sentiret sibi occiput ingravescere. Hoc malum, præsertim qvod laborantem non dejiceret, creditum est vel ex diætâ repelli posse. Vigesimus nonus dicti mensis dies periculum detexit, cùm & calor præternaturalis insolitam sitim afferret, & post biduum validus tumor nervorum sub cervice principium obsideret, febrisq; cubantem omni virium firmitudine, frustrà consumptis remediis pretiosissimis, privaret. Animæ

ergò

Digitized by Google

ergò potiùs qvàm corporis suscipiendam sibi curam ratus Noster, ubi, qvæ fieri se mortuo vellet, mandavisset, sacro munitus viatico beatam ἀνάλυσιν intrepidus expectavit. Cujus &, qualem paulò antè depinximus, compos factus est Junii currentis die tertio circa vespertinam septimam, cùm inter mortales exegisset annos sexaginta, mensesq; qvatuor cum dimidio. Beatæ animæ exuvias hodiè terræ mandabimus horâ I. Cui rei ut nostri freqventes adsint, moneri se hoc publico scripto, interpretabuntur. P.P. d. 9. Junii Anno Christi 1670.

****************

## PROGRAMMA LIV.

## DE ORDINE CANDIDATORUM

*Præscriptum celebratæ*

Anno 1670. d. 26. Julii.

## PROMOTIONI BACCALAUREALI.

AD Academicorum Graduum eodem articulo temporis capessenda præmia si plures congregari eveniat, necesse est, illis ordinem dari aliqvem. Id verò duobus evenire modis potest. Aut enim ratio habetur eruditionis, ut qvantò qvisqve expeditiùs at-

qve rectiùs ad Examinatorum qvæsita respondit, tanto ponatur honoratiore loco; aut, illis doctrinæ qvasi ponderibus neglectis, ubi certum fuerit, neminem ex universis mercede, qvam ambit, indignum esse, aliud qvidpiam assumitur, qvod à casu pendeat potiùs, qvàm ex illâ interrogantibus satisfaciendi majore solertiâ. Tametsi verò dubitari non potest, qvin prior ista ratio qvodam nitatur naturæ jure, qvod & in Academiis non paucis custodiri hoc in genere scimus: Lipsiensi tamen nostræ semper approbavit se magis illa consvetudo posterior, qvæ nec ipsa nullibi valens collocandi partes illas è fortunæ magis arbitrio, qvàm præsumptione gravioris in studiis industriæ vult pendere. Ergò, ut primæ tantùm Laureæ, qvando nunc in eo sumus, ut eâ coronemus Eruditorum Juvenum dodecadem, exemplum proferamus, ut qvisqve prior Depositionis in hâc Academiâ susceptæ ritu initiatus est, aut obligatione justâ Civis noster factus, ita præcedit alterum in ipso renunciationis actu. Nemo Lector æqvus vitio vertat nobis, si pervetustæ consvetudini patrocinium, absqve ullius injuriâ, commodemus. Qvi diversa seqvuntur, habent illi fateor, qvo sua tueantur. Neqve nobis tamen in hanc alteram partem idonea deest ratio. Illi suas leges juri, qvod dictum est, naturali accommodant: æqvum enim est, ut, ubi

sua

Digitized by Google

sua virtuti pretia statuuntur, tanto qvisqve potiore sit numero, qvanto in virtute progressiones fecisse majores deprehensus est. Nobis contrà visum hîc fuit commodius, ut nostra conformaremus ad regulas status legalis, qvarum hæc una præcipua est, ut odiorum semina inter cives & contentionum evellantur. Qvæ res ipsa qvidem alteram qvoqve ingressis viam ita placuit, ut, si contingat eos concurrere, qvi diversis temporibus idem sunt in eâdem arte præmium consecuti, non tamen is præcedat, qvi fortè ingenii laudibus absqve controversiâ sit superior, sed qvem sors coronavit priorem. Nempe faciliùs ferunt homines in eâ re vinci ab aliis, qvam fortunæ, qvàm in eâ, qvam sibi debet qvisqve: qvòd in altero culpa omnis aliena, in altero maxima nostra esse videatur; noxæ verò alienæ opprobrium ferre nemo apud æqvos judices soleat. Itaqve passim videas illi naturæ juri, qvod rationem postulat haberi virtutis propriæ, à legali statu obrogatam esse legem alteram, qvæ jure potiorem illum esse pronunciat, qvi sit prior tempore; qvæ certè qvædam est prærogativa fortunæ. Neqve in tonstrinis tantum & molendinis (a) sanctio invaluit, ut qvi alterius adventum casu occupavit, celeriùs absolvatur: sed eadem summis qvoqve Regnis ac Princi-



(a) *Hinc proverbium*: Wer eher kommt/ der mahlet eher.

Digitized by Google

patibus præscribere modum solet, ut, qvi prior in hanc lucem est editus, qvâ in re profectò nulla nati hominis virtus est, is Parente mortuo sceptra excipiat Imperii. Adeò paci ac tranqvillitati publicæ consentanea visa res fuit, maximas qvoqve Dignitates non virtutis magnitudine metiri, sed præventione temporis, aut ratione simili: non alia profectò de causâ, qvàm ut amputarentur inimicitiæ radices. Tangit hanc rationem in argumento affini Aristoteles noster, neqve nos operæ credo pœnitebit, si locum ejus integrum, hâc occasione excutiamus, præsertim cùm in eum incidens Hispanus Scriptor Joannes Huartes (b) illo se duci patiatur ad comprobandum hunc ipsum Academicum Candidatos ordinandi morem, qvem & nobis placere dictum est. Qværit ergò in problematibus Aristoteles (c): *cur Veteres præmia certaminibus corporum posuerint, Sapientiæ nullus qvicqvam statuerit?* Respondet autem, interprete Theodoro Gaza, his omninò verbis: (1) *An qvia judices, qvod ad ingenium attinet, vel præstantiores, vel nihilo deteriores nimirum esse iis debent, qvi inter se certant? Qvod si homines sapientiâ excellentiores certare deberent, proponereturqve præmium, arbitris sanè sibi carerent. At verò in certaminibus gymnicis qvis q, sino*

(b) Scrutin. ingen. c. 16. p. 505. 506. ubi tractat qvæstionem: unde sit, qvòd in ludo latrunculorum magis qvàm in ullo alio adiram qvis concitetur? (c) Sect. XXX. n. 11. f. m. 629.

Digitized by Google

*suo tantum aspectu judicare integrè potest (2). Item author ille præmiorum tale suis hominibus certamen proponere noluit, unde inimicitiæ seditionesqve maximæ exorirentur. Homines enim cùm in re sui corporis aliqva improbantur, non molestè animo ferunt, neqve iis infesti redduntur, qvi ita judicarint. At si stolidiores judicati sunt, judicibus admodum ipsis succensent, ægreqve vehementissimè ferunt: qvæ qvidē res seditiosa & stolida est. (3) Adhæc præmiū præstantius esse suo certamine decet. Itaqve certaminum gymnicorum præmium optatius & præstantius, qvàm ipsa concertatio est. Prudentiâ verò qvodnam præmium præstantius esse possit?* Ut de re totâ constet locupletiùs, sciendum, vetustas Græciæ Civitates magno Ludorum apparatu instituisse qvondam certamina publica, in qvibus auferret ille præmium, qvi cæteros vicisset. Ratio verò certandi omnis qvâdam virtute aut contentione corporis constabat potiùs, qvàm animi: Cursu enim res peragebatur, aut saltu, aut disco, aut jaculo, aut luctâ. Ac celebrantur maximè solennes qvatuor Ludi: Isthmii, Nemei, Pythii, Olympiaci. Qvibus illud ævum nihil habuit aut apparatu splendidius aut famâ celebrius: adeò qvidem, ut qvi palmam hîc tulisset, is in omnium poneretur prædicatione maximâ. Corporis ergò Viribus cùm tanta forent constituta brabea, dignum inqvisitione censuit Aristoteles, cur nullum planè præmium illi foret positum, qvi Sapien-

Digitized by Google

pientiâ, doctrinâ, ingenio alios anteverteret? De Græcis loqvitur suis, de horum ætate priscâ. Nam apud nos qvidem hodiè scimus illis etiam animi virtutibus certa esse honorum insignia definita. Sed horum nihil Græcia vetus, nihil magnoperè ante Capitolinos agones, Poetarum inprimis certaminibus notos, Romanus orbis præivit olim posteritati. Qvod cum mirari non immeritò possis, videamus, ad qvarum nos causarum considerationem vocet Philosophorum Princeps. Tres eæ sunt, qvas ita brevissimè designes, si *primam* à defectu Judicum, *alteram* à defectu utilitatis, *tertiam* à defectu præmii dicas esse petitam. Qvod *primo* loco positum est, ad defectum Judicum pertinet. Græcorum illæ Respublicæ veteres popularis imperii formâ ferè continebantur. Penes populum ergò & puniendi sontes, & honorandi virtute præditos maxima erat potestas. Itaqve si pedibus agenda res foret, si saltu, si luctâ, nemo erat vel ex infimâ populi fece, qvin idoneus esse judex horum certaminum posset. Ad oculorum enim arbitrium tota res veniebat exigenda. Finge jam, Philosophos inter se decertasse, qvis de rebus naturalibus acutissimè, de divinis solertissimè disputaret: qvid hic judicare poterat homo plebejus, si pro tribunali sederet? Nihil planè. Habet enim hoc genus hominum oculos qvidem, qvibus intueri pedes currentium possit; qvibus æstimare inge-

nia

Digitized by Google

nia disputantium, nullos habet. Hæc ergò prima fuit Aristotelis ratio. Qvam ex eo non satis accuratè profert Huartes, dum *difficultatem* judicii causatur, cùm *planè nullum* id esse potiùs judicet noster. Sic autem rationem ejus primam circumloqvitur: *in luctis & certaminibus corporalibus permitti, ut judices certi dentur, qvi de excessu ac primis, qvibus alter alterum antecellit, judicent: qvippe qvùm proclive admodùm sit vel visu dignoscere, uter duorum meliùs saltet, uter velocius currat; justè digneqve ei, qvi vicerit, præmium adsignari potest. Sed in scientiis difficile admodum est intellectu divinare, uter utrum præstet: qvoniam causa spiritualis ac multum subtilis est.* Mox addit ea, de qvibus planè nihil apud Aristotelem: *Præterea si judex*, inqvit, *ex malitiâ aut invidiâ distribuere præmia cupiat, vix est, ut omnes fraudem animadvertere possint, qvoniam illud tale judicium spectantium auscultantiumve sensibus admodùm est occultum.* Tale nihil Aristoteli venerat hic in mentem, qvi Judices planè qveritur abesse, non, malitiam eorum aut invidiam parùm esse publicè observabilem, indignatur. Enimverò sic est: Græcia vetus, qvam democraticis imperandi formulis maximè delectatam fuisse dictum est, Sapientiæ studia, ut in hoc regimine fieri amat, minimi faciebat. Ostendit Celeberrimus Conringius [d], apud hanc gentem ferò lite-

(d) Dissert. I. Antiq. Acad. p. 7. seqq.

literas coli cœptas, neqve Scholas, accurationis qvidem Doctrinæ, ullas olim, nisi à privatis, institutas fuisse; sic Pythagoram, sic Æsculapium, sic Gorgiam, aliosqve, sic Socratem, sic Mathematicos docuisse; primo Platoni publicam fuisse concessam Scholam, postqve hunc deinceps aliis, sed stipendio publico nullo; neqve jurisdictionem datam fuisse in discipulos Magistris, aut immunitatem ullam concessam. Qvi hoc animo fuerunt in literas, hi profectò, si maximè literati contenderent ingeniis, malum non verterent. Qvi ipsi culturam sprevertant ingenii, ne poterant qvidem in controversiis ingeniosis agere judices. Ac nescio an non impotentia hæc ex eo præcipuè fonte processerit, qvòd illæ nationes priscæ belli, qvàm pacis fuerint studiosiores. Ergo luctatores illis erant in pretio. Valebat aliqvid ars horum ad bella. Philosophi contemnebantur. Qvid enim Apollini cum Marte? Musis cum Bellonâ? *Altera* causa, ob qvam denegata qvondam Sapientiæ præmia vult Aristoteles, periculum est ab inimicitiâ. Graviùs enim dolet animi, qvàm corporis aliqvâ virtute superari. Ergò indignamur iis, â qvibus dejecti sumus. Hi duorum sunt generum: Judices, ac Victores. De solo in Judices odio agit hîc Aristoteles. Cui rectè ipsorum inter se competentium lites addi observat posse Doctor Hispanus. Sed num & hoc eidem assentiemur, alteram hanc Aristo-

telis

telis rationem præferendam esse præcedenti? Nolim ita judicare, in præsenti qvidem qvæstione, & si priorem Aristotelis rationem rectè, ut fecimus, exponamus. Fateor, si qværatur, qvæ Majores nostros causa impulerit, ut Doctoribus, ut Licentiatis, Magistris, Baccalaureis ordinem ex prærogativâ Sapientiæ dare nollent? optimè responderi, factum id esse simultatum amoliendarum gratiâ. At verò ubi cum Aristotele scruteris, cur isti veteres Græci gymnicis exercitiis luculenta præmia, Sapientiæ certaminibus nulla invenerint? qvam ipse causam primo posuit loco, ea nobis profectò cæteras pondere videtur anteire. Nam ne *tertia* qvidem magnoperè satisfacit, cùm ait, ideò denegata Sapientiæ fuisse præmia, qvòd par illi præmium esse nullum qveat. Qvod verum est qvidem; sed meminisse hîc oportet, ita nos esse homines comparatos, ut præmia sæpissimè non ex vero, sed ex opinione & affectu metiamur; in ponendis autem virtutum præmiis, non secus atqve in venalium rerum constituendo pretio, magnam vim habere appetitum Emptoris. Nam sic &

*.... pueris dant crustula blandi*
*Doctores, elementa velint ut discere prima* (e).

Utiqve tali dulcedine maximè ducitur ætas tenella. Qvis autem dicat, illo ingenii utcunqve puerilis cultu, nobilius aliqvid atqve præstan-

(e) Horat. L. Satyr. I. v. 25. 26.

Digitized by Google

ſtantius eſſe cruſtulum? Neqve nos adultos iſta judicii deſerit imbecillitas. Ergò pleriſq; magis honor ſapit, qvàm virtus, hoc eſt, umbra, qvàm corpus, magno qvidem corruptionis noſtræ argumento, ſed cui ſe applicantes qvi Rempublicam regunt, haud peccant magis, qvàm Pædagogi, qvi melle pueros & ſaccharo ad prima diſciplinarum rudimenta perducunt. Ac profectò illa ratio Philoſophi noſtri poſtrema minimè perſvaſit ætatibus poſteris, ut de collocandis Sapientiæ præmiis, qvalia ſunt illi gradus Academici, nihil cogitationum ſuſciperent. Qvin potiùs, cum cœperunt æſtimari bonæ literæ, ſimul harum cultoribus diſtribui cœpta ſunt præmia. Gymnicorum autem iſtorum certaminum nullum apud nos hodiè veſtigium eſt, niſi in torneamentis, (qvæ & ipſa tamen freqventari deſiere,) aut jaculationibus ad ſcopum, volucremve ligneam ſublimi perticâ erectam. Alia nimirum tempora mores alios poſtulaverunt, & à plebejis formis in melius mutatæ Respublicæ honorem illis artibus habent, qvibus Rectores noſtri horumqve Conſiliarii præter cæteros ſunt inſtructi. Sed cur ſua Literatis præmia non eâ lege, ut ſua Luctatoribus olim iſti, deferimus? Qvi ſe exercebant in ſtadio, currebant qvidem omnes, ſed unus accipiebat brabeum (t). Nos, ubi ſe dat copia Petitorum, omnes ornamus bra-

(t) I. Cor. 9. v. 24.

Digitized by Google

brabeo, neminem excludimus, nisi penitùs indignum probaverit examen. Nimirum hîc jam patefacit se locus illi rationi, cui in aliâ qvæstione secundas dederat Philosophus, nos in hac non dubitamus dare primas. Fac è decem Petitoribus unum à nobis coronari solum, reliqvos excludi. Magis indignabuntur, qvàm illi olim cursores. Enimverò cursu vinci, corporis qvædam imbellia est; eruditione superari, opprobrium animi. Formare sibi corpus nemo potest, animum potest. Itaqve alterum in infortunio ponitur, alterum in dedecore; graviùs autem vulneratur hominis animus dedecore, qvàm infortunio. Imò qvasi etiam ad laudem pertineant corporis nævi, horum commemoratio blanditiis intervenire solet interdum: qvomodo apud Homerum Juno non putabat blandiri se Vulcano filio posse, nisi claudipedem (g) appellaret (b). Et qvis nescit, nobilissimis Romanorum qvibusdam atqve Græcorum cognomina fuisse ab aliqvo corporis vitio imposita? qvorum eos adeò non puduit, ut splendoris ergo vel in familiam interdum transferrent. Ergò si de corporis pulchritudine disceptetur, facilè qvis vinci se feret. At verò si animi dotes veniant in pugnam:



(g) κυλλοποδίων. Deminutivum hoc esse volunt, ut *claudipedunculum* vertere liceat. Tale esset Italorum *Zoppettino* apud Petr. Victor. lib. XXIX. Var. Lect. c. 19.
(h) Vide Victor. d. l. Muret. XI. Var. Lect. 10. Plutarch. de audiend. Poet. (Tom. I. Moral. p. 51.)

Digitized by Google

*Qui velit ingenio cedere, nullus erit.*

Qvare minùs probat sé nobis institutum Caligulæ Cæsaris de certamine Græcæ Latinæqve facundiæ, qvo fiebat,

*Ut Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram,*

palleret contemplatione videlicet pœnæ, qvæ maneret eum, qvi maximè displicuisset (*i*). Qvantò sapientiùs Majores nostri, qvi fraudari neminem voluerunt eruditionis præmio, utut admissus in certamen doctissimo foret inferior. Verùm hîc factum est ineptâ qvadam ludorum veterum imitatione, ut, qvi honor esse debuit, propè abierit in infamiam. Qvi stetisset unus omnium bellissimè, hunc eximio qvodam præ universis honore mactabant Academiæ nonnullæ. Talem Lovaniensem describit Vernulæus (k), cùm agit de gradu Licentiæ in Facultate Artium: *Ubi* enim, inqvit, *Omnium* (Candidatorum) *renunciatus est primus, in ejus Gymnasio tres dies ac noctes campano ære signum datur, pulsaturqve, & studiorum vacatio indicitur. Alia prætereo publicæ lætitiæ signa. Plurimi hunc honorem Juventus æstimat, & in omnium oculis est, qvi reportat.* Sed ex eodem Vernulæo (l) intelligimus, ultimum in his promotio-

(i) Vid. Sveton. Calig. c. 20. & inde Robert. Stephan. Diction. p. 1234. voc. *Lugdunum*; cui & Juvenalis huc spectasse videtur. (k) lib. II. Acad. Lovan. c. 6. p. 120. (l) ibid. p. 115. Verba hæc sunt: *Anno 1551. 14. Cal. April. Natalis Rosseu de Basseâ, Gymnasii Lilienſis Metaph. auditor cùm Antonium de Armenteriâ, condiscipulum suum, impacto in brachium*

Digitized by Google

motionibus locum sic eviluisse, ut eo collocari fuerit Natali Rosseu inter pœnas homicidii. An igitur ex his talibus initiis profectum est, ut ignominiæ qvædam nota haberetur, ultimum renunciari? Qvam tametsi demere laboraverunt, qvi faciendorum sumptuum remissione veluti mercati sunt eos, qvi ultrò vellent omnibus postponi: nihil tamen effecerunt, nisi ut illa turpitudinis opinio transiret ab ultimo ad eum, qvi gratuitos antecederet proximus. Nullum his incommodis, nullum simultatibus, qvæ collidere vel amicissimos alioqvin ex istâ ratione solent, remedium est præsentius, qvàm si procedere Candidati jubeantur eâ serie, qvam qvævis causa parit potiùs, qvàm literariæ suppellectilis æstimatio. Cessat enim ex hoc invento invidia, cessat indignatio, qvæ aliàs, ut sumus homines, etiamsi haudqvaqvam iniqvo Judicio rejectus in extrema sis, turbare concordiam solet. Qvi cursu relinqvitur, diffiteri se relictum non potest. At, qvi eruditione posterior est, sæpè nescit se victum, qvòd intelligentiâ res hæc geratur, nec monstrari manu qveat. Id qvod facit, ut ipsi nonnunqvam Judices, dum alius alium præfert, nec idem



*dextrum cultro occidisset, delicti veniam inprimis deprecatus est, tùm in publicâ Artium Scholâ coram Decano, Syndico, Magistris, Bedello & omnium Gymnasiorum Metaphysicæ Auditoribus Virgâ cæsus est. Ceciderunt illum ejusdem Gymnasii Magistri. Cùm autem Magisterii gradum paulò post susceptuus esset, placuit, ut ultimum omnium ejus nomen recitaretur.*

Digitized by Google

dem omnium est calculus, scindantur in factiones. Qvid verò, si iidem affectus etiam adferant corruptos? Annon evenire sic poterit, ut, qvos eruditione debebant, sangvine, loculis, gratiis metiantur, sibiqve eorum, qvos læserunt, odia, nec injusta, conficiscant? Sed age, nihil hîc peccetur. Ipsa ingeniorum comparatio perqvàm difficilis est ac lubrica, in tot præsertim tàm diversarum artium qvæstionibus: qvarum inter ipsas pondera nunqvam inventus est, qvod sciam, qvi ad minutias usqve non dicam exegerit, sed exigere saltem tentaverit. Certè admodum laboriosam esse oportet Lovaniensium hâc in re curam, dum, qvod Vernulæus (m) testatur, *omnium responsa singuli, qvi examinant, in chartam conjiciunt, domi relegunt, ordinem omnium ac singulorum constituunt scribuntqve.* Tanto videlicet sudore opus est, ut extundatur tandem aliqvid, qvod paucissimis placeat, plurimos offendat, animos discipulorum pariter & Magistrorum dissociet. Ergò rationem, qvæ istam in partem affertur: fieri hoc pacto, ut accendatur diligentia studiosorum, ubi intellexerint, præmia cuilibet ex meritis tributum iri; malo his tot ac tantis incommodis commemorandis refellere, qvàm cum Huarte (n) respondere, fieri posse, ut è duobus acuto alter ingenio citra laborem ullum sibi scientiam acqvirat, rudis alter ac stupidus

(m) ibid. p. 120. (n) Scrutin. ingen. p. 507. 508.

Digitized by Google

pidus sudando ne tantillum qvidem proficiat: qvâ ratione periturum huic industriæ suæ fructum, illi negligentiam indemnem futuram. Qvæ qvidem respondendi ratio non satis est huic generi apta: Nec enim debet illud, qvod evenit freqventissimè, spectantibus imponi, qvod opidò rarum est. Satis interim ita dictum pro Academiæ nostræ consvetudine. Qvam ut hactenus, ita in crastinæ qvoqve Baccalaureorum duodecim, qvam feliciter cedere jubeat Deus! renunciatione matutina observabimus. Ordo eorum est, qvi seqvitur:

I. JACOBUS FRIDERICUS Müller/ Syrâ-Variscus.

II. GOTOFREDUS Barth/ Lipsiensis.

III. GOTOFREDUS Böttner/ Schosdorfensis Silesius.

IV. CHRISTOPHORUS Müller / Theumâ-Variscus.

V. Christfried Wächtler/ Grimensis.

VI. CHRISTIANUS RUDOLPHUS Müller/ Dresdensis.

VII. JOHANNES MICHAEL Gutbier / Longo-Salissâ Thuringus.

IIX. JOHAN. GEORGIUS Schubert/ Zittaviâ-Lusatus.

IX. JOHANNES SEBASTIANUS CÆLIUS, Græslitiensis Bohemus.

X. HEINRICUS HILDEBRANDUS, Rydzinensis Polonus.

XI. HEINRICUS JONATHAN Werenberg/ Ileburgensis.

XII. SIMON Zernau / Thorunienſis.

Nemo eſt horum, qvin eruditionis tantam nobis copiam probaverit, ut dignum haberemus primitiis honorum Academicorum. Neqve adeò dubitabit ipſe Rector Academiæ Magnificus, cui Promotoris officium ſors obtulit, Vir Ampliſſ. atqve Excellentiſſ. Dn. JOHANNES ITTIGIUS, Phil. ac Medicinæ Doctor, Facultatis noſtræ Senior, Phyſices Profeſſor Publicus &c. Oratione præmiſſâ ipſorum, ut ita loqvar, capitibus laurum inſpergere. Qvæ res Actum hunc noſtrum vel ipsâ exempli raritate dabit illuſtriorem. Ut autem non minùs illuſtris ille fiat Audientium celebritate, qvotqvot in hoc oppido bonas amant literas, Nobilitate, Doctrinâ, Prudentiâ conſpicuos Viros, & ipſius Magnifici Promotoris, & noſtro nomine cum honoris debiti ſingulis præfatione rogamus, ut velint huic ſolennitati freqventes intereſſe. Idem vel ultrò facturam eſſe Studioſorum Politisſimam Coronam, nobis pollicemur. P.P. Lipſiæ d. XV. Julii A. MDCLXX.

PRO-

Digitized by Google

# PROGRAMMA LV.

# DE VOCABULO PHILOSOPHIÆ

*Præscriptum promulgationi Lectionum Publicarum Facultatis Philosophicæ*

Anno 1678 d. 5. Majii.

PHILOSOPHIÆ vocabulum, qvo discerni Facultas nostra solet à Superioribus, primò (*a*) usurpatum à Pythagorâ fuisse, nemo Eruditorum ignorat. Cùm enim anteà Σοφοὶ appellarentur, seu *Sapientes*, qvi liberalium disciplinarum gloriâ præcellerent: primus Pythagoras tituli magnitudinem verecundè aversatus, Φιλόσοφον se potiùs, hoc est, *amatorem sapientiæ* (*b*) salutari voluit, qvàm Sapientem; nempe qvòd *Sapientis* elogium nulli hominum, soli DEO (*c*) deberi profiteretur: id

Ss 4 qvod

(a) Hinc Pythagoras Apulejo II. Florid. prope fin. audit *primus Philosophiæ nuncupator & conditor*; Ciceroni V. Tusc. p. 230. *nominis inventor. A qvo ferunt ipsum Philosophiæ nomen exortum*, Augustin. VIII. de Civ. Dei 2. Φιλόσοφον ἑαυτὸν πρῶτος ἀνηγόρευσε, Clem. Alex. I. Strom. f. 220. (b) ita vertit Augustinus l. c. & XIV. de Trinit. 1 *Magistorem Sapientiæ* Lactantius III. 2. Alii passim *Studiosum Sapientiæ*. (c) Eadem sententia Platonis in Phædro f. 1234. τὸ μὲν σοφὸν -- καλεῖν ἔμοιγε μέγα εἶναι δοκεῖ, καὶ θεῷ μόνῳ πρέπειν, &c.

Digitized by Google

qvod eum in colloqviò, qvod cum Leonte Phliasiorum Principe intercesserat sibi, causatum esse testatur Diogenes Laertius (*d*), ad Heraclitem Ponticum provocans. Sed qvid est, qvòd Cicero citans & ipse Ponticum Heraclidem, hâc in historiâ causationem illam Pythagoræ, qvam protulimus, planè præterit, alia omnia, prolixè qvidem satis, eloqvitur? Omnes, ait [*e*], *qvi in rerum contemplatione studia ponebant*, Sapiẽtes *& habebantur & nominabantur: idq; eorum nomen usq; ad* Pythagoræ *manavit ætatem, qvem, ut scribit auditor Platonis* Ponticus Heraclides, *Vir doctus inprimis, Philiuntem ferunt venisse, eumqve cum Leonte, Principe Phliasiorum, doctè & copiosè disseruisse qvædam: cujus ingenium & eloqventiam cùm admiratus esset Leon, qvæsivisse ex eo*, qvâ maximè arte confideret? *at illum*: artem qvidem se scire nullam, sed esse Philosophum: *admiratum Leontem novitatem nominis, qvæsisse, qvinam essent* Philosophi, *& qvid inter eos & reliqvos interesset? Pythagoram autem respondisse*, similem sibi videri vitam hominum & mercatum *eum, qvi haberetur maximo ludorum apparatu totius Gra-*

(*d*) Proœm. de vit. Philos. (*e*) V. Tuscul. p. 229.

*Græcia celebritate: nam ut illic alii corporibus exercitatis* gloriam *& nobilitatem coronæ peterent, alii emendi & vendendi qvæstu &* lucro *ducerentur, esset autem qvoddam genus eorum, idqve vel maximè ingenuum, qvi nec plausum nec lucrum qværerent, sed* visendi *causâ venirent, studioseqve perspicerent, qvid ageretur & qvomodo: item nos qvasi in mercatus qvandam celebritatē ex urbe aliqva, sic in hanc vitam ex aliâ vitâ & naturâ profectos* (*f*), *alios* gloriæ *servire, alios* pecuniæ; *raros esse qvosdam, qvi cæteris omnibus pro nihilo habitis rerum naturam* studiosè intuerentur: *hos se appellare* Sapientiæ studiosos, *id est enim* Philosophos; *& ut illic liberalissimum esset spectare nihil sibi acqvirentem, sic in vitâ longè omnibus studiis* contemplationem *rerum cognitionemqve præstare.* Eqvidem habet his similia, licet paucioribus circumscripta verbis Laërtius qvoqve alibi (*g*), sed è Sosicrate excerpta, non ex Heraclide. Cur ergò Heraclidem hîc nobis Cicero, non Sosicratem nominat? An memoria ipsum fefellit? An in Laërtii qvoqve posterio-



(f) Observa hîc hypothesin Pythagoræ, qvanqvam falsam, de animæ præexistentiâ. (g) lib. VIII. in vitâ Pythagoræ (p. 572. ed. græcolat. Colon. Allobr. Anno 1616.)

Digitized by Google

re loco, qvod Menagio [h] venerat in mentem, Heraclides legendum, non Sosicrates? An Heraclidem pariter & Sosicratem putabimus integram hujus negotii scripsisse historiam, cujus partem alteram Laërtius ex Heraclide, alteram sit è Sosicrate mutuatus? Eqvidem non est, cur his expediendis tricis, præsertim cùm Autorum scripta, qvibus Cicero & Laertius usi sunt, ætas aboleverit, fatigemur. Operæ tamen pretium fuerit, hos Philosophi nominis qvasi natales illustrare, atqve adeò & membra Pythagorici cum Leonte colloqvii ex ingenio nostro compingere. Ante Pythagoram *Sapientes* habitos fuisse ac nominatos, non modò qvi Theoreticarum, ut vocamus, disciplinarum studium excoluissent, sed &, qvi Practicarum, Oratores item ac Poëtas, dubitare non potest, qvisqvis vel Solonem, qvem secundo inter septem Sapientes loco memorat Laërtius (i), recordabitur Legislatorem fuisse Atheniensium, vel

(h) Observ. in Laert. f. 207. ubi tamen nihil mutandum censet, qvòd verosimile sit, relatam eandem de Pythagorâ historiam à Sosicrate pariter & Heraclide fuisse.
(i) Proœm. p. 9. & lib. I. p. 30. (edit. lit. g. citatæ.)

Digitized by Google

vel Sapientibus leget accensos Nestorem & Homerum (k), illum eloqventiæ, hunc artis poëticæ laudibus celeberrimos Viros. Cùm ergò venientem ad ad se Pythagoram Phliasiorum Princeps Leon animadverteret, Virum esse omninò Sapientem, rogavit ipsum, cui se maximè *arti* consecrasset? suspicatus videlicet, *praxi* eum cumprimis addictum. Negavit Pythagoras, *artem* ullam sibi familiarem esse, *Philosophum* se potiùs professus: Comparavit autem Philosophum homini, qvi non *gloriæ*, non *lucri*, sed è contemplatione rerum captandæ *oblectationis* (*l*) ingenuæ causâ mercatum adeat. Intellexit Leon, hospitem sibi obtigisse non Practicæ vitæ, (qvod optabat fortasse, ut ejus in administrandâ Rep. consiliis uti posset,) sed *Theoreticæ* addictum: cumqve & hoc genus hominum sciret ornari titulo Sapientum, qvæsivit porrò, cur appellari se non potiùs *Sapientem* vellet, qvàm *studiosum Sapientiæ*? Respondit Pythagoras, ideò se ab isto abstinere nomine, qvia soli

(k) vid. Cic. V. Tuscul. p. 229. (l) Lactant lib. III. c. 16. (p. 285. ed. Gallæi.) *Non ergò utilitatem ex Philosophia, sed* oblectationem *petunt*. &c.

Digitized by Google

li hoc DEO conveniat (*m*): enimverò qvicqvid hujus virtutis in homine sit, id imperfectum adeò esse, si cum divinâ, hoc est, purisimâ & omnibus absolutâ numeris sapientiâ comparetur, ut absentis potiùs desiderium, qvàm possessio præsentis haberi mereatur. Ex historiâ, qvalem ita delineavimus, facilè perspicias, soli Pythagoram *contemplativæ* Sapientiæ, qvippe cui solus & ipse deditus fuit, *Philosophiæ* vocabulum accommodavisse. Unde haud immeritò dubites, rectene Scriptor anonymus *μεθόδῳ εἰς τὰς τέχνας τῆς φιλοσοφίας* illam passim decantatam definitionem, qvâ *φιλοσοφία* fertur *γνῶσις θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων*, (ubi *ἀνθρώπινα πράγματα* objectum sunt *activæ* Sapientiæ, perinde ut *τὰ θεῖα speculativæ*,) ad autorem retulerit Pythagoram. Vero similius est, eam nos illis debere temporibus, qvibus Pythagorâ posterior *Socrates Philosophiam primus*, ut cum Cicerone loqvar (*n*), *devocavit è cœlo, & in urbibus collocavit, et in domos etiam*

(m) Georg. Hornius lib. III. Histor. Philos. c. II. p. 176. aliam qvoqve suspicatur Pythagoræ causam excogitandi hujus nominis fuisse: sed eam hîc excutere spacium chartæ non finit. (n) è V. Tuscul. p. 230.

Digitized by Google

*etiam introduxit, & coegit de vitâ & moribus, rebusqve bonis & malis qvarere.* Sic nimirum hæc ipsa definitio, qvam Veteres ante Pythagoram *Sapientiæ* dederant, nominantes eam *rerum divinarum & humanarum scientiam* (o), post Pythagoram ætate Socratis *Philosophiæ* cœpit aptari. Cæterum Qvintiliani ævo nomen *Philosophi*, angustioribus limitibus, qvàm qvondam ante Pythagoram *Sapientis*, inclusum fuit. Nam olim Sapientes audiebant, ut suprà (p) docuimus, *Oratores* qvoqve. At verò Qvintilianus (q) indignatur admodùm, Oratorem, qvem ipse perfectum, nec dicendi modò eximiâ facultate, sed omnibus animi virtutibus instructum animo complectitur, distingvi à Philosopho. Nos verò *Philosophorum* nomen hodiè haud invidemus *Oratoribus* etiam ac *Poetis*, cùm Philosophiæ vocabulum sic usurpemus, ut qvicqvid est liberalium disciplinarum inferiorum, (qvas sic à superioribus, *sacrâ* videlicet *Theologia*, *Jurisprudentia*, *Medicina*,

(o) Definitionem hanc suggerit Seneca Epist. 89. (al. 90.) item Augustin. XIV. de Trinit. I. Conf. Cic. II. de offic. p. 33. & V. Tuscul. p. 229. (p) lit. k. (q) Proœm. instit. Orator. p. 4.

Digitized by Google

*na*, distingvimus, eo comprehendatur. Vides ita, Vocabulis evenire id ipsum solere, qvod numismatibus, ut jam plus valeant, jam minus: imò illud insuper, ut veteri monetæ substituatur nova; nam sic Pythagoras pro *Sapiente* cœpit *Philosophum* nominare. Qvo in negotio dũ versamur, non prætermittenda nobis est qvæstio, qvam Keckermannus (*r*) movet: *utrum Pythagoras rectiùs facturus fuisset, si simplex ac nativum nomen* (Sapientis) *retinuisset?* Ad qvam qvidem ipse sic respondet affirmativè, ut Georgius Hornius (*s*) iis eum subjungat, *qvi retinendam esse* Sapientiæ *vocem censeant*. Tametsi verò Keckermannus ibi non tam id agit, ut hodiernam loqvendi consvetudinem, qvâ *Philosophiam* in ore habemus, improbet, (neqve verò ipse sibi hujus vocabuli usu continuo interdicit,) qvàm ut consilium culpet Pythagoræ, veterem vocem, qvæ commodior videtur Keckermanno, abolere incipientis: tamen displicere nobis modestia Pythagoræ, passim aliis qvoqve laudata, non potest, deprecantis eam laudem, qvæ soli

(*r*) lib. I. præcogn. Philos. c. I. (Tom. II. System. System. p. 2.) (*s*) III. Histor. Philos. II. p. 176.

Digitized by Google

ſoli debeatur DEO (t). Non damnat hanc pietatem Keckermannus, diſtingvit tamen inter *ſapientiam eſſentialem*, qvæ ſolius DEI, & *accidentalem*, qvæ ſit hominum, *perfecta* & ipſa tùm humano qvodam gradu, tùm partibus ſuis. Haud inficior, ſano ſenſu defendi poſſe qvalemcunq; humanæ qvoqve ſapientiæ *perfectionem*: ſed huic certè perfectioni admixta tot imperfectionum, huic ſapientiæ tot errorum pondera eam ſic adulterant, ut Pythagoras, præſertim de ſe *in concreto* locutus, non de ſapientiâ hominis *in abſtracto*, laudandus perinde veniat, atqve ſi qvis de argento ſuo ſcoriis mixto interrogatus precium ejus ad normam veri minuat. Dicet aliqvis fortaſſe, exuiſſe nos tamen illas Pythagoræ ſcorias de animarum præexiſtentiâ, (u) reliqvosqve ethnicæ philoſophiæ errores, qvorum contemplatione Lactantius negat, Philoſophiam, gentilium puta, eſſe Sapientiam, (w) eamqve velut humanæ cogitationis inven-

(t) Regredere ad lit. c. (u) ſupra lit. f. (w) lib. III. c. 2. p. 236. ed. Gallæi, ubi p. ſeq. huc & illud Pythagoræ trahit, pro *Sapiente* ſe profitentis *qvæſitorem Sapientiæ*. Ejus etiam errorem de animarum præexiſtentiâ caſtigat c. 18. p. 297.

Digitized by Google

ventum repudiat (x). Ita est, sed non exuimus illas tenebras, qvas Adam lapsus tantas infudit nobis, ut in physicis certè rebus etiamnum hodiè, tametsi in seculum eruditissimum inciderimus, plena sint omnia gravissimarum dissensionum. Porrò si qva scimus, fac ea plurima esse, minima tamen ipsa sunt pars eorum, qvæ ignoramus. Qvid ad hæc Keckermannus? *Si vires humani ingenii*, inqviet, *nomina debeant dare virtutibus & doctrinis, jam nulla virtus aut doctrina futura est, cui non nomen* φίλος *sit præponendum: nec jam ampliùs fuerit dicendum* δικαιοσύνη, *sed* φιλοδικαιοσύνη, *nec* θεολογία, *sed* φιλοθεολογία, *& sic de omnibus aliis.* Nihil ergò mutemus in his vocabulis deinceps. Nomen autem *Philosophia* tot jam inde usq; à Pythagorâ seculis floridum patiamur & ad nostros derivari posteros. Etiam hoc à nobis modestiæ studium impetret, ut gaudeamus toties nos admoneri imbecillitatis nostræ atqve imperfectionis, qvoties *Philosophi* nominamur. Neqve hîc imitemur Veteres è gentilibus, qvorum superbiam adeò non expugnavit verecundi tituli sonus, ut apud Tertullia-

(x) ibid. c.16. p.286.

Digitized by Google

lianum (y) potiùs atqve Hieronymum (z) proverbii ſpeciem illud præ ſe ferat: *Philoſophus gloriæ animal.* Chriſtiani ſumus, qvos maximè decet humilitas. Abeant igitur Stoici, ſecta ſic inflata, ut *Sapientem* ſuum Deo parem (prorſus contra Pythagoræ effatum) haberent: qvam ipſam ob cauſam & *Sapientiam* ſibi à *Philoſophiâ* diſtingvendam putaverunt (a), ne qvis videlicet *Sapientem* ipſorum cum gregario confunderet *Philoſopho.* Stoicorum autem approbans ſententiam Lipſius [b], & Platonem Ariſtotelemqve, qvaſi qvi *Sapientiam* cum *Philoſophiâ* confundant, perſtringens, non animadvertit, ſe aut λογομαχεῖν, aut aliorum ſenſûs pervertere. Hæc præfari jam viſum fuit, cùm Philoſophorum in hâc Academiâ Lectiones publicæ conſveto more indicandæ Programma hoc legentibus forent. Qvod ergò Deus benè fortunet!

## *ANTE MERIDIEM.*

Horâ VI. M. JOH. CYPRIANUS, Phyſ. Prof.



(y) de animâ cap. 1. (z) Epiſt. ad Pamach. ſuper ob. uxor. item ad Julian. Tom. I. Oper. f. 75. & 94. (a) Seneca epiſt. 89. (al. 90.) *Dicam, inter* Sapientiam & Philoſophiam *qvid interſit.* Sapientia *perfectum bonum eſt mentis humanæ,* Philoſophia *Sapientiæ amor eſt & affectatio &c.* (b) lib. II. manud. ad Stoic. Philoſ. differt. 7. p. 65 *t*

Digitized by Google

Publ. Prælectiones in Aristotelem à lib. 3. Physicorum perducet, qvousqve per paucitatem temporis progredi licuerit; horæ enim parte Systema integrum in compendio tradet.

Ab VIII. usqve ad IX. L. VAL. ALBERTI, Dialect. Philipp. & Metaphys. P. P. diebus Lunæ & Martis, Logicam; Jovis & Veneris, Metaphysicam docebit sic, ut & novorum dogmatum studia evertantur, & de usu Optimarum disciplinarum Studiosæ Juventuti constet.

Horâ IX. CHRISTOPHORUS Pfaus / Mathem. P.P. & Acad. hodiè Rector doctrinam Trigonometricam pertexet, reliqvum Geometriæ cursum hâc æstate, ubi per munia Rectoralia licuerit, absoluturus. Privatis Collegiis in posterum constantem hunc servabit tenorem, ut præcipuas Matheseos partes in æstivas hyemalesqve horas distributas, singulis annis docendo percurrat, ne rerum mathematicarum cupidis, ullâ ex parte in his studiis proficiendi occasio desit. Rationem propositi sui proximè ex Valvis publicis pluribus significaturus.

Horâ X. CHRISTIAN. FRIDERICUS Francksteiff / L. L. & Histor. P.P. perget in recensendis S. Aurelii Victoris Vitis Virorum illustrium. Privatim in gratiam præcipuè alumnorum Electoralium Orbis Politici Horniani partem IV. qvæ Geographiam tam veterem qvàm novam tradit, explicabit.

Digitized by Google

Horâ

Horâ XI. JOACHIMUS FELLERUS, Poes. P.P. Georgii Sabini Cæsares Germanicos elegantissimis elegis descriptos eodem postideà modo, qvo Sarbievii hactenus Carmina qvædam Lyrica, & Biduum Johanneum D. Rappolti τȣ̃ μακαρίτȣ, h. e. Discursibus Poeticis pariter atqve historicis illustrabit. Cæterùm Collegia Oratoria duo, qvæ perpetua vocantur, continuabit diebus Mercurii & Saturni, nec ulli Studiosorum tum in alio studiorum genere, tùm in aperturâ Bibliothecæ, in novam faciem jam reformatæ, suam operam denegabit.

## A MERIDIE.

Horâ I. M. JAC. THOMASIUS, Eloq. Prof. P. & Phil. Fac. h. t. Decanus de stilorum variis generibus, Ciceroniano cumprimis & Lipsiano disseret, hacqve occasione Lipsii Epistolam, qvæ Cent. III. ad Belg. 28. Henrico Uweno inscripta legitur, obscuram præ cæteris & clave indigentem, interpretabitur.

Horâ II. OTTO MENCKENIUS, Moral. P.P. simul ac prælectiones Politicas ad exitum perduxerit, Philosophiam Practicam denuò auspicabitur ductu Tabularum Amplissimi Dn. Thomasii explicandam, inqve eorum gratiam, qvibus diu immorari his literis non licet, brevi spacio absolvet. Privatis Scholis Historiam præsentis seculi pertexet, Reipublicæ prætereà



Digitized by Google

Germanicæ Notitiam Geographico-Historico-Politicam ex Compendio Bœcleriano traditurus.

Horâ III. M. A. Rechenberg/Græc. Liter. Prof. Ordinar. Homero tantisper seposito, ac ad finem perductîs annotationibus in historiam Passionis Salvatoris nostri JESU CHRISTI Philologicis, GREGORII NAZIANZENI ὅρες παχυμερεῖς publicè explicare instituet.

Horâ IV. L. ANTON. GUNTHER HESHUSIUS, Organi Aristotelici Prof. Publ. Topicorum Librorum Nucleum cùm hactenus absolutum dederit, nunc qvæ de solvendis Sophistarum strophis in postremis Organi præcipiuntur, methodo receptâ pertractabit.

P.P. Dominicâ Rogationum d. 5. Maji Anno 1678.

********:***:******

# Programma LVI.

# DE DEFINITIONE & OFFICIIS S. ANGELORUM,

*Præscriptum Orationi,*

Qvam Anno 1678. die Profesto Archang. Michaelis 28. Sept. habuit

JOHAN. TOBIAS ZOPFIUS

## De Præliis Sanctorum Angelorum.

SUnt eqvidem Angeli, non minùs qvàm corporeæ substantiæ, creati à DEO:

DEO: ſed cùm ſenſûs effugiant noſtros; admodùm obſcura nobis illorum, qvod ad lumen attinet naturæ, eſt notitia. Qvamobrem ubi de illis diſſerendum eſt Philoſopho, magnam cautionem res poſtulat, providendumqve illud eſt præcipuè, ne inſipientem imitemur Gentilium ſapientiam, qvi ſomniis ſuis hîc creduli de Spirituum illorum ortu, fortunâ, officiis, vaniſsima pleraqve, in his non pauca inepta atqve ridicula, protulerunt. A qvibus decepti (ut de Patribus hîc taceam) Scholaſtici Doctores, auſi ſunt defendere de Angelis nonnulla, qvæ ſacris è literis everti poſſunt, confirmari non poſſunt; ut cùm Orbium Cœleſtium motores Angelos eſſe perſvadere conantur nobis (a). Nos verò Chriſtiani ſumus. Vereamur ergò de Angelis affirmare, temerè qvicqvam præter ea, qvæ demonſtrant nobis è codice ſacro Theologi orthodoxi. Ab his autem docemur, qvicqvid eſt immortalium & à corpore

Tt 3 ſua-

(a) Leonh. Hutter. Loc. Comm. Theol. tit. de Creat. Q. 7. f. 206. *Concludimus proinde, cùm de officio illo* (Angelorum,) *qvod in movendis orbibus cœleſtibus conſiſtit:, ne γεὼ qvidem* (in ſacris literis) *extet, illud etiam pro ſomnio & fabella Platonicorum & Scholaſticorum habendum & irridendum eſſe.*

Digitized by Google

ſuapte naturâ liberorum Spirituum, conditum initiò fuiſſe purum ab omni labe peccati: verùm ex iis per abuſum arbitrii liberi multa millia Deo fuiſſe rebellia facta; qvin & horum unius, figuram ſerpentis induti, blanditiis primum par hominum ſeductum à Creatore defeciſſe, contagione criminis in omnem poſteritatem tranſeunte. Sic ergò ſciſſa fuit Angelorum natio, & illi rebelles ex Angelis facti ſunt diaboli: qvippe qvi homini non divinum attulerint nuncium, ſed mandatum DEI calumniosâ interpretatione depravantes ſuæ factioni humanum qvoqve genus adjungere laboraverint. Hoc rerum ſtatu miſertus noſtri Deus Redemptorem nobis Filium miſit unigenitum; ex adverſo reprobos Spiritûs flammis nunqvam extingvendis addixit. Sed omittamus illas inimicas DEO pariter & nobis turmas. De bonis ac integritatem ſuam cuſtodientibus, in eaqve jam confirmatis Spiritibus dicere pergamus. Varia ſunt ipſorum officia, ſed duorum ea maximè generum. Qvorum unò verſus ſolum funguntur DEUM, hymnis eum celebrantes, altero verſus Deum & homines ſimul

Digitized by Google

mul, ex divino ſcilicet juſſu hominibus inſervientes. Hymni Angelici ſatis expreſſam formulam Eſaias enunciat his verbis (*b*): *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum; plena eſt omnis terra gloriâ ejus.* Porrò genus hoc officii, qvod hymnis DEO canendis abſolvitur, tanti fecit Athanaſius, ſive potiùs qvisqvis eſt Scriptor Qvæſtionum ad Antiochum, ut inſerendum putaverit definitioni, qvâ facit Angelum *ζῶον λογικὸν, ὑμνολογικὸν, ἀθάνατον*, h. e. *animal rationale, hymniſonum, immortale* (*c*). Eadem definitio, ſed uno vocabulo auctior legitur in ejusdem Pſeud-Athanaſii, (conſentaneum enim, ex eâdem officinâ utrumqve ſcriptum prodiiſſe,) libro de communi eſſentiâ Patris & Filii & Spiritûs Sancti (*d*): *ζῶον λογικὸν, ἄυλον, ὑμνολογικὸν, ἀθάνατον.* Verum *τὸ ἄυλον, immateriale*, intruſum eſſe dixeris ab alio qvodam, volente mitigare ſententiam Scriptoris, Angelos *animalibus* (*e*) annumerantis, ut ſciamus nempe, non *corporeum* animal aut



(b) c. 6. v. 3. (c) qvæſt. 30. (d) citat inde Petrus Halloix Orig. def. lib. IV. q. 5. f. 304. (e) Diſplicuit vox animalis etiam Reuchlino, librum Qvæſtionum latinè reddenti. Itaqve pro ζῶον legendum putavit, ζωὴν, vertiqve *ſuppoſitum vitum*. Vide annotat. ejus ad h. l.

Digitized by Google

*materiale* Angelum esse, sed *incorporeum* atqve *immateriale*. Atqvi hîc illud teneamus, [liceat enim obiter definitionem illam è suis fontibus arcessere,] qvi ex veteribus illis Christianis, Platonicum secuti stilum, Angelos animalia esse profitebantur, [qvam qvidem loqvendi rationem ipsis relinqvimus,] eos simul corpora illis tribuere non fuisse veritos, [sanè verò *incorporeum animal*, aut *immateriale*, σιδηρόξυλον est,] sed subtilissima, qvæqve adeò spirituum naturam non exuerent. Audiamus Bedam (*f*): *De dæmonibus*, inqvit ille, *qværitur, utrum corpora habeant, an non? cùm sint animalia, & omne animal corpus dicatur; an sint spiritus, ut ait Propheta*: qvi facit Angelos suos spiritus. *Inde dicunt qvidam, qvòd corpora sint, tamen ita subtilia, qvæ sensu percipi non possunt. Unde respectu nostrorum corporum, qvæ spissa sunt & grossa, spiritus dicuntur. Qvemadmodum aër, qvamvis corpus sit, tamen propter subtilitatem sui spiritus vocatur. Qvod confirmat beatus Gregorius, qvi in moralibus lib. 2. cap. 2.* [*g*] *de Angelis loqvens ait*: Comparatione

(f) de element. Philosoph. lib. I f. 314. cit. Elmenhorst. not. ad Gennad. c. 12. p. 129. (g) Imò cap. 3. si qvidem

ne nostorum corporum spiritus sunt, sed comparatione illius summi & incircumscripti (*h*) Spiritus (*i*) corpora sunt dicenda. *Hoc iterum probant autoritate B. Augustini, qvi in Enchiridio qvoddam ponit capitulum* [*k*], *qvalia corpora Angeli habeant.* Nimirum Plato animalibus accensebat etiam dæmones, qvi Angeli nobis audiunt. Igitur Platonem qvi seqvebantur olim è Christianis, hominem definiebant non simpliciter, uti nos hodiè, *animal rationale*, sed addebant insuper, *mortale*, ut distingvi sic posset ab Angelis, qvippe ab animalibus rationalibus *immortalibus*. Jam ne qvis Angelos bonos, (ad hos enim solos isthæc definitio pertinet,) cum malis confunderet, Scriptor ille *hymnisoni* qvoqve vocabulum addendum putavit sibi, (qvod adeò aptissimè in eâ definitione extremum (*l*) occupabit locum). Neqve enim hymnis Deum honorant Angeli mali, sed calumniis offendunt. Ex adverso bonorum Angelorum, seu *supercœlestium*



seqvimur editionem operum Gregorii Parisinam anni 1533. f. 5. (h) Sic legendum ex editione dicta, non, *incircumspecti*, ut habetur apud Elmenhorstium, vitio forsan Typographi. (i) Dei videlicet. (k) Capitulum hoc est 59. Tom. II. Oper. August. f. 172.) (l) Eqvidem in ipsâ defi-

*virtutum*, (pergamus enim loqvi cum autore Qvæstionum ad Antiochum *(m) opus est hymnus indefinens, & laus irreqviescens magnificentiæ DEI.* Jam cùm hoc ipsum hymnorum canendorum officium non hujus seculi terminis ut alterum illud, juxta qvod hominibus inserviunt, claudatur, sed in omnem futuri ævi æternitatem se diffundat; vel hoc nomine mereri id poterat honestum in definitione Angeli locum. Definiri enim res qvæqve iis notionibus postulat, qvæ à definito nunqvam divellantur. Desinent Angeli servire nobis, ubi in altera illa nullius inopiæ sibi conscia vita ad ipsorum cœleste consortium evecti fuerimus; Deum hymnis laudare nunqvam desinent. Atqve hoc in negotio socios sibi nos habebunt, qvi jam in hac vita *hymnos* & cantica *spiritualia* inchoare jubemur (*n*). Etiam qvoad immortalitatem ipsis æqvales tum erimus

nitione, qvalem suprà ex Autore descripsimus, *hymnisonum* præcedit, *immortale* seqvitur. Sed rectiùs invertetur hic ordo in hunc modum: *Angelus est animal* (hinc distingvitur à corpore inanimato,) *rationale*, (hinc à bruto) *immortale*, (hinc ab homine) *hymnisonum*, (hinc à Diabolo.) (m) Qv. proximè seqvente 31. (n) Ephes. 5. v. 19. Coloss. v. 16.

Digitized by Google

mus (o). Admonet nos hæc immortalitatis cogitatio de nævo definitionis hactenus expositæ, neqve aliàs penitùs invenustæ. Qvæ profectò totidem concepta verbis, qvot eam Angelis accommodavit ille Pseud.- Athanasius, aptari potest homini post beatam corporis resurrectionem in statu gloriæ considerato: ut adeo negari haud possit, esse definito ampliorem. Nimirum hoc lucri fecerunt Veteres isti, cum gentilibus Philosophis obsecundarunt. Ignoraverunt Platonici, perinde ut cæteri τῶν ἔξω, resuscitationem corporum humanorum, atqve adeò transitum illorum ad immortalitatem. Itaqve peccare se non putaverunt, si hominem definirent *animal rationale, mortale.* Christianorum hîc fuerat, circumspectionem adhibere, atqve aliena hæc placita, priusqvam sua facerent, ad normam divinæ religionis exigere. Inter hominem & Angelum id maximè interest, non qvod ille obnoxius est morti, hic à morte immunis, sed qvod corpus ille, hic spiritus. Progredior ad

(o) Juxta illud Christi Luc. 20. v. 36. *Neqve ultra mori poterunt* (beati homines in seculo futuro,) *æqvales enim Angelis* (ἰσάγγελοι) *sunt.*

ad alterum bonorum Angelorum officium. De qvo digna memoratu sunt verba scribentis ad Hebræos Apostoli (p): *Nonne omnes sunt administratorii spiritus*, ( λειτουργικὰ πνεύματα ) *in ministerium* (q) *emissi propter eos, qvi hæreditatem accipient salutis?* Ad qvem locum Philippus Melanchthon ita commentatur (r): λειτουργία heist *ministerium, præsertim publicum*, ein gemeiner Dienst: Daher hat mans gebraucht *apud Græcos* für Frondienst/ *pro operibus publicis*, als daß die Bauren haben müssen fröhnen / das heissen λειτουργίαι. --- λειτουργέω est ἐργάζω τὰ λήϊτα, *curo & administro bona publica.* --- *Ita Angeli sunt ordinati ad operas*, zu Frondienst. --- Hæc intuenti alicui veniat in mentem, an non, ut prius illud Angelorum officium ὑμνολογικὸν definitioni inservit apud Scriptorem veterem, sic alterum hoc λειτουργικὸν antiqvæ appellationi germanicæ occasionem dederit, qvâ solemus Sanctos Angelos indigitare Frongeister (s)? ut videlicet

(p) Hebr. 1. v. ult. (q) εἰς διακονίαν. Confer Theodoreti locum infra lit. t. citandum. (r) part. postrem. explic. in Ev. Dom. p. 187. XVII. post Trinit. (s) passim obvia hæc vox: e. g. im Görlitzer Gebetbüchl. A. 1675. p. 531. Du schenckest uns noch

cet idem hoc sit, atqve illud Lutheri, vertentis è Græco λειτουργικὰ πνεύματα, dienstbare Geister. Dicerem huc Bartholomæum Scheræum (t) inclinare, nisi is alibi (u) nostrum Fron interpretaretur sacrum: qvæ passim & aliorum (w) sententia est, qvorum nonnullis (x) & Fron à Græco ἱερὸν deductum videtur. Potiùs ergo huc illud faciat, qvod qvemadmodùm Erasmus Schmidius (y) è Plutarcho docet λῆϊτον, unde vox τῆς λειτουργίας (z), olim significasse δημόσιον vel *publicum*, ita reperias, qvi defendant, germanorum Fron idem esse, qvod *publicum* seu *commune*

darzu deine lieben Frongeisterlein. [t] Is ubi p. 14. der Sprach-Schul λειτουργικὰ πνεύματα ex Ebr. I. v. 14. produxisset, ac mox Theodoreti duo Angelorum officia exprimentis verba: ὑμνοῦσι καὶ λαμπροῦσι, reddidisset, sie singen und frönen oder dienen/ paulò post pergit: Wer wird unter dem Wort Engel begriffen? Fürnemlich die himmlischen Frongeister/ wie gesagt. (u) ibid. p. 91. Fron/ das ist/ heilig. (vv) Henisch Thesaur. ling. germ. f. 259. Besold. Thesaur. pract. f. 303. Dietherr. addit. ad Besold. p. 484. Speidel. notab. p. 338. (x) Henisch. d. l. Paul. Eber. expos. Evang. p. 505. Fronleichnam / i. e. ἱερὸν corpus. (y) not. in N. T. f. 1296. ad locum Hebr. I. v. 14. (z) de qvâ consulatur & Casaubonus Exerc. ad Baron. XVI. n. XLI. p. 382. (qvem describit Alsted. paratil.

Digitized by Google

*mune*(a). Veruntamen ista ratione si rigorose velis interpretari vocabulum Frongeister / non tam erunt spiritus *administratorii*, qvàm *publici*. Unde porro suspicére, vocem illam eum in finem excogitatam fuisse, ut ea distingveret Angelum multis communem à genio, qvem suum cuiqve peculiarem esse persvasum est multis. Vicissim igitur, ut putemus, Frongeister sonare Spiritus *sacros*, id movere nos possit, qvia in aliis qvoqve compositis, præcipuè ad rem Ecclesiasticam spectantibus, hæc ipsa inter-

theol. p. 248.) 10. Bona Cardinalis p. 335. oper. (a) Besoldus, qvanqvam ipsi in Thesauro Practico f. 303. fron sacrum significat, ut monuimus modò lit. W. aliter tamen decernit in discurs. de trib. domest. societ. spec. c. 6. n. 5. (Parte IV. oper. Polit. p. 26.) his verbis: Frohndienste *â veteri dictione Saxonicâ* frohn / welches nach Sachsen-Recht wird heilig genant / *deriuat Forsterus tract. de Jurisdict. Rom. part. 2. f. 467. Ego potius* frohn / *idem qvod publicum seu commune esse dico*: Frohnfest / gemeine Fest: Frohn-Both / *publicus nuncius*: Frohndienst / gemeine Dienst: Frohnleichnam / *corpus illud sacrosanctum, qvod pro omnibus datum*: Frohn-Fast / *carcer publicus*. Wehnerus etiam p. 105. pract. observ. Goldastum citans veteribus Alemannis frohn idem ait fuisse, qvod *commune, publicum, populare*.

Digitized by Google

terpretatio commodior videtur, ut scil. Fronleichnam sit corpus *sacrum* (*b*) potiùs, qvàm *commune* seu *publicum* (*c*). An ergo distingvemus hîc politica vocabula ab ecclesiasticis? ut in politicis, qvale Frondienst/ significetur *publicum* qvid, in ecclesiasticis vero sacrum? An rectiùs tempora discernenda? ut scilicet vetustissimos dicamus illa voce *publicum* qvid aut *ministeriale* indicare voluisse, ævo autem minùs antiqvo *sacri* significationem prævalere cœpisse, cum Germanicum Fron perinde ut olim Græcorum λειτουργία (*d*), transferri cœpisset à profanis rebus ad sacras. Verùm de his satis. Officium Angelorum λειτουργικὸν Epistola Hebræis inscripta tantum ad homines, eosqve electos restringit. Facessat ergò Franciscus Georgius Venetus, homo, Delrii (*e*) qvoqve judicio, præceps nimis ac temerarius, qvi Deum in hoc mundo inferiori per Angelos ministeria omnia opera-

(b) Respice ad lit. x. 'Atqvè sic interpretatur & Henischius. (c) qvia scilicet pro omnibus datum. Regredere ad literam a. proximam. (d) Casaub. Exerc. ad Baron. p. 383 *Usus Ecclesiæ vocem* (τῆς λειτουργίας) *communem peculiariter aptavit ministerio & cultui, qvi publicè Deo exhibetur.* (e) Disqvis. mag. lib. II. q. 27. sect. 2. p. 288.

Digitized by Google

operari ſtatuit (*f*), idqve ipſius Apoſtoli verbis confirmare audet (*g*). Poſſe hoc Deum, ſi velit, non negamus; Velle, nondum à Veneto illo demonſtratum eſt. Porrò cùm aliis in negotiis compertum eſt Angelos opitulari nobis, tùm in bellicis. Sacræ pariter & profanæ hiſtoriæ ſcatent exemplis illuſtribus præliorum, qvibus magna ſtrage ſunt ab Angelis hoſtes profligati. Atqve de his Orationem cras, DEO adjuvante, horâ octavâ matutinâ, eruditè ab ſe conſcriptam recitabit eximia virtute ac doctrina pollens Juvenis *Johannes Tobias Zopſius*, Philoſophiæ Baccalaureus, incomparabilem illorum, omnibusqve mortalium victoriis

(f) Problem. Tom. VI. n. 174. p. 373. *Horum* (Angelorum miniſtrantium, qvos ab asſiſtentibus diſtingvit,) *aliqvi præſunt qvatuor noctis cuſtodiis. --- Alii qvoqve præferuntur qvatuor anni cuſtodiis, per qvatuor ſtationes Solis à cardine videlicet in cardinem diſtinctis. --- Alii verò præſunt planetis. --- Alii qvoqve præſident duodecim ſignis. --- Alii verò Angeli tutelæ & cuſtodiæ noſtræ addicti ſunt. Alii præſident animalibus. Alii præſunt plantis: alii lapidibus, qvi pretioſi dicuntur. --- Alii qvoqve præſunt bello, alii paci. Alii Regibus & Prælatis præſident. Alii verò provinciis & regionibus ſunt præfecti. --- Et adeò omnibus rebus & operationibus Angeli præferuntur, ut Deus in mundo hoc inferiori per Angelorum miniſterium omnia operetur. Ideò Paulus horum ſacramentorum non ignarus ait: Omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi.* (g) verbis poſtremis modò recitatis.

Digitized by Google

is superiorem præstantiam confirmaturus. Agite, Academiæ Rector Magnifice, Patres Amplissimi, Cives Clarissimi Doctissimiqve, & Collegii Majoris Auditorium memorato tempore præsentiâ dignamini vestrâ. Agnoscet non beneficium modò præstantissimus Orator, sed etiam benevolentiæ insigne argumentum, ubi rem resciverit, Parens ejus *Vir maximè Reverendus atqve Excellentissimus* Dn. Joh. Caspar Zopfius, *Ecclesiæ Geranæ ac vicinarum Superintendens vigilantissimus, Consistorii Ruthenici Assessor primarius, Gymnasii Inspector ac Professor Theologiæ gravissimus.* Nobis verò hanc operam decentibus officiis demerendi nunqvam defutura est industria. P. P. Lipsiæ propridiè festi Angelorum d. 27. Septembr. Anno 1678.

## PROGRAMMA LVII.

# DE PECUNIA CUM MORTUIS SEPULTA,

*Præscriptum Orationi,*

Qvâ Anno 1678. d. 4. Octobris

M. JOHANNES SCHMIDIUS, Vratislaviens.

*Celebravit memoriam Ridelianam.*

Uu Fluxa

FLuxa res admodùm & instabilis est pecunia non modò, sed qvicqvid divitiarum nomine censetur. Sæpe nos hæ opes, dum vivimus, deserunt variis fortunæ casibus interceptæ: à nobis autem profecto non possunt non deseri, ut primùm ex hâc vitâ discedimus. Manet fixum illud Hiobi (a): *Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.* Neqve non illud Apostoli (b): *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, qvia nec auferre qvid possumus.* Enimverò anima defuncti hominis juxtà cum mundo qvicqvid est ejus deliciarum relinqvit; auro autem, sive beatis Cœlitibus ea societur, non indiget, sive ad inferos descendat, juvari ne qvicqvam potest. Qvid igitur causæ putemus fuisse, cur Veteres olim suorum cadaveribus mortuorum nummos unà cum ipsis sepeliendos addiderint? Curiosa qvæstio, sed ad qvam responderi accuratè, nisi exempla priùs, qvorum insignis varietas, distingvantur, non qveat. Enimverò qvorundam corporibus non nisi unicus adjectus legitur nummus; aliorum tumbis pecuniæ non parum, vel etiam thesauri grandes inserti. Videntur etiam qvidam, qvid hoc in negotio fieri vellent à Suis, viventes adhuc significasse, atqve adeò dedisse in mandatis; aliorum fortunæ hîc unicè pependisse ab eorum voluntate, qvi procurandi funeris officium susce-

(a) c. 1. v. 21. (b) 1. Timoth. 6. v. 7.

Digitized by Google

suscepissent. Erunt ergò exemplorum hîc intuenda discrimina. Veteres Ethnici ori mortuorum inserebant nummulum, ut Charonti pro Stygiæ paludis transmissione tanqvam naulum persolveretur. Vocabatur is à Græcis δανάκη. Morem hunc pluribus exeqvitur celeberrimus Lambecius (c), cui simul verisimile videtur, à Græcis & Romanis (d) etiam ad antiqvos Pannonios vulgarem illam de naulo Charonti persolvendo fabulam transmigrasse. Vides ita, consvetudinis hujus originem à gentilium superstitione arcessendam esse. Sed ô inepta & ridicula consvetudo, si maximè assentiamur fabulæ de naulo Charontis, & hujus avaritiâ, neminem nisi soluto priùs portorio transvehentis. Qvid enim? an non ipsi gentiles Charontem faciebant manium vectorem, non corporum? Cur ergò nummũ corporibus inserebant, non animabus? Inqvient fortasse: non poterat animabus inseri. Qvid ergò profuit hoc illis, si omni naulo destitutæ Charontem adierunt? An putatis forsitan, in sepulchra corporum eas rediisse, & inde repetiisse necessarium itineri suo nummum? Qvis non rideat has nugas? Memorat Rollenhagius (e), Judæorum etiam, qvi vel ante aliqvot secula humati fuerint, capita reperiri, qvorum



(c) lib. I. de Biblioth. Cæs. Part. I. f. 89. (d) Romanis hunc morem tribuit & Mich. Majerus lib. VI. Symb. aureæ mensæ p. 247. (e) Glaubwürdige Lügen c. 20. p. 226.

Digitized by Google

rum ori sit aureus nummus insertus. Qvid hîc superstitionis intervenerit, exputandum aliis relinqvamus. Eodem autore (*f*) didicimus, multis in locis solenne hoc esse, ut moribundorum ori lapillus includatur cum nummulo, qvod ex rumoribus qvibusdam de animâ cadaver sui corporis & funerale indusium erodente, increbuerit anile figmentum, fore ut simile qvid aliis eveniat, nisi lapis morituro & nummus detur, qvem mordeat defunctus. Resipit & hoc superstitionem, Pontificiis opinor imputandam. Veniamus ad cumulos pecuniæ cum mortuis sepultos. Fabulæ qvidem qvàm veræ historiæ similius illud est, qvod his verbis narrat Scriptor Mensæ Philos. Theobaldus Aūgvilbertus (*g*): *Qvidam usurarius in Civitate Metensi avarus valdè cùm morti appropinqvaret, crumenam denariis plenam secum in sepulchro reponi fecit, ad hoc astringens amicos sub juramento. Qvo facto posteà apertum est sepulchrū, ut pecuniam reciperent. Viderunt dæmonem cum magno cochleari ardenti, ipsum de pecuniâ ignitâ pascentem.* Si qvid huic commento veri subest, insana pecuniæ cupiditas eò adegerit miserum, ut crederet, extincto qvoqve corpori suo jucun-

(f) Rollenhag. d.l. in præcedentibus. (g) Tractatu IV. tit. de Usurariis. Est autem *Theobaldi* hujus *Augvilberti* nomen in edit. Paris. Anno 1517. Qvem Lipsiensis Philosophicæ hujus Mensæ editio Anno 1603. nescio qvâ ex causâ transformavit in *Michaelem Scotum*. Habes autem & ibi hanc narrationem lib. IV. c. 13. p. 220.

Digitized by Google

jucundam nummorum præsentiam fore. Sanè haud penitùs absimilis dementia relata est in literas (*h*) de qvodam Epicurei gregis homine. Is in extremis constitutus pocula sibi aurea & argentea, & qvicqvid haberet supellectilis pretiosæ cùm adferri jussisset, ita compellavit animam suam: *Hæc omnia tibi, animula blandula, donabo absumenda, modò mecum diutiùs aliqvantùm commoreris* (*i*). Nempe solet avaris nullius rei jucundior esse conspectus, qvàm monetæ suæ. Sic apud Horatium (k) Athenienſis ille, *mihi plaudo*, inqvit, *ipse domi, qvoties nummos contemplor in arcâ*. Verùm qvicqvid sit de illâ Augvilberti fabulâ, non insveta res profectò Veteribus fuit, ut magnam auri argentive vim, si res hoc domestica pateretur, in Suorum sepulchris defoderent (*l*): è jussu morientium, an è suo tantùm arbitrio, an aliàs aliter, nondum



(h) apud Casp. Titium im Theol. Exempelbuch p. 1582. ed. Witeb. Anno 1657. è Strigenicii exeq. conc. 15. (i) Non absimile exemplum fœminæ cujusdam, qvæ moribunda his allocuta verbis legitur cimelia sua: So muß ich dich denn nun verlassen? apud Christian. Scriver. Goldpred. p. 34. 35. (k) lib. Serm. sat. I. v. 66. 67. (l) Strabo lib. XI. Geogr. f. 352. ed. lat. Basil. Anno 1523. de Albanis. *Cum mortuis pecunias defodiunt*. Jo. à Chokier Cent. II. Fac. Hist. c. 78. f. 118. *Legimus in Josepho & Strabone aliisq; Hebræos magnam auri argentivevim suis inseruisse sepulchris*. Joh. Brodæus annot. ad lib. II. Anthol. Græc. Epigr. c. 9. f. 197. *Fuit ea apud Veteres consvetudo, ut pecuniæ aliqvando cum cadavere humarentur*. Vid. & Ludov. de la Cerda Commentar. in Virgil. I. Æneid. v. 362. 363. f. 71.

Digitized by Google

memini definitum. Kirchmannus interim, ubi morem hunc exponit, pecunias aureamqve supellectilem in monumentis nonnunqvam depositam ait (*m*) partim *luxûs*, partim *securitatis* gratiâ. Posterius hoc etiam video Johanni à Chokier & Ludovico de la Cerda placuisse (*n*): nempe *qvèd jure cautum erat*, verba sunt Chokierii [*o*], *ut qvi bustum violasset, pœnâ læsæ religionis coerceretur*. Dubito, an assentiar. Sanè verò, ut alia nunc mittam, furem non magis absterrere solet à rapinâ, sacrilegi sceleris gravitas, qvàm gulo assvetum à prohibito cibo metus morbi vel maximè periculosi. Qvàm verò parum à tagacibus dextris secura mortuorum sint retinacula, tot exempla τυμβωρύχων satis demonstrant. De luxu ergò, qvi consvetudinis hujus causa fuerit, creditu res facilior. Qvi qvidem & ipse satis habet ineptiarum. Unde putes eum perstringi hoc Publii Syri versu (*p*):

*Thesaurum in sepulchro ponit, qvi Senem hæredem facit.*

Nimirum id videtur Poeta voluisse: qvi Seni suas opes legat, non magis eum operæ pretium facere, qvàm qvi sepulchro eas infodiat, siqvidem pecuniâ Senex avarus non utitur magis, qvàm mortuus. Superest pecuniæ sepulchro illa-

(m) lib. II. de funerib. Roman. c. 14. p. 503. (n) locis lit. l. citatis. (o) f. 119. (p) qvi in mimis ejus numeratur 921.

Digitized by Google

illatæ exemplum rarum admodum, & cui constet intervenisse voluntatem non defuncti, sed eorum tantùm, qvi Curatores fuerunt funeris. Transmisit ad nos illud suâ compertum ætate B. Hieronymus, qvem seculo constat vixisse post Nativitatem Christi qvarto. *Qvid ante non plures annos*, inqvit (q), *Nitriæ gestum sit, referemus. Qvidam ex fratribus*, (Monachos intelligit, obstrictos in commune conferre, qvicqvid æris conqvisivissent,) *parcior magis qvàm avarior, & nesciens triginta argenteis Dominum venditum, centum solidos, qvos linum texendo acqvisierat, moriens dereliqvit. Initum est inter Monachos consilium, (nam in eodem loco circiter qvinqve millia divisis cellulis habitabant,) qvid facto opus esset. Alii pauperibus distribuendos esse dicebant; alii dandos Ecclesiæ; nonnulli Parentibus remittendos. Macarius verò & Pambo, & Isidorus, & cæteri, qvos Patres vocant, Sancto in eis loqvente Spiritu, decreverunt, infodiendos esse eum eodem, dicentes:* Pecunia tua tecum sit in perditionē(r)! *Nec hoc crudeliter qvisqvam putet factum: tantus cunctos per totam Æ-*

*Uu 4 gyptum*

(q) Epist. ad Eustoch. de Custod. virgin. Tom. I. Oper. f. 67. ed. Basil. Anno 1516. (r) Actor. 8. v. 20. Non absimilem huic Historiam de Justo Monacho, cum tribus aureis, qvos ab se clam occultatos ærario publico non intulerat, sepulto suggeret Gregorius Magnus Dialog. lib. IV. c. 55. Unde & eam transtulì ad continuationem meam des Meelfurertschen Spruch-Buchs sub dicto Act. 8. v. 20. p. 780. seq.

Digitized by Google

*gyptum terror invasit, ut unum solidum dimisisse sit criminis.* Extrema hæc Hieronymi verba satis produnt, statutum hoc exemplum fuisse qvodam perfidiæ tùm puniendæ zelo, tùm aliis evellendæ ardore: qvem & ipse Scriptor approbat. Nos verò satis hîc habemus historiam recitasse, factiqve causam enunciasse. Censuram nobis non sumimus. Hoc interim affirmare non veremur, si qvos divina ditavit benignitas, hos rectius testamento condito erogare sua indigentibus, qvàm secum infodienda terræ vel aliorum arbitrio relinqvere, vel ultrò destinare. Terræ faucibus injecta sic pecunia tantundem prodest, qvantum pelago immersa, qvod olim Crates [s] fecisse legitur. Transferamus ergò & in rem præsentem judicium de Crate Lactantii [t]: *Si tantus pecuniæ contemptus est, fac illam beneficium, fac humanitatem, largire pauperibus. Potest hoc, qvod perditurus es, multis succurrere, ne fame aut siti, aut nuditate moriantur.* Commendanda hîc nobis est pietas *Nobilissimi atqve Strenui Domini GEORGII RIDELII à Leuenstern & Seiffersdorff, Hæreditarii in Treschen, Cohortisqve bellicæ sub Perillustri Rutheno, qvondam Capitanei, nunc Cœlitibus adscripti,* qvi annuo stipendio bonarum literarum Cultoribus ita prospexit de facultatibus suis, ut ejus memoria celebranda meritò veniat qvotannis. Ac faciet hoc post crastina matutina sacra,

(s) *Vid. Suid. in* Ἀναξαγόρας. (t) *lib. III. c. 23.*

Digitized by Google

sacra, in Auditorio Collegii Majoris inferiore, eruditione eximia præstantissimus *M. Johannes Schmidius Vratislaviensis*, SS. Theologiæ Cultor industrius, cui *Nobilissimus atqve Amplissimus Lipsiæ nostræ Ordo Senatorius* Legati Rideliani beneficium in biennii spatium addixit. Ostendet autem simul eleganti Oratione, satis decoro cum literis contubernio jungi militiam. A Vobis ergò, Rector Academiæ Magnifice, Utriusqve Reipublicæ Proceres Gravissimi, enixè rogamus, ut Auditorium, qvod Studiosi Cœtus politissimâ congregatione celebre fore optamus pariter ac speramus, Vestra qvoqve maximè honorificâ illustrare præsentiâ dignemini. Favorem tàm insignem fatemur compensari à tenuitate nostrâ ex æqvo non posse: Sed grati tamen & ad obseqvia prompti animi significatio nunqvam deerit nobis. P. P. d. 3. Octobr. Anno 1678.

## PROGRAMMA LVIII.

## PHILIPPUM MELANCHTHONEM non improbavisse gradûs Academicos,

*Prescriptum celebrata*

Anno 1678. d. 14. Dec.

## PROMOTIONI BACCALAUREALI.

QVæ flores amœnissimos excipere fortuna solet, ut flatu ventorum



Digitized by Google

non importuno tantùm, sed & noxio infestentur, eandem Academici qvoqve honorum gradûs, flores veluti qvidam Parnassi, ab inflatis opinione scientiæ jam diu experti sunt ingeniis. Sunt qvi contemnunt eos atq; irrident; alii ut pestiferos, & ab ipso Salvatore prohibitos, penitus abolendos atq; exterminandos censent, abusi sacro illo effato (*a*): *Nolite vocari Rabbi, unus enim est Magister vester Christus:* qvod tamen horum vesaniæ neutiqvam patrocinari accuratè jamdudum est ab orthodoxis demonstratum Theologis (*b*). Ultima origo rabiosi dogmatis Enthusiasmus est, qvo abrepti homines cerebrosi, cùm nescio qvâ inspiratione occultâ elevari se ad rerum salubrium notitiam posse sibi persvadeant, non mirum est, si Scholas & Academias, cum iisq; examina & promotiones pro retrimentis habeant, qvæ expurgari oporteat. Crevit hoc zizanii genus superiore seculo non longè post initium reformationis B. Lutheri ministerio inchoatæ. Cùm enim anno 1521. proscriptus

(a) Matth. 23. v. 8. (b) Vid. Gerhard. Tom. VI. Loc. Theol. tit. de Minist. Eccles. n. 137. & qvos prætereà citat Pruckner. Part. IV. Vindic. Bibl. ad h. l. f. 246.

Digitized by Google

ptus ille ab Imperatore delitescere, Witebergam occupantes fanatici qvidam semina sparserunt ejus doctrinæ, qvæ posteà in apertum Anabaptistarum Sectam erumpens per varias ditiones est vagata. Sed Witebergæ tùm qvidem maximè *Andreas Carolostadius* Ducem se præbuit eorum, qvi non ritibus modò ac titulis Academicis, sed Academiis ipsis, imò Scholis etiam inferioribus, ruinam & minarentur, & inferre jam inciperent. Qvorum tumultibus ut obicem poneret Lutherus, flagitantibus præsentiam ejus amicis, Martio mense anni 1522. ex Patmo veluti suâ revertendum statuit sibi. Multa Carolostadii, Witebergensem Ecclesiam mirificè turbantis, fuere deliria, multa facinora: [qvis enim, ut alia mittam, Iconomachiam ejus ignorat?] sed hîc ad illam tantùm ejus ferociam respicio, qvâ pessundare Scholas, Academias, eruditionis testimonia & præmia publica est conatus: in hoc negotio sic pertinax, ut ne qvidem â reduce Luthero saniora sibi persvaderi fuerit passus. Qvo præsente cùm Johannem Westermannum, & Gotschalcum Cropium ipse Doctores crearet, publicè testatus est, nemi-
ni

ni se posthác gradum esse collaturum, ne sciens violet illud Christi: *Nolite vocari Rabbi* (c). Qvod dictum & cathedræ Doctorum inscripsit (d). Eo autem vesaniæ tandem est prolapsus, ut ipse rusticus è Doctore factus paganorum idiotismo *vicinum Andream* (e) appellari se haud invitus pateretur aliqvandiu; donec pertæsus molestiarum resipuit paulatim, ac tandem post obitum Zwinglii Basileam profectus ad Sacrarum Literarum professionem rediit (f). Ubi & longè mitiùs de gradibus Academicis pronunciare eum cœpisse, controversia demonstrat, qvæ ipsi cum Simone Grynæo intercessit: à qvo postulavit, ut, si Theologiam publicè docere vellet, Theologum se Doctorem creari pateretur (g). Dum historiam Carolostadii exeqvor, facere non

(c) Gerhard. d. l. n. 136. Cui junge Catal. Doct. & Prof. Theol. præmissum Consiliis Theol. Witeb. ):( ):( 2: Plura de re totâ qvære in Meelfür. Spruchbuch p. 609. seqq. ed. Lips. Anno 1682. (d) Tischred. Luthers cap. XXXVII. f. 471. 472. ed. Jen. Anno 1591. (e) Ueber Endres. vid. Fröschel. vom Priesterth. Vorrede. b. 2. (f) Vide Melch. Adam. in vit. Theol. Germ. p. 85. (g) Melch. Adam. d. l. p. 88. ex Antipappo Sturmii. Consulendus & Petr. Ramus Orat. qvam Basileam inscripsit, (p. 459. præf. epist. & Orat. ed. Marpurg. Anno 1599.)

Digitized by Google

non possum, qvin simul retundam calumniam qvorundam Pontificiorum, qvi Carolostadiani erroris socium aliqvandiu fuisse Philippum Melanchthonem blaterant, ut qvi non modò de literariâ vitâ perversè senserit, sed pistorem etiam per aliqvod temporis spacium egerit, perinde ut Carolostadius agricolam. Faciunt hoc Laurentius Surius (*h*) Carthusianus, Nicolaus Serarius (*i*) Jesuita, Luthe-

(h) Comment. rer. gestar. p. 115. ed. Colon. Anno 1586. sub Anno 1522. Prior autem cæteris tribus scripsit Surius. Itaqve ad eum Serarius & Ulenbergius (sicut ad Ulenbergium Remundus) provocant. Audiamus ergò Laqvensem Surium: *Interim dum ille* (Lutherus) *abesset, qviddam mirè ridiculum accidit Wittenbergæ. Carolstadius enim & Melanchthon, præcipui Lutheri discipuli & symmysta, hausta occasione ex scriptis Lutheri, studiosis adolescentibus persvasere, non est dandam operam Philosophiæ; Platonem, Aristotelem, Ciceronem & id genus alios non nisi mera scripsisse commenta, & impostures, eoqve libros eorum Vulcano consecrandos; uni sacrorum bibliorum lectioni vacandum, neqve fas esse, hominem Christianum literis deditam agitare vitam; faciendum omnibus, qvod in Genesi dictum est:* In sudore vultus tui vesceris pane tuo. — *Et ut magis insaniam proderent suam, Carlstadius ex Archidiacono factus est agricola in rure Witenbergensi, Melanchthon in pistrino artem pistoriam meditabatur.* — — *At Lutherus Wittenbergam è sua Patmo reversus Philippum hoc nomine castigavit, Carlstadium ex ditione Wittenbergensi exegit.* (i) Tom. III. Opusc. Theol. f. 160. 161. ed. Mogunt. Anno 1611. in Oratione II. Luthero-Turcicâ. Mordacem hominis calamum vel hoc prodit, qvòd Orationi huic toti, cujus ar-

Digitized by Google

Lutheranæ religionis desertor Casparus Ulenbergius (*k*), Calvinianæ Florimundus Ræmundus (*l*). E qvibus tamen Ulenbergius, qvæ de *pistore* Philippo affert, ex aliorum potiùs qvàm suâ sententiâ protulisse vult videri: vicissim stylo utens adeò intemperante, ut haud obscurè innuat, [qvod reliqvi non faciunt,] Iconomachiam qvoq; Carolostadii, Legũ Romanarum cum Mosaicis permutationem, & alia plura fuisse à Philippo approbata. Video & Cochlæum citari (*m*), hominem aliàs notæ maledicentiæ, atq; adeò ejusdem commatis cum cæteris. Sed hic profectò in suâ de Actis & Scriptis Lutheri Historiâ tantum abest, ut Carolostadiani furoris uspiam faciat asseclam Philippum, ut potiùs verba Lutheri

gumentum est, *utrum Christiani & maximè Religiosi nominari possint Magistri & Doctores?* etiam hoc lemma præscribendum putavit, *utrum rectè Philippus Melanchthon ex artium Magistro pistor, Andreas Carolstadius ex Theologiæ Doctore arator, rusticusqve Corydon factus sit?* cum Nicolao Serario eandem qvoqve cantilenam cecinisse Jacobum Gretserum, disces è Joh. Forsteri Orat. apologet. pro Luth. (qvam Gretseri Luthero Acad. apposuit,) B 4. (k) Vit. Phil. Melanchth. p. 17. 18. ed. Colon. Anno 1622. (l) Histor. de ortu hæres. lib. II. c. 9. p. 138. ed. Colon. Anno 1655 (m) Citant eum (perinde ut Surium) in marginibus suis &

Digitized by Google

theri (*n*), qvibus ille testatur, à Philippo Wittenbergæ sæpiùs monitum fuisse Carolostadium, ne sic tumultuaretur, citans (*o*), ne verbulo qvidem contradicat, non facturus, si Philippum conspirationis hujus vel suspectum ipse habuisset, vel reddere suspectum voluisset aliis. Est ergò adversus Surii & complicum rabiem communis Germaniæ nostræ Præceptor omninò defendendus. Prolixum esse vetant angusta chartæ spacia. Itaq; omittam demonstrare, qvàm parum ipsis inter se, si curatè singuli examinentur, conveniat, qvàm multa illi de Philippo fabulæ misceant vel ab historiæ veritate aberrantia, vel ἀσύγκλωστα. Satis hoc erit mihi, si optimi Viri innocentiam breviter exponam luci. Credemusne ergò his Philippomastigibus, eum hominem, qvi ad ornandas toto ætatis adultæ spacio Scholas non factus, sed natus videtur, qvi Academiis illud præstitit, qvod Ecclesiis Lutherus, id imperare sibi unqvam potuisse, ut cum Carolostadio has Spiritus S. officinas destruere, de-

Serarius Ulenbergius. (n) è part. I. wieder die himml. Proph. (Tom. III. ger. Jen. f. 25.) (o) in Actis Lutheri Anno 1525. p. 129. eod. Colon. Anno 1567.

Digitized by Google

decora ipsarum, titulos Academicos conculcare niteretur? Absolvunt ab hâc eum calumniâ Sleidanus (p), Mathesius (q), Rabus (r), Chytræus (s), Dresserus (t), Bucholcerus (u), qvi de Carolostadianis tumultibus historiam recitantes Philippi conspirationem profundè silent. Inqviet aliqvis, parcere ipsos famæ ejus voluisse, qvem valdè charum habuerint. Suspicabimur ergò, charum Philippum fuisse, [ut Cochlæi silentium hîc non repetam,] etiam Fontano Parisiensi Theologo? Nam & is, ubi commemorat (w), qvid exulante Luthero Carolostadius egerit, de Philippo ne hiscit qvidem. At qvi constat, eodem consilio historiam suam Fontanum scripsisse, qvo Surium, ut Sleidani fidem elevaret. Cur ergò Surius Carolostadio sodalem addidit Philippum,

[p] lib. III. Comment. p. 72. [q] in der vierdten Predigt von Luthero / p. 33. [r] Histor. der Martyr. Part. II. f. 153.

(s) Part. I. Chron. Saxon. lib. VII. p. 718. ed. Rostoch. Anno 1590. Nescio ita, qvid sit, qvòd Ulenbergius in marg. Chytræi qvoqve Saxoniam citat. (t) Millenar. VI. Isag. Histor. p. 60. (u) Ind. Chronol. p. 484. ed. Francof. Anno 1634. (w) lib. V. Histor. p. 296. ex interpretatione Roberti Pontani Carmelitæ: (nam Fontanus ipse gallicè scripsit,) ed. Colon. Anno 1558.

Digitized by Google

pum, non addidit Fontanus? Instabunt hîc Serarius & Ulenbergius, pro se facere Collocutores etiam Altenburgenses; nam & ad horum testimonium provocant (x). Verùm illi ex nostris Thuringiaci Theologi, qvi Altenburgensi Colloqvio interfuere, non id ajunt, qvod Serarius illis affingit, *Melanchthonis & Carolostadii impulsu & hortatu Wittebergensem Academiam docendi munus abjecisse, literas exegisse, libros innumerabiles combussisse, Scholas ipsas exinanivisse & obseravisse*; neq;, qvi Ulenbergii hîc aliqvanto modestior calamus est, *Melanchthonem à Carolostadio aliisq; dementatum tantum imbibisse fanatici spiritûs, ut velut ebrius vehementer nutaret*: sed hoc enunciant, *vacillâsse Philippum eo tempore, qvo furere cum aliis inceperit Carolostadius* (y). Nimirum prona illi mens ad metum fuit, neqve tanta, qvanta Luthero, magnanimitas, inq; Ecclesiæ pe-



(x) Serarius in textu f. 160. Ulenbergius in margine p. 18. (y) Verba Collocutorum hæc sunt f. 276. ed. Witteb. A. 1570. Sie wissen ja wol/ wie Philippus bald anfänglich gewancket / da Carlstadt zu Wittenberg und etliche andere/ abwesend Lutheri des Wagens und Fuhrmanns Israel/ mit dem Bauerleben zu schwermen anfieng.

Digitized by Google

riculis heroica fortitudo. Id ergò volunt Collocutores isti, cùm absente Luthero insanire cœpissent fanatici, & horum consors Carolostadius, fluctuâsse Philippum, [qvod eidem mox pergunt (z) Augustanæ qvoqve Confessionis tempore contigisse,] neq; in his angustiis constituere satis potuisse, qvò se verteret. Exstat verò & Lutheri ad Philippum AN. 1522. scripta epistola (a), qvâ *timiditatem ejus* improbare se ait, ac de fide infantum præcipuè contra novos Prophetas disserit. Unde intelligis, si maximè per ea tempora in ipsis doctrinæ sanæ controversiis nutare Philippus cœperit, (hominem enim fuisse nemo negat,) non tamen hoc ad Qvæstionem de Scholis & Academiis, sed de fide infantum referri oportere, neqve his eum dubitationibus ita succubuisse, ut in castra transiret adversariorum (b). Certè à Carolostadii partibus, rem Scholasticam concutientis

[z] Seqvitur enim statim: Wie kleinmüthig er auch gewesen/ und hin und wieder gewancket eben zu der Zeit / da die Augspurgische Confeßion geschrieben/ &c. (a) Tom. II. Epist. p. 41. (b) Confer, qvæ de Marco (Stubnero) & Philippo disserit Camerarius in vita Phil. Mel. p. 48. 49. 50.

Digitized by Google

tis adeò non ſtetit, ut ipſi potiùs, tanqvam homini feroci (c) ſtrenuè ſe, qvod & juxtà cum Philippo fecit D. Hieronymus Schurfius, oppoſuerit, teſte Frõſchelio (d), tandemqve Lutherum crebris ſuis aliorumqve literis, ut Witebergam periculoſo ſtatui conſulturus rediret, permoverit: id qvod è Camerario (e) didicimus ac Selneccero (f). Qvi illud qvoq; de Melanchthone *piſtore* commentum egregiè refellit. Nimirum Caroloſtadius *alios qvoqve*, utar enim ipſiſſimis Selnecceri (g) verbis, *non malos ita occacavit, ut qvidam Qvintiliani publicus Profeſſor Philippus artem piſtoriam exercere inciperet: unde Pontificii aliqvi Philippum Melanchthonem in tantum amentia veniſſe ſcri-*



(c) Hoc & aliis elogiis à Philippo Caroloſtadium fuiſſe ornatum, habes apud Selnecc. Orat. de Luthero p. 26. Qvibus adde, qvæ ex epiſtolâ qvâdam Philippi refert Ræmandus de ortu hæreſ. lib. II. c. 7. §. 5 p. 121. Item illud ad Camerarium ſcribentis Philippi 4. Non. Jan. Anno 1522. *Qva de Alphabeto*, (i. e. Caroloſtadio, vid. Melch. Adam. vit. Theol. Germ. p. 80.) *ſcribis, nonnihil commoverunt. Vereor enim, ne Vir ille privatam contumeliam, qvam putat, ulturus novo ſcandalo cauſam evangelicam oneret.*

[d) Vorrede vom Prieſterth. a. 4. Venit autem ipſo Anno 1522. Froſchelius Witebergam. (e) in vitâ Phil. Melanchthonis p. 50. (f) Orat. de vitâ Lutheri p. 26. ed. Jen. Anno 1592. (g) d. l.

Digitized by Google

*pserunt, ut desertâ vocatione & exustis libris suis mechanicas operas fecerit, qvod mendacium Surii monachi nimis impudens est.* Habes ita simul originem totius commenti, cum Philippo Melanchthone confundentis qvendam ipsi cognominem. Ac fieri potest, ut alium qvoqve Carolostadii asseclam fabulatores isti transformaverint in Philippum. *Gabrielem Didymum* intelligo. Hunc enim constat, cùm absente Luthero, [cujus ipse vicem concionando supplebat,] id ipsum in templo svasisset, qvod in lectionibus suis Carolostadius, abrogandos esse una cum Academiis Scholas particulares, Baccalaurei, Magistri, Doctoris titulos adversari mandato Christi (*h*): hunc inqvam constat reducé Luthero sententiam mutavisse (*i*); ac fuere tùm fortasse, qvi de Philippo disseminarent, qvod oportebat de Gabriele. Sed hæc pro causâ Philippi sufficere jam possunt. Retinemus verò in hâc etiam Academiâ constanter illos honorum Academicorum gradûs. Atqve

(h) Etiam hoc de Didymo Froschelius, (apud qvem non panca hujus argumenti reperies haud passim obvia,) nos docuit. Cui nominatur qvidem non nisi Frater Gabriel Augustiner-Ordens/ sed *Didymi* cognomen ipsi fuisse, disces è Tomo II. Epist. Luth. p. 50.

Digitized by Google

Atqve adeò, qvod felix esse DEUS T. O. M. jubeat crastino mane horâ VIII. Bonarum ARTIUM ac Philosophiæ Baccalaurei solenni ritu in AUDITORIO Philosophico renunciabuntur Juvenes qvinqve, qvi & hoc honore dignam eruditionem suam in examine approbaverunt nobis, & probitatis ac virtutum famâ conspicui sunt,

JOHANNES DAVID Schwertner / *Lipsiensis.*

IMMANUEL Weber / *Hohenheydâ-Misnicus.*

CHRISTOPHORUS Meyfart / *Osterbehringâ-Thuringus.*

JACOBUS Laue / *Ascaniensis Saxo.*

JOHANNES Gottlieb Hardt / *Loburgensis Saxo.*

Magnificum ergò Academiæ Rectorem, Facultatum omnium Amplissimos Proceres, Academicorum Civium splendidissimum Ordinem, eâ, qvâ singulos compellare, submissione, observantiâ, modestiâ par est, rogamus, ut Actum hunc celebri suâ, nostrisqve studiis honorificâ præsentiâ illustrare dignentur.



(i) Luther. ad Wencesl. Lincum Tom. II. Epist. p. 9. (cui qvidem epistolæ pro Anno 1522. perperam adscriptus legitur 1521.) *Carlstadius & Gabriel horum autores fuerunt monstrorum, & Gabriel qvidem se agnoscit, & in alium Virum mutatus est.*

Digitized by Google

Crescet ita simul Candidatorum ad altiora tendendi ardor, simul nostra cupiditas benevolentiam haud vulgarem obseqviis nunqvam finiendis, gratitudine semper expeditâ, demerendi. P.P. d. 13. Decembr. Anno 1678.

*******************

## Programma LIX.

Scriptum nomine Rectoris Academici
Ad Celebranda
Anno 1679. Dominicâ XX. post Trinit. d. 2. Novembr.

PRO DIVINO REDONATÆ PUBLICÆ PACIS BENEFICIO SACRA EUCHARISTICA.

EXauditi tandem, qvod soli debemus ineffabili Misericordiæ Divinæ, sunt gemitûs nostri, qvos per hos annos octo inter solennes ceremonias freqventer effudimus. Tandem vero? Imò qvoties per hæc turbulenta tempora cœlum pulsavimus, toties Gratiæ nobis janua patuit. Dum alias regiones bellum atrox infestavit, nobis tranqvilla, pacata, qvieta fuerunt omnia. In his otiis rogavimus pacem prorogari nobis. Prorogata semper fuit, neqve ulla vis hostium nos coëgit è falcibus conflare

flare lanceas. Adeò nunqvam rogatio isthæc nostra repulsam tulit. Veruntamen huic & aliam adjecimus, ut vicinis, gravissimâ belli tempestate afflictis, serenum cœlum redderet Pater cœlestis. Tandem ergò & hæc obtinuit. Sopita sunt, Clementissimi Numinis jussu, Regnorum cum Imperio Romano disidia; optatissimum olivæ ramum Caduceatores passim ostentant; sidus, qvod nobis hactenus qvasi proprium fulsit, aliis qvoqve commune esse cœpit. Certè tot annorum nubes depulsæ, fulgura extincta, tonitrua sublata sunt. Neqve dubium adeò, qvin liberatæ sic à gravissimis turbinibus provinciæ sint in gaudii nostri societatem venturæ. Distingvetur tamen hæc Societas sorte dispari. Nostrum utiqve gaudium verosimile est tantò majus fore, qvantò post nubila floridior campus est, cui fulmina pepercerunt, qvàm cujus adusta seges, aut percussa. At enimverò, si accuratè subducere placet hujus rei rationes, non tàm è facie externâ, qvàm interno cordis affectu metienda hujus gaudii vera magnitudo est. Itaqve vereor, ne qvantum lætitiæ nostræ gestûs externi addent, tantum in-



Digitized by Google

ternus tepor sit abrasurus. Qvi gravi morbo decubuit, beneficium sanitatis & rectiùs intelligit, & carius æstimat, qvàm inexpertus mali. An non ergò credemus, gustum pacis haud paulò jucundiorem fore cum belli sævitiâ tàm diu conflictatis, qvàm nobis, qvi calamitatis immunes qvievimus? At illi, inqvies, gaudium hoc lacrymis temperabunt, qvoties diruta suarum urbium mœnia, vastatas ædes, rudera incendiorum, cistas inanes inspicient. Ita est. Sed has lacrymas acerba delictorum, qvibus DEI provocata est ira, recordatio excipiet; recordationem pœnitentia seria; pœnitentiam Divinæ misericordiæ, obicem deniqve justæ indignationi ponentis, contemplatio; contemplationem hanc sincerâ pietate gaudium effervescens. Porrò gaudium hoc nova vis lacrymarum comitabitur, inusitatæ atqve cor ipsum gravi aculeo penetrantis lætitiæ index. Qvis enim nescit, in re admodùm desideratâ tantam solere gaudii severitatem nasci, qvæ oculorum stillicidio genas irroret? Utinam verò nobis qvoqve temporis hujus lætitia lacrymas exprimat! Hæ certè nos decent, sive peccatorum no-

Digitized by Google

nostrorum, sive Divinæ Clementiæ magnitudinem intueamur. Meriti eramus eodem Martis flagello castigari, qvo alii vapularunt. Spectatores tamen alienæ cladis esse nos DEUS voluit, non conscios nostræ. Cur ergò non madeant nobis genæ, sive culpam nostram, sive alienam miseriam intuentibus? Pacem DEUS provinciis nostris conservavit, alienis reddidit. Cur non præ gaudio nobis, perinde atqve illis, erumpant lacrymæ? Qvid, qvod hoc ipsum gaudium certa vagantium alibi passim morborum fama formidine temperat nobis? Etenim qvi belli metum nobis ademit, pestiferæ luis jam incutit, atqve hoc ipso culpæ nostræ nos admonet, qvam castigare, ferulam licèt unam subtrahens, alterâ tamen possit (a). Verùm neqve sic desinet esse Pater. Omninò enim morborum tolerabilior, qvàm belli est calamitas. Id qvod & Davidem judicio suo confirmasse sacræ produnt literæ: cui cùm optionem dedisset DEUS, placuit pœnam delicti sui pestem præ bello eligere, qvòd meliùs ipsi videretur in DEI



(a) Atqve sic factum postea. Nam anno proximè sequente 1680. gravissima lues Lipsiam infestavit.

Digitized by Google

manûs, qvàm hominum incidere (*b*). Sapientissimè profectò. DEUS homini, perinde ac Pater filio, etiam ubi virgam in eum expedit, non minùs, qvàm cùm osculatur, Pater esse perseverat. At homo homini bellum per nefas inferens, non dicam lupus, diabolus est. Horrescerem id asserere, nisi fuissent, qvi hoc ipsum diabolorum nomen, ut hostem terrerent magis, inderent sibi, eoqve appellari pulchrum putarent. Fecisse hoc leguntur sub initium superioris seculi milites Geldriæ Ducis (*c*). Haud inficior, DEUM qvoqve certâ conditione bello intervenire: nisi enim permittat ille, ne pedem qvidem movebit hostis; neq; dubium, qvin ex hoc etiam emplastro remedium ipse qværat vulneribus nostris. Veruntamen nec fugit ratio Davidem, cùm eos, qvi peste affliguntur, in DEI; qvi bello, in hominum manûs incidere diceret. Contemplemur, qvid pueris domi eveniat. Hos cùm inter se pugnis, verberibus, calcibus dimicant, in mutuas manûs incidere dixeris; cùm pater-

(b) 2. Sam. 24. v. 13. 14. (c) Vid. Mich. Beuther. Animadv. c. XI. p. 181. & ad hunc locum annotat. Joh. Michael Beutheri p. 182.

Digitized by Google

paternâ ferulâ excipiuntur, in manum Parentis. Simul ita vides, qvantò salubrior nobis accidat castigatio DEI paterna, qvàm inimica hostium invasio. Puer puerum lædens exemplo eum suo ad feritatem provocat. Pater filio virgam vel è longinqvo ostentans facilè demit illi cupidinem lasciviendi. Qvid autem hoc casu puer prætereà? Occurrit Patri, flectit genua, lacrymans precatur veniam delicti, hanc adeptus submissas agit illi gratias. Qvod ita cum filio Pater, idem nobiscum jam DEUS agit. Qvamobrem & nos, si sapimus, imitemur puerorum virtutes. Belli nos ille securos esse jubet, sed pestem minatur. Deprecemur hoc malum lacrymabundi & genibus flexis; pro Pacis autem nunqvam satis prædicando beneficio devotas agamus gratias. Simul sic satisfiet voluntati SERENISSIMI ATQVE POTENTISSIMI SAXONIÆ ELECTORIS JOHANNIS GEORGII II. DOMINI AC NUTRITII NOSTRI CLEMENTISSIMI, qvi pro singulari suâ in DEUM T.O.M. pietate, & in Patriam providentiâ, tùm pro avertendâ lue periculosâ supplicationes & jejunia, tùm pro restitutâ Romano Imperio pace Festum Eucharisti-

Digitized by Google

charisticum universis indixit provinciis suis. Qvemadmodùm itaqve ante dies non ita multos obseqvia Ecclesiarum in celebrandis Pœnitentiæ solennibus imitata est Ecclesia nostra, qvæ & heri anniversariam repurgatæ ministerio B. LUTHERI doctrinæ Evangelicæ memoriam recoluit: ita cras, volente DEO, in societatem publici ex pacis recuperatione gaudii venire gestiet. Est autem hoc in argumento post incomparabilem DIVINI NUMINIS indulgentiam CELSISSIMI PRINCIPIS NOSTRI, ELECTORIS, *Studium Pacis*, qvo auro contrà carum hoc cimelion conservatum nobis, aliis redditum est, dignum, qvod illustri Oratione prædicetur. Faciet hoc horâ crastinæ diei XII. ex umbone Ædis Paulinæ, qvam è Nicolaitanâ ingredi meditamur, Venerandus Collega noster *D. Valentinus Alberti*, Prof. Publ. & Philosophicæ Facultatis hoc tempore Decanus, & ita faciet, ut speremus, eum dum PATREM PATRIÆ laudat, non minùs audientium animos excitaturum esse ad canendas ILLI gratias, qvi sedens in cœlo Regum ac Principum in terris corda flectere novit. Agite ergò, Proceres utri-

Digitized by Google

utriusqve in hâc Philureâ Reip. gravissimi, agite dilectissimi Cives nostri, & freqventiâ vestrâ SANCTISSIMO NUMINI devotionem, PACIS STUDIOSISSIMO ELECTORI reverentiam, nobis favorem ac studia vestra, omni officiorum genere demerenda, comprobate. P.P. Calend. Novemb. An. MDC LXXIX.

## PROGRAMMA LX.

## DE EXCIDIO MUNDI, CHILIASTIS, MORTE HOMINIS

*Prascriptum Orationi*
qvâ Anno 1682. d. 25. Augusti
ANDREAS ARNOLDUS KATHER
*Celebravit memoriam beatè mortuorum*
*Duorum Islebiensis Reip. Consulum.*

PRoximè præteritâ Dominicâ die nihil aliud sonuerunt Ecclesiasticæ cathedræ, qvàm excisionis Hierosolymitanæ vaticinium pariter & historiam. Admonet nos excidium hoc ejus ruinæ, qvam universo mundo novimus impendere; hujus verò universi ruina simul aurem vellit nobis, ut singuli cogitemus de morte. Age exspatiemur in hos

hos campos paulisper, pleniores qvidem amaris herbis, qvam floribus amœnis ac svaveolentibus, (qvid enim magis tremendum extremo judicio? qvid acerbius morte?) sed qvos tamen commendare nobis vel ipsa talium herbarum, utut minus gratarum palato, salubritas debet. Præservat enim hæc speculatio nos à præcipitantiâ in lacûs animæ periculosos. *In omnibus operibus tuis*, verba sunt Siracidæ (*a*), *memorare novissima tua, & in æternum non peccabis*. Novissima hæc Bernhardus tria numerat (*b*), *mortem*, *judicium*, *gehennam*. Eqvidem si tribus his qvartum addas, Beatorum in cœlo *paradisum*, qvæ *qvatuor* novissima scriptis Eruditorum maximè videas celebrari (*c*), facilè trium herbarum evanescet amarulentia. Qvibus enim vivere Christus est, his *mori* lucrum (*d*); neqve hi venient in *judicium* (condemnationis,) sed transibunt à morte in vitam (*e*), atqve adeò exclamare poterunt: ubi est, Mors, stimu-

(a) Ecclesiastici c. 7. v. ult. (b) Serm. in illud Eccl. *memorare novissima tua &c.* Tom. II. Oper. f. 202. (c) De *qvatuor novissimis* agit Vincentius Bellovacensis toto libro secundo Speculi moralis sui f. 689. seqq. (d) Philip. I. v. 21. (e) Joh. 5. v. 24.

Digitized by Google

ſtimulus tuus, ubi tua, *inferne*, victoria? (*f*) Veruntamen lacrymæ Chriſti miſerrimam Hieroſolymæ vaſtationem prævidentis atqve deplorantis, eò nos impellant, ut ad triſtia nunc potiùs, qvàm læta, vertamus oculos: id qvod ab hâc etiam *ſeptimanâ*, *menſe*, *anno*, *ſeculo* poſtulari à nobis dixerim. Ab hâc *ſeptimanâ*, qvâ ſonare publicè pariter & privatim vix aliæ ſolent, qvàm lugubres cantilenæ, illa maximè, qvâ planctum captivorum in Babylone repræſentamus (*g*). Ab hoc *menſe*, qvem Auguſtum vocamus: hic enim templo Hieroſolymitano exitiabilis fuit (*h*). Ab hoc *anno*, qvem periculoſum admodùm his regionibus paſſim graſſans peſtifera lues, Imperio Romano hoſtis non unus reddidit: qvam ob cauſam & Sereniſſimi Electoris mandato pœnitentialem diem agere non unum ſumus juſſi. Ab hoc *ſeculo*, qvod Orbis hujus conflagrationi propinqvum indies magis fieri novimus. Sed in tantâ triſtium, qvæ lacrymas nobis

(f) 1. Cor. 15. v. 55. (g) Juxta Pſamum 147. *Super flumina Babylonis*, An Waſſerflüſſen Babylon
(h) Vid. Calend. Hiſtor. Eberi ſub 9. & 10. Aug.

Digitized by Google

bis excutere possunt, multitudine, duo tantùm illa, de qvibus initiò dicebamus, jam hîc meditabimur, *excidium mundi*, *mortem hominis*. Præcedat *mundi excidium*. Ipse Salvator, qvanqvam in Evangelio septimanæ hujus non nisi de urbis interitu loqvitur, tamen paucis pòst diebus, cùm discipuli certiores esse rei totius cuperent, urbis & orbis conflagrationem conjungit. Nimirum eo, qvo Hierosolymam ingrediebatur, tempore prædixerat, inimicos urbis non relicturos esse lapidem super lapidem (*i*). Hoc vaticinium cùm posteà, magnificentissimam templi structuram ostendentibus discipulis, ad ipsum qvoqve templum accommodâsset, illi verò desiderio accuratioris de hoc negotio notitiæ flagrantes, tempus sibi ac signa ejus revelari cuperent, Christus ita respondit, ut signa, qvæ tùm urbis, tùm orbis universi conflagrationem præcessura essent, connecteret (*k*): non qvòd utrumqve incendium simul esset evēturum, sed qvòd, ut de similitudine temporum (*l*) taceam, de

(*i*) Luc. 19. v. 44. (*k*) Vid. Luc. 21. v. 5. seqq. Matth. 24. & Marc. 13. per tot. (*l*) Luc. Osiand. Part. III. Bibl. ad Luc. 21. f. 221.

Digitized by Google

de utroqve ſimul interrogâſſent diſcipuli, ſecretò dicentes: *Dic nobis, qvando hæc erunt,* (ut non relinqvatur in templo lapis ſuper lapidem,) *& qvod ſignum adventûs tui, & conſummationis ſeculi* (*m*)? Nempe *putabant diſcipuli*, verbis Lucæ Oſiandri (*n*) loqvor, *finem mundi, & excidium templi, & adventum Chriſti glorioſum, qvo inchoaturus eſſet regnum terrenum* (*o*) *in univerſo orbe, omnia eodem tempore eventura, & exiſtimabant, Chriſtum magnâ mundanâ majeſtate reformaturum mundum.* Unde autem imbiberant illi vanam hanc perſvaſionem? Unde, niſi à ſuorum temporum Judæis? Hi qvicqvid de Regno Meſsiæ prædixerant Prophetæ, ad regnũ terrenum transferebant (*p*): qvod pompâ qvâdam & externâ gloriâ ſic ſplendidum imaginabantur, ut ſub eo religionem Judaicam longè lateq; propagandam ſtabiliendamq;, gentes autem ei adverſas aut inſultantes deſtruendas eſſe, crederent (*q*). Qvanqvam autem poſt

Yy Salva-

(m) His verbis rem eloqvitur Matthæus cap. 24. verſ. 3. (n) Commentantis ad hunc Matthæi locum Part. III. Bibl. f. 85. Adde Selnecc. Part. III explic. Evang. p. 875. (o) Matth. 20. v. 1. Act. 1. v. 7. (p) Adam Tribbechov. Hiſtor. Chiliasm. G. 3. (q) Joh. Gvil. Bajer. diſſert. Hiſtorico-Theol. errori Chiliaſt. oppoſ. p. 1.

Digitized by Google

Salvatoris in cœlos ascensionem svave hoc insomnium Spiritus Sanctus excussit Apostolis, qvibus bibendus fuit calix (r) non deliciarum hujus mundi, sed afflictionum, crucis, martyrii: tamen non defuerunt, qvi delirium illud refoderent, Christiqve mundanum, qvod sibi fingebant (s), regnum *mille Annis*, ex Apocalypsi (t) perperàm intellectâ (u) elicitis, simul alio Scripturæ Sacræ de mille annis dicto abusi (w), circumscriberent, *Chiliastarum* inde seu *Milliariorum* nomen adepti (x). Atq; hi jam inde ab Apostolorum temporibus ad nostrum usq; seculum, licet per intervalla, sic invaluerunt, ut ipsorum recensere satis numerosum liceat exercitum (y). Sed juvat eos

(r) Matth. 20. v. 23. (s) *Regnum meum non est de hoc mundo*, inqvit Christus Joh. 18. v. 36. (t) *Et apprehendit* (Angelus) *Draconem, & ligavit eum per annos mille &c.* Apoc. 20. v. 2. seqq. (u) Apocalyptici vaticinii expositionem orthodoxam, Chiliasticæ illi oppositam, suggerent Gerhard. Loc. Theol. Tom. IX. p. 482. seqq. Affelman. Syntagm. Part. I. 48. seqq. & alii nostrates. (w) 2. Petr. 3. v. 8. (x) Augustin. d. l. paulò post: *Istos ista credentes χιλιασὰς appellant græco vocabulo: qvod verbum è verbo exprimentes nos possumus* Milliarios. *nuncupare.* (y) Exhibet hunc juxta primæ, mediæ, ultimæ ætatis Chiliastas Tribbechovius cap. II. III. & IV. Histor. Chiliasmi: cui junge Gerhard. Tom. IX. Loc. Theol. p. 443. seqq.

Digitized by Google

eos partiri in *crassos & subtiles* (z): qvorum illi voluptates impuras, in luxu & vagis libidinibus positas, pollicebantur sibi; hi præcipuè spirituales, in terris tamen & cum pace ac tranqvillitate fruendas, imò & corporalia bona alia, verùm qvæ cum timore Dei & vitæ sanctitate stare possent, exspectaverunt (a). *Crassorum* antesignanus Cerinthus fuit, ipsis Apostolis, aut saltem Joanni coævus, pestilens hæreticus, judaismo ex parte addictus & circumcisus: à qvo & Cerinthiani appellati mille annos, post resurrectionem in terreno regno Christi, secundum carnales ventris & libidinis voluptates, futuros fabulati sunt (b). Hos veteres Cerinthianos ævo superiore sunt imitati Anabaptistæ qvidam in Germaniâ nostrâ, Monasteriensis cumprimis, qvi Uxorum multitudinem, voluptatum & deliciarum carnalium in erectione qvoqve regni sui finxerunt fruitionem (c). *Subtili* Chiliasmo Pa-



(z) Sic & Gerhard. d. l. p. 452. Chiliasmum distingvit in subtilem & crassum. (a) Loqvor cum Joh. Gvil. Bajer. dissert. contra Chiliast. p. 4. (b) Gerhard. d. l. p. 443. Tribbechov. A. 3. Bajer. p. 3. Augustin. de hæres. c. 8. (c) Hotting. l. Hist. Eccles. p. 156.

Digitized by Google

tres olim qvidam succubuerunt. E qvibus audiamus Lactantium ita differentem (d): *Veniet summi & maximi Dei filius ---- Ille -- qvum justos, qvi à principio fuerunt, ad vitam restauraverit, mille annis inter homines versabitur, eosqve justissimo imperio reget. -- Tùm qvi erunt in corporibus vivi, non morientur, sed per eosdem mille annos infinitam multitudinem generabunt, & erit soboles eorum sancta & Deo chara. Qvi autem ab inferis suscitabuntur, ii praerunt viventibus velut judices. Gentes verò non extinguentur omninò, sed qvadam relinqventur à justis, ac subjugentur perpetuae servituti. --- Civitas Sancta constituetur in medio terra, in qvâ ipse conditor Deus cum justis dominantibus commoretur. -- Luna claritudinem Solis accipiet, nec minuetur alterius: Sol autem septies tantò, qvàm nunc est, clarior fiet. Terra verò aperiet fœcunditatem suam, & uberrimas fruges suâ sponte generabit: rupes montium mella sudabunt: per rivos vina decurrent, & flumina lacte inundabunt. --- Non bestiae per hoc tempus sanguine alentur, non aves prædâ, sed qvieta & placida erunt omnia. --- Denique tunc fient illa, qva Poeta aureis temporibus (e) facta esse jam Saturno*

(d) lib. VII. c. 24. (e) *Aurei seculi* mentionem hanc

*turno regnante dixerunt.* Vides ita, qvæ de aureo Christianorum his in terris seculo commentatus est Lactantius, advocatis in subsidium gentilibus qvoqve Poetis, ea non multum discrepare à somniis discipulorum Christi Judaicis. Licebit ergò has etiam Ecclesiastici Scriptoris, non leviter hîc cœcutientis, nebulas discutere concionibus iis, qvibus Salvator parum læta vaticinatus est Suis: *Erunt pestilentiæ, & fames, & terræ motûs* (*f*). *Erit tribulatio magna, qvalis non fuit ab initio mundi* (*g*). *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commovebuntur* (*h*). Atqve sic jam ab extremis macrocosmi opportunè deducimur ad microcosmi qvoqve contemplanda extrema. Nam & horum præsagia memorantur in sacris literis *Sol, & lumen, & stellæ, & luna tenebrescentes* (*i*), hoc est, caligantes oculi: qvos tandem superveniens Mortis somnus planè claudit. Confirmat mortis cum extremo



in rem Lactantius etiam facit lib. IV. c. 12. sub fin. & lib. VII. cap. 2. sub init. (g) Matth. 24. v. 7. (g) Ibid. v. 21. (h) Ibid. v. 29. (i) Ecclesiastæ cap. 12. v. ubi & respice ad glossam Lutheri.

Digitized by Google

die mundi comparationem cumprimis illud Germanorum adagium, qvo qvilibet homo fertur experiri Judicium extremum, qvando moritur (k). Imò & apud Ecclesiasticos ævi sat vetusti Patres reperias, qvæ hanc nobis meditationem apertissimè suggerant. Chrysostomus (l): *θῶμεν εἶναι τὴν συντέλειαν μετὰ εἴκοσιν ἔτη, μετὰ τριάκοντα ἔτη, μετὰ ἑκατόν. Τί τοῦτο πρὸς ἡμᾶς; οὐχὶ ἑκάστου ἡ συντέλεια τὸ τῆς ζωῆς πέρας ἐστί; Ponamus, seculi consummationem post viginti annos futuram, post annos triginta, post centum: qvid hoc ad nos? An non uniuscujusqve consummatio est vitæ suæ terminus?* Hieronymus (m): *Qvod in die judicii futurum est omnibus, hoc in singulis die mortis impletur.* Augustinus (n): *Unusqvisqve debet de die hujus vitæ suæ novissimo formidare. In qvo enim qvemqve invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi novissimus dies: qvoniam qvalis in die isto qvisqve moritur, talis in illo die judica-*

(k) Eines ieglichen jüngster Tag ist / wenn er stirbt. Joh. Agric. Deutsch. Sprichw. n. 710. p. 316. ed. Witteb. Anno 1592. (l) Ἀπαθισμ. Homil. XXXII. p. 545. ex comment. in 1. Thessal. (m) in c. 2. Joel. (Tom. VI. Oper. f. 27.) (n) Epist. 80. [Tom. II. Oper. f. 350.)

Digitized by Google

*dicabitur.* Ita verò est cùm moritur homo, id ipsum qvoad animam experitur in momento mortis, qvod in extremo judicio qvoad animam & resuscitatum corpus simul experietur. Migrandum illi est ad sedes aut beatorum, aut damnatorum: tertium non datur. Itaqve Johannes Agricola cùm illud, qvod dixi, Majorum nostrorum adagium interpretatur, ex eo colligit (o), veteres Germanos non implicatos iis fuisse de missâ pro defunctorum animabus, deqve Purgatorio imposturis, qvæ posteà non absq; gravi religionis Christianæ detrimento invaluerunt. Clementissimo autem Numini devotas debemus gratias, qvod seculo superiore nostris etiam ex Ecclesiis hos tribulos B. Lutheri beneficio evulsit. Extinctus apud nos est ignis purgatorius; ablegatæ sunt ad inferos missæ pro defunctis. Servamus interim beatè mortuorum decentes, nullaqve superstitione fœdatas memorias. Atqve hæc maximè causa nobis fuit scribendi programmatis hujus. Evocavit in cœlestem gloriam Deus, cùm viciniam nostram pervagata pestifera lues etiam



(o) Sprichw. p. 327.

Digitized by Google

Islebiam infestaret, celeberrimæ hujus urbis duo Lumina insignia, CHRISTIANUM SCHLOTTHAUERUM, & HEINRICUM ARNOLDUM MENGERINGIUM, Consulari utrumqve dignitate fulgentem. Nobilissimæ horum Familiæ jussu scripsit in ipsorum honores parentalem Orationem Juvenis eruditione haud vulgari probisqve moribus commendatissimus nobis, arctaqve admodùm alteri eorum, qvibus parentabit, affinitate; alteri cognatione junctus, ANDREAS ARNOLDUS KATHER: qvam in Auditorio Majoris Principum Collegii recitabit crastinæ diei, qvæ ipsa Beato SCHLOTTHAUERO fatalis anno proximè præterito fuit, horâ matutinâ octava. Huic actui ut præsentiam commodare suam Academiæ Rector Magnificus, utriusqve Reipublicæ Proceres Gravissimi, Studiosi Ornatissimi dignentur, majorem in modum rogamus, non modò nostram præsentium, sed absentium qvoqve illorum, qvi luctui suo non leve solatium apponi sentient, ubi constipati rumor ad eos Auditorii deferetur, gratitudinem promptissimis obseqviis officiisqve demon-

stran-

Digitized by Google

ſtrandam pollicentes. P. P. Lipſiæ d. 24. Auguſti M. DC. LXXXII.

# PROGRAMMA LXI.

## DE HOMINIS VERSUS HOMINEM OFFICIO ANGELICO

*Præſcriptum Orationi,*

Qvâ Anno 1682. d. 30. Septembris GOTFRIED BOGEN, Vratislavienſis. *Celebravit memoriam Ridelianam.*

CElebramus hodiè *Feſtum* Archangeli *Michaelis*, qvod & *Angelorum* appellare ſolemus, qvoniam Eccleſia Chriſti hoc die meditari ſolet ac repetere doctrinam de Angelis bonis (*a*). Celebramus id autem, perinde ut Apoſtolorum, & aliorum, qvos Cœlitibus adſcriptos eſſe conſtat, Sanctorum Feſta, non eum in finem, ut ipſos, qvod Pontificiis ſolenne eſt, adoremus, (neqve enim ſoli Creatori debitus cultus abſqve inſigni ſacrilegio transferri poteſt ad creaturam:) ſed ut Summo Numini, qvod eis inter alia officia generis humani qvoqve demandavit cuſtodiam, devotas agamus gratias (*b*), ipſorumqve virtutes,

 qvan-

(a) Dreſſer. de Feſt. p. 185. (b) Notus eſt hymnus Eccleſiæ noſtræ hoc die cantari ſolitus: HErr GOtt/ dich

Digitized by Google

qvantam imbecillitas lapsæ naturæ permittit, imitemur. Canunt illi Deo hymnos; canamus & nos. Jussa ejus expediunt; expediamus & nos. Jam cùm virtutibus Angelorum officium etiam illud annumeretur, qvo ministeria præstant nobis (c), cujus rei non Sacra tantùm Historia (d), sed recentiorum qvoq; temporum res gestæ (e) insignia nobis exempla suggerunr: qvid hîc, ut Angelorum æmuli habeamur, faciendum nobis? An ipsis vicissim serviemus? Non indigent illi operis nostris, indigent è nostro grege alii. Non enim rarò evenit, ut inopiâ qvis pressus, cum periculo conflictans, alienum anhelans auxilium, adjuvari ab eo qveat, qvem divitiis, robore, potentiâ Deus instruxit. Hoc ergò casu sit homo homini Angelus, inopem sublevet, periclitanti succurrat, anhelantem

loben alle wir: in qvo paraphrasin agnoscos carminis sapphici, qvod Philippum Melanchthonem autorem habens his verbis inchoatur: *Dicimus grates tibi, summe rerum Conditor, &c.* (c) Hebr. 1. v. 14. (d) De Lotho, Elisæo, Daniele, qvos & hymnus ille Melanchthonis memorat. (e) Talia recentiorum temporum exempla Dei, suos miraculosè per Angelos defendentis, haud pauca memorat in suis Collectaneis Manlius p. 16. & seqq. ut de puero Cygnæo, de Grynæo, de Canonico Borussiæ, de duobus filiis Doctoris medicinæ in Necharo servatis, &c.

Digitized by Google

tem exaudiat. Enimverò si Angeli, qvorum conditio multis gradibus nostrâ, in tot miseriarum angustiis constitutorum, est superior, nobis opitulantur promptissimi: cur non idem faciat mortalis mortali? Jam & illud reputemus, esse naturam hominis medio qvasi ordine constitutam inter Angelos & experta rationis animantia (*f*). Cum his comune habemus corpus, cum illis immortalem animam. Nostrum hîc est non bruta imitari, sad Spiritûs illos æthereos; non descendere, sed ascendere, memores illius, qvod Poëta (*g*) canit:

*Pronaq; cùm spectent animalia cætera terram,*
*Os homini sublime dedit, cœlumq; tueri*
*Jussit, & erectos ad sidera tollere vultûs.*

Verùm labe veneni, ad nos inde à primis usqve Parentibus derivati, adeò corrupta sunt nobis viscera, ut longè minori negotio reperias hominem, qvi homini, qvod in proverbio est, sit lupus (*h*), qvàm qvi Angelus. Labem illam, qvam dixi, vene-

(f) Augustin. lib. XII. de Civ. Dei c. 21. (g) Ovid. lib. I. Metamorph. v. 84. Utitur his Ovidii versibus & Lactantius lib. II. c. 1. (h) Plautus in Asinar. Act. II. Sc. 4. v. 88. *Lupus est homo homini, non homo.* Erasm. ad a g. 70. f. 42. Confer & qvæ supra disserui Programm. XIX. lit. q. p.

Digitized by Google

veneni originalis, ignoraverunt gentiles; labis effectum experientia qvotidiana revelavit. Audiamus naturalis historiæ Scriptorem Plinium: *Leonum*, inqvit ille (*i*), *feritas inter se non dimicat, serpentum morsus non petit serpentes, ne maris qvidem bellua ac pisces, nisi in diversa genera, saviunt. At hercule homini plurima ex homine sunt mala.* Audiamus Ciceronem (*k*): *Nulla tàm detestabilis pestis est, qva non homini ab homine nascatur. Est Dicæarchi liber de interitu hominum, Peripatetici magni & copiosi, qvi collectis cæteris causis eluvionis, pestilentiæ, vastitatis, belluarum etiam repentinæ multitudinis, qvarum impetu docet qvadam hominum genera esse consumpta: deinde comparat, qvantò plures deleti sint homines hominum impetu, id est, bellis aut seditionibus, qvàm omni reliqvâ calamitate.* Venit hîc in mentem ejus, qvod Michaël Beutherus (*l*) annotavit, milites Caroli Geldriæ Ducis diabolos se appellâsse ac gessisse. Hæc ergò talia humani generis carcinomata non *Lupos* dicas hominibus fuisse, sed *Diabolos* (*m*). Ac nescio an non Græ-

(i) Procem. lib. VII. in fine. (k) Lib. II. de offic. p. 36. (l) Animadv. p. 181. Respice & supra ad Progr. LIX. lit. e.

[m] Ein Mensch ist des andern Teuffel. Proverbii

Græcorum illud adagium, ἄνθρωπος ἀνθρώπῳ δαιμόνιον, in hunc ipsum sensum debeamus interpretari, ut δαιμόνιον *diabolum* potiùs notet, qvàm, qvod Erasmo (n) placuit, sensu planè contrario, *Deum*. Eqvidem Erasmo hîc favet Suidas (o), cujus hæc sunt verba (p): Ἄνθρωπος ἀνθρώπῳ δαιμόνιον. παροιμία ἐπὶ τῶν ἀπροσδοκήτως ὑπὸ ἀνθρώπῳ σωζομένων, καὶ δι' αὐτῶν ἐυδοκιμούντων. hoc est, Æmilio Porto interprete: *Homini homini Deus. Proverbium, qvod dicitur de illis, qvi ex insperato ab homine, servantur, & per ipsum (q) celebrantur.* Sed vellem addidisset simul Suidas idoneum è Veteribus, qvi sit hoc usus proverbio, testem (r), ut inqvirere liceat, num sub vocabulo δαιμόνιον bonus lateat, an malus geni-

hujus mentionem reperies apud Abasv. Fritsch. pag. 62. des Unchristl. Christenth. (n) Adag. 69. f. 41. (o) Vix dubium, qvin è Suidâ hauserit Erasmus, qvanqvam ipsum citat. (p) Sub voce Ἄνθρωπος, f. 290. ed. Colon. Allobr. Anno 1619 qvæ Græco-Latina prodiit, interprete & notas addente Æmilio Porto. (q) Seqvitur hîc Portus emendationem suam. Profitetur enim f. 291. se pro δι' αὐτῶν legere δι' αὐτοῦ, & ad ἀνθρώπῳ referre, qvod præcedit. (r) Hoc idem in Erasmo pariter & Suidâ desiderat Jac. Nicol. Loensis Miscellan. Epiphyll. lib. VII. c. 19. (p. 557. supplem. Tom. V. Lamp. Gruter.) qvanqvam is de sensu vocis δαιμόνιον nihil hîc movet scrupuli.

Digitized by Google

genius. Scio vocem δαίμων; item δαιμόνιον Scriptoribus Ethnicis haud rarò usurpari honestissimo sensu, atq; hos dæmones pro Diis fuisse cultos; id qvod fortè movit Erasmum aliosqve ut illud, ἄνθρωπος ἀνθρώπῳ δαιμόνιον, redderent, *Homo homini Deus.* Vicissim neq; illud ignoro, à gentilibus passim dæmonum nomen vel solis geniis malis, vel his certè magis, qvã bonis, inditum fuisse (s), & ita inditum alicubi, ut θεὸς & δαίμων extremè essent opposita. Facit huc inprimis illud Plutarchi (t): *Vetustissima -- est opinio, --- à duobus principiis contrariis, adversisq; duabus facultatibus, qvarum altera ad dextram, altera retrorsum avertatur atq; reflectat, cùm vitam esse mixtam, tùm ipsum mundum, (si non universum, saltem qvi ad terram est, & Lunæ subjacet,) inaqvaliter ferri. -- -- Si enim nihil absq; causâ fit, & mali causam bonum non præbet: necesse est in naturâ ut boni, ita etiam mali ortum peculiarem, suumq; principium extare. Atq; hac qvidem sententia plerisq; --- probatur. Existimant enim alii, duos esse Deos, qvasi contrariis deditos arti-*

(s) Vid. Augustin. Steuch. Eugubin. lib. VIII. de perenni Philosoph. c. 26. seqq. (t) de Iside & Osiride. (Tom. II. Oper. f. 369. & Græcolat. Francof. Anno 1620.)

Digitized by Google

*artibus; ut bona alter, alter mala opera conficiat; alii eum qvi est melior,* Deum, *qvi deterior,* DÆMONEM *dicunt.* (*οἱ δὲ τὸν μὲν ἀμείνονα θεὸν, τὸν δὲ ἕτερον δαίμονα καλοῦσιν.*) *In qvâ sententiâ fuit Zoroastres Magus. --- Is --- melioris nomen Oromazan, pejoris Arimanium perhibuit.* Qvid ergò, si istius qvoq; proverbii conditor id voluerit, *hominem esse homini diabolum*? Plures sanè reperias homines, qvi noceant aliis, qvàm qvi prosint; Solent autem origines adagiorum hujusmodi propagari magis è casibus qvotidianis ac freqventibus, qvàm raris. At, inqvies, ad nos delatum est illud Cæcilii Veteris Poëtæ Comici;

*Homo homini Deus est, si suum officium sciat* (u).

Non nego, hominem homini *Deum*, aut ut stilo magis Christiano (w) loqvar, *Angelum* esse: Verùm in controversiam hoc jam

(u) Observavit hoc Jac. Nicol. Loensis loco supra lit. recitato, & qvidem è Symmacho, qvi epistolam 108. (p. 458. edit. Anno 1598. cum notis Lectii & Jureti) sic inchoat: *Rectè Cæcilius Comicus, Homo, inqvit, homini Deus est, si suum officium sciat. Hanc ego inte dixerim sententiam convenire, qvi gratiâ tuâ in nostris negotiis curam vigilem præstitisti.* (w) Phrasin hanc Erasmo etiam gentilismi suspectam fuisse qvodammodo, ejus verba produnt, ad istud adagium commentantis:

Digitized by Google

jam venit, an qvi Græcè scripsit, Ἄνθρωπος ἀνθρώπῳ δαιμόνιον, id ipsum voluerit, qvod latinis istis verbis expressit Cæcilius? seu, qvod perinde, an Cæcilius ista scribens in animo habuerit adagiũ græcum? In græco sanè illud, *si suum officium sciat*, non reperies; longeq; alius est conditionalium, ut Logici loqvuntur, propositionum, qvàm simplicium seu categoricarum nervus. Is autem vult Comicus, si officium suum, ad qvod à Deo conditus est, homo sciat, neqve scientia modo, (addendum enim aliqvid est huic, ut sit clarior, sententiæ,) sed & illud ipsum, qvod scit, exeqvendi cupiditate polleat, nullam esse prætermissurum beneficentiæ in homines alios occasionem. Rara eqvidem talium est hominum cohors, interim nec planè nulla. In censum eorum, qvi hominibus sunt Angeli, meritò referemus *stirpis generositate, bellicaqve fortitudine celeberrimum Dominum* GEORGIUM RIDELIUM, *à Leuenstern & Seiffersdorff, Hæreditarium in Treschẽ, qvi jam inter Cælites triumphat.* Adeò enim is Beneficentiæ studuit, ut eam superstitem esse corpori mortali suo voluerit, stipendio satis lauto constituto, qvo

ali

ali hac in Academia possent optimarum disciplinarum studia. Fruitur eo jam, destinato Sibi ab Urbis hujus Nobilissimo Senatu, Juvenis eximia eruditione conspicuus, *Gottfried Bogen* Vratislaviensis, Philosophiæ pariter ac Theologiæ Cultor industrius. Qvi grati animi signum editurus crastina luce post octavam matutinam in Auditorio Collegii Majoris inferiore Orationem habebit Ridelianæ memoriæ consecratam, qva simul pietatis tùm in DEUM, tùm in Patriam suam specimen exhibiturus est: qvippe cujus argumentum elegit Providentiam DEI in convertendis olim ad fidem Christianam Polonis atqve Silesiis admirandam. Qvare Magnificum Academiæ Rectorem, utriusqve Reipublicæ Proceres Amplissimos, Ornatissimum deniqve Studiosorum cœtum, rogamus enixè, ut celebritate præsentiæ suæ actum hunc illustriorem reddere dignentur. Stabit ejus facti cùm apud Nos tùm apud Oratorem, cum officiorum singulis debitorum promptitudine, memoria sempiterna. P. P. d. 29. Septembr. A. C. 1682.



Digitized by Google

# Programma LXII.

# De Occultatione Scientiarum

*Præscriptum celebrata*

Anno 1682. d. 28. Octobris.

## Promotioni Baccalaureali.

Alia longè in docendis scientiis, etiam sublimioribus, apud nos Christianos rerum facies est hodiè, qvàm vetustissimis olim seculis fuit penes Gentiles. Nos à Scholis nostris sive publicis, sive privatis, excludimus neminem, qvi nos audiendi sit cupidus; Doctrinas autem nostras clarè ac perspicuè, qvisqve pro suo modo aut Viribus, exponere conamur. Ex adverso illi Scientias occultabant, sua vel non nisi intimæ admissionis discipulis enunciantes [a], vel exponentes qvidem oculis & auribus etiam vulgi, sed signis ita obscuris, ut videntes nihil penetrarent, audientes nihil intelligerent. Hujus notæ simulacra erant Ægyptiorum Hieroglyphica, qvæ ideò cum Ammiano Marcellino (b) atqve Apulejo

(a) *Aristoteles* ad disciplinam suam ἀκροαματικὴν non admittebat, nisi qvorum antè ingenium & eruditionis elementa, atqve in discendo studium laboremqve explorâsset. Vide Gell. XX. noct. Attic. 4. Georg. Horn. VII. Histor. Philos. 9. (b) Ammian. Marcellin. lib. XXII. (p. 250. ed. Lindenbrog.) *excisis parietibus volucrum ferarumqve genera multa sculpserunt*, (de Ægyptiis loqvitur,) *& animalium species innumeras multas, qvas hieroglyphicas literas appellant, Latinis ignorabiles.*

Digitized by Google

lejo [c] meritò appelles *literas ignorabiles*. Nec alterius commatis apud Græcos fabulæ Orphei & Homeri, (qvos è Latinis posteà imitatus est in libris Metamorphoseon Ovidius, Symbola item ac numeri Pythagoræ, atqve id genus ænigmatum tenebræ aliæ [d]. Qvod de fabulis dixi, id intelligi de illis volo, qvibus autores ipsarum nullas adjecerunt interpretationes. Planè enim alterius generis Æsopicæ haberi merentur, suis singulæ ἐπιμυθίοις exornatæ: qvæ tantum abest ut obscuræ sint, ut in illis potiùs cum svavitate, qvæ fabularum omnium veluti nativa est indoles, certet perspicuitas. Longè ab hoc elogio absunt Poetarum istæ fabulæ, qvas dixeris esse propositos nobis absqve nucleo cortices. Imò ipsarum *sæpè ea est obscuritas*, (Vossii [e] verba mea facio,] *ut nec satis capiant eos ipsi Philosophi, sed alius hoc, alius aliud significari conjectet, nec tam fabulas Sententiæ adaptent ipsius Poetæ, qvàm suam fabulis*. Ac nescio, an non Vossii censuram hanc mereantur Symbolorum qvoqve Pythagoræ, Hieroglyphicorum item Ægyptiorum interpretationes qvædam à Viris etiam doctissimis tentatæ. Placet



(c) Apulej. XI. Metamorph. (p. 268 ed. Elmenhorst.) de Sacerdote qvodam Ægyptio loqvens: *matutino peracto Sacrificio de apertis adyti profert qvosdam libros literis ignorabilibus prænotatos*. (d) Petr. Joan. Nunnesius Orat. de causis obscuritatis Aristoteleæ (p. 4. 5. ed. Francof. Anno 1591.) tres memorat rationes ante Aristotelem obscurandæ Philosophiæ. (e) c. 4. de Philos. Sectis §. 8. p. 24.

Digitized by Google

cet hîc duas describere Clementis Alexandrini: de qvibus tamen liberum esto suum cuiqve judicium. Is libro V. Stromatum Pythagorica qvædam Symbola enucleare conatur, sic inter alia scribens [f]: *Super terram non esse navigandum, est Symbolum Pythagoricum. Significat autem, vectigalia, & similes conductiones, qvæ sunt turbulentæ & instabiles, esse recusandas. Propterea dicit verbum, Publicanos difficiliter salutem assecuturos* [g]. Postea cùm in seqventibus ad Ægyptiorum qvoqve progressus esset Hieroglyphica, *Diospoli*, inqvit, [h], *qvæ est urbs Ægypti, in æde sacrâ, qvæ vocatur Pylon, expressus est Puellus, signum generationis; Senex verò, interitus: & rursus Dei Symbolum accipiter, ut piscis Symbolum odii: & in alio rursus significato* (i) *Crocodilus est signum impudentiæ. Videtur ergò universum hoc Symbolum simul positum hoc significare: O qvi nascimini, & interitis, Deus odio habet impudentiam.* Si maximè credamus, Clementem in his duabus expositionibus rem acu tetigisse: qvis non videt. Symbola hæc talia vel Hieroglyphicas picturas, nisi facula qvaliscunqve interpretationis accedat, densissimâ fuisse cali-

(f) f. 408. ed. græcolat. Lugdun. Batav. Anno 1616.
(g) διὰ τοῦτό τοι ὁ λόγος· τὰς τελώνας λόγου δυσκόλους σωθήσεσθαι. (h) f. 413. (i) Paulò antè hæc præcesserant: *Ex Ægyptiis alii qvidem in navigio, alii verò in crocodilo solem ostendunt. Significant autem, qvòd Sol per aerem dulcem & humidum ingrediens gignit tempus, qvod æniqmaticè significat crocodilus per qvandam aliam sacerdotalem historiam.*

Digitized by Google

caligine involutas? Sed qvid Veteribus illis occultandi hanc cupiditatem persvasit? Si Conimbricenses [k] hîc audimus, *nefas putabant, ad arcana Sapientiæ profanum vulgus admittere, & qvæ natura in abdito collocasset, & à se magno studio qvæsita, ac vix tandem reperta essent, ea desidi & ignavæ multitudini communicare.* Voluerunt & videri, qvod è Macrobio (l) intelligas, id intendisse, ut illa rerum divinarum ac naturæ mysteria vindicarent à contemptu, ac defenderent à vilitate. Sed has causationes, (qvæ qvidem ad naturalis aut supernaturalis, non item ad moralis doctrinæ occultationem referendæ sunt,) fucos profectò potiùs fuisse dixerim facinoris parùm laudandi. De universis autem illis occultandorum varii generis dogmatum consiliis pronunciare hoc licebit: Aut ex illa qvorumcunqve sensuum occultatione gloriam Sibi, cùm obscura soleant admirationem excitare, [m] sunt aucupati; aut in sublimium rerum perscrutatione, si verorum sibi essent conscii, vetuit invidia (n) revelare thesauros tam pretiosos; sin ipsi diffiderent inventorum suorum veritati, metu dedecoris, qvod expectandum ipsis erat è talium



(k) lib. I. in Physic. Aristot. c. 7. artic. I. p. 175. (l) Macrob. lib. I. in. somn. Scip. c. 2. (m) præcipuè in animis plebejorum atqve rudium: (n) Georg. Hornius, ubi lib. VII. Histor. Philos. c. 5. memorat, Ægyptios artes à se inventas non facilè doculsse, in lemmate capitis ponit pag. 349. *Ægyptii invidi.*

Digitized by Google

propalatione, maluerunt ea retinere in absconditis, qvàm pudenda sua prostituere (o). Qvicqvid sit horum, omninò illa Ethnicis familiaris olim sive salubrium notitiarum obscuratio, sive trepidatio enunciandi clarè, qvæ sub pectore gestarent, & qvicqvid aliud pravorum occultè intervenit affectuum, Scholam sapit Satanæ potiùs, principis tenebrarum, cujus Oracula pleraqve ambigua & caliginosa, qvàm DEI, qvi Pater Luminis ad salutem necessaria nobis omnia manifestè revelavit in sacris literis (p). Itaqve probare non possumus indignam homine Christiano Francisci Patricii sententiam, non modò statuentis, illum occultandarum Disciplinarum morem fuisse Mosi & Prophetis communem cum gentilibus, verùm etiam primordia ejus repetentis à Noacho Patriarchâ, atqve adeò scabiem hanc, si in ultimam ejus originem inqviras, repetentis à sano Ecclesiæ Dei corpore. Cùm enim dixisset, Theologiam per fabulas tradendi morem, gen-

(o) *Authoritatem enim suam*, inqvit Joh. Jac. Thurmius differt. de modo proponendi Philosophiam gentilium Poetarum per fabulas, th. 7. *Sic aliter tueri, inoffensamqve sibi salutem præstare poterant, nisi suam in Philosophando imperfectionem speciosis mysteriorum titulis obtelassent*: ubi in Scholiis citantur ad hanc rem ad verba Maximi Tyrii. (p) De perspicuitate Scripturæ Sacræ circa dogmata, qvorum cognitio ad salutem cuivis necessaria est, vide Joh. Gerh. Tom I. Loc. Theol. p. 48. it. in Exeg. Artic. de Scripturâ Sacrâ c. 20. p. 447. Kromay. Theol. positivo-polem. artic. I. *Sect.* 6. p. 66.

Digitized by Google

gentilium puta, à Zoroastre inceptum, ab Ægyptiis acceptum, ab Orpheo receptum, post Orpheum multos alios apud Græcos fuisse prosecutos, ex qvorum numero Soli nobis supersint Hesiodus atqve Homerus, statim sit pergit (q): *Hunc morem cur Zoroastres instituerit, cur Ægyptii ac Græci in usu habuerint, non aliunde puto provenisse, qvàm Noe ipsius sive Jani* (r) *præcepto ac more. Qvi, si Berosi fides non est abroganda* (s), *ex arca egressus Scientias omnes scriptis commendavit, hæc scripta Chaldæis atqve Armeniis, Sacerdotibus solis, non etiam aliis custodienda reliqvit.* Sed qvis nescit, Berosum illum, ipsi etiam Patricio suspectum (t), cujus & verba (u) cum his Patricii qvi volet, conferre poterit, nihil aliud esse, qvàm Joannis Annii Viterbiensis commentum (w)? Qvod ad Mosen

Zz 4 &

(q) Discuss. Peripat. Tom. III. lib. I. (f. 293. ed. Basil. Anno 1581.) (r) Sic legendum, pro *sine sani*. Berosi enim, qvem hic citat Patricius, Noa idem est cum Jano. (s) Simili loqvendi formulâ, qvæ Berosi hujus fidem ipsi Patricio suspectam fuisse prodit, in hâc eadem causâ utitur Tom. I lib 6. f. 67. (t) Respice ad literam præcedentem. (u) Verba Berosi hæc sunt lib. III. (p. 24. ed. Witeb Anno 1602.) *Tunc Senissimus omnium Pater Noe, jam antea edoctus Theologiam & Sacros ritus, cœpit etiam eos erudire humanam Sapientiam. Et qvidem multa naturalium rerũ secreta mandavit literis, qvæ solis Sacerdotibus Scythæ Armeni commendant.* (w) Lambec. lib. I. de Biblioth. Cæs. f. 16. *cujus* (Joh. Annii Viterbiensis) *perniciosis aqve ac insulsis antiqvitatum figmentis, qvæ sub Berosi, Manethonis, Archilochi, Myrsili Lesbii, Xenophontis, Philonis, Q. Fabii Pistoris, Cato-*

Digitized by Google

& Prophetas attinet, ad hos morem istum, priùs ad Chaldæorum ac Persarum Magos & Ægyptios Sacerdotes, qvos Chami Sectatores facit, propagatum, tandem transiisse nugatur Patricius his verbis: *Hunc morem Moses est secutus, cùm Legum libros solis Sacerdotibus & aperuit, & custodiendos commendavit, cum omnia ejus scripta figuris ac velaminibus adumbravit, unde Cabala illa secretissima orta. Hunc eundem morem Prophetæ omnes Sanctissimi observarunt: non nisi sub figuris & ænigmatibus sunt locuti.* In Lege Veteris Testamenti umbram fuisse futurorum bonorum (x) non negamus. Veruntamen interest haud parum inter umbram, & omni luce destitutas tenebras. Oculorum officio in umbrâ fungi licet, in tenebris non licet. Sanè verò figuræ Mosis ac Prophetarum non caruerunt lumine divinarum interpretationum. Itaqve & illud, non nisi sub figuris ac ænigmatibus locutos fuisse Prophetas, falsissimum esse tot arguunt eorum clara de articulis fidei testimonia. Qvale illud è Psalmo Davidis (y), qvo Christus adeò evidenter confirmavit divinam Messiæ naturam, ut Pharisæi, qvod respon-

*tonis, & C. Sempronii veris ac claris nominibus cum ineptis suis in propria Commenta Commentariis, dolo malo divulgavit, omnium ferè Gentium Historia corrupta est.* Plurium, qvi Pseudo-Berosi hujus fraudes observaverint, nomina dabit Vossius lib. III. de Histor. Lat. c. 8. p. 609. (x) Hebr. 10. v. 1. (y) Psalm. 110. v. 1. *Dixit Dominus Domino meo &c.*

Digitized by Google

ſponderent reperire poſſent nihil (z). Sed hæc Theologis excutienda potiùs relinqvamus: & uberior hæc longè meſſis eſt, qvàm qvæ chartæ hujus anguſtiis circumſcribi qveat. Devotas interim agamus Deo gratias, qvi & ſeculo nos & genti adſcripſit illi, cui nec ignorabilium apud Ægyptios literarum, nec Judæorum Cabalæ, nec aliarum id genus tenebrarum diſcuſſione, ſi Doctis annumerari optemus, eſt opus. Qvam felicitatem & gratulari poſſumus decem Juvenibus, qvos ita nobis commendavit explorata juſto examine liberalium artium notitia, ut primam illis Philoſophiæ lauream, [qvod fauſtum eſſe Deus O.M. jubeat!] craſtino die imponere decreverimus. Ipſorum nomina, juxta ordinem inſcriptionis in matriculam noſtram Academicam, jam inde ab hujus Lycei obſervatum initiis, hæc ſunt:

I. JOHANNES FRIDERICUS WALTHER, Curiâ-Variſcus.

II. JOHANNES CHRISTIANUS GEIERUS, Lipſienſis.

III. JOH. CHRISTOPHORUS BILEFELD, Werningerodenſis.

IV. CHRISTOPHORUS SCHMIDIUS, Gera-Variſcus.

V. JOHANNES SCHALLERUS, Eibenſtochienſis.

VI. Gotthelff Ehrenreich Becker / Stolpenſis.



(z) Matth. 22. v. 45. 46.

Digitized by Google

VIII. GODOFREDUS SPRINGERUS, Vratislaviensis.

VII. GODOFREDUS WEISSIUS, Thoruniensis.

IX. DAVID BLÆSING, Regiomontanus Borussus.

X. JOH. FRIDERICUS ORTLOB, Olsna-Silesius.

Rogamus ergò Academiæ nostræ tùm Amplissimos Proceres, tùm Cives ordinis cujuscunqve Clarissimos, præstantissimosqve, ut splendore præsentiæ suæ lucem huic Actui fœnerari ne graventur. Excitabit ea res non Candidatos modò ad altiùs emergendi studia, sed promptitudinem qvoqve nostram continuandorum, qvibus alias obstrictos esse singulis nos profitemur, officiorum. P.P. Lipsiæ d. 27. Octobris Anno Christi M.DC. LXXXII.

*****************

# PROGRAMMA LXIII.
# DE OCCULTIS POETICARUM FABULARUM SENSIBUS

*Præscriptum celebratæ* qvâ Anno 1683. d. 21. Aprilis PROMOTIONI BACCALAUREALI.

IN Programmate qvodam superioris anni (a) discussimus cumprimis perversam *de occulta-*

(a) 1682. d. 27. Octobr. Baccalaureali, Programma illud hîc proximè præcedit.

*cultatione Scientiarum* sententiam Francisci Patricii, non modò pravam hanc consvetudinem, sed ejus ipsa qvoqve primordia Ecclesiæ DEI Sanctæ imputantis. Libet nunc *de occultis Poeticarum fabularum sensibus* vocare sub examen pronunciata Leonis Hebræi. Hujus habemus tres de amore dialogos (*b*), latinitate donatos à Joanne Carolo Saraceno: cujus qvidem judicio (*c*) hi Dialogi *totam ferè Aristotelicam & Platonicam Philosophiam, unà cum Sacrorum qvoqve Voluminum divinâ reconditaqve Scientiâ complectuntur.* Patiar hoc in opere laudari qvædam ab Eruditis, non pauca placere sagacibus rerum minùs obviarum venatoribus: sed ista profectò gentilium Philosophiam cum sacris literis conciliandi vesana cupiditas execrandis erroribus obnoxium reddidit hunc Leonem. Qvis enim Christianorum non detestetur abominandum illud ejus commentum (*d*), sacram creationis historiam in hunc sensum depravantis, qvasi Adamum Deus initiò marem simul ac fœminam (atqve adeò monstrosum) ab se Creatum, postea sic diviserit, ut totam scapulis Adami aliàs innitentem partem fœmineam ab eo separaret? Nimirum hâc ratione putavit obtinere se posse, ut fabula (*e*) Platonis

(b) Hos Tomo I. Artis Cabalisticæ f. 337. seqq. inseruit Joh. Pistorius. (c) Vide præfationem ejus d. l. f. 332. (d) Dialog. III. f. 536. 537. (e) Fabulosum hîc Platonem fuisse, ipse Leo fatetur.

Digitized by Google

nis (*f*) de Androgyno genere primitus ortorum hominum, qvorum unumqvemqve posteà jussu Jovis Apollo duas in partes disciderit, utcunqve conspirare videretur cum historiâ de Adamo (*g*), qvalem (si falsario credimus) nobis reliqvit Moses. *Sed qvi Platonem usqve adeò veneratus est*, (verba refero Joh. Baptistæ Crispi Gallipolitani (*h*), blasphemam hanc Leonis audaciam severè castigantis (*i*) ac prolixè refellentis,) *ut non perinde ac gentilem, sed tanqvam Prophetam Prophetæ Mosi comparavit* (*k*), *qvid qvæso modestius proferre debuerat* (*l*)? Omninò hinc intelliges, cupidiorem fuisse hunc Scriptorem næniarum gentilium, qvàm Christianæ veritatis. Atqve hæc insana in Ethnicos propensio videtur illum sic excœcasse, ut etiàm in fabulis gentilium Poetarum hallucinaretur. Sed juvat

(f) qvem vide in Conviv. f. 1185. seq. ed. græcolat. Francof. A. 1602. (g) Fabulam Platonis cum historiâ Mosis fuerunt & alii, qvi conspirare crederent. (h) de ethnicis cautè legendis distrib. II. lib. X. f. 361. (i) His verbis, qvibus prolixam hujus audaciæ refutationem auspicatur: *Leo Hebræus -- qvò veritatem ex Platonis mendacio eliceret, falsitatem in Mosaico Sermone deprehendere conatus est.* (*k*) respicit ad hæc verba Leonis f. 537. *Hi duo Prophetarum atqve Philosophorum Principes* (Moses & Plato) *specie potiùs, qvàm re ipsa differre videntur.* (*l*) Adscribam hîc & aliam Joh. Bapt. Crisp. de Leone Hebræo ἐπίμετρον è f. 362. 363. *Cæterùm cùm hæc ille dixisset, qvàm inani studio & affectatione gentilitatis id fecerit, inde comprehendimus, qvòd ad multas sacrorum Theologorum illius loci expositiones aut erraus ipse cæcutire, aut libens connivere voluit.*

Digitized by Google

juvat ea, qvæ de his ab eo prolata (*m*) obelum merentur non unum, tribus veluti capitibus circumscribere: qvorum primum de variis ipsarum sensibus agit generatim; alterum varietatis hujus exemplum sistit fabulam de Perseo & Medusâ; tertium causas enumerat, qvibus moti Poetæ arcana sua occultaverint. Librari hæc ut justè possint, proferendum ante omnia pondus est veritatis. Cùm homines utriusqve sexûs, præclaris aut certè memorandis facinoribus celebres, impia gentilium superstitio Deorum Dearumve catalogis inscripsisset: sui muneris putaverunt Poetæ, qvæ homines fecissent, ea qvasi Deorum narrare miracula, simulqve coloribus & figmentis velare venustis ac lepidis. Observavit hoc Lactantius (*n*), qvi & exemplis hoc illustrat Jovis, jam Danaen stuprantis (*o*), jam Ganymeden, jam Europam rapientis (*p*), aliisqv pluribus. Talibus ergò Poetarum non inanibus fabulis subesse aliqvid ex historiâ veri, qvod ipsi Poetæ sic delitescere voluerint, non dubium est.

Ac

(*m*) Dialog. II. f. 396. 397. 398. (*n*) lib. I. cap. XI. (*o*) p.58. *Danaen violaturus Jupiter aureos nummos largiter in sinum ejus effudit. Hæc stupri merces fuit. At Poetæ, qvi qvasi de Deo loqvebantur, ne auctoritatem credita majestatis infringerent, finxerunt ipsum in aureo imbre delapsum.* (*p*) ibid. & p.59. *Rapuisse dicitur in aqvila Catamitum: Poeticus color est. Sed aut per legionem rapuit, cujus insigne aqvila, aut navis, in qvâ est impositus, tutelam habuit in aqvilâ figuratam: sicut taurum, cùm rapuit & transtexit Europam.*

Digitized by Google

Ac fuerunt qvidem postea, qvi huic *Historico* sensui alios tres adjicerent, *Physicum*, *Astrologicum*, *Moralem*: verùm has interpretationes non ab ipsis Poetis intentas fuisse, sed excogitatas ab aliis, qvos vel puderet turpium de Diis historiarum, vel ingenii periclitandi studium accenderet, alibi est à nobis ostensum (*q*). Qvid ad hæc Leo Hebræus? Qvatuor his sensibus, Historico (*r*) puta, Morali (*s*), Physico & Astrologico, qvintum adjicit de rebus divinis (*t*), qvem & ipse *Metaphysicam* appellat allegoriam (*u*). De numero sensuum, & qvæ plura censuris hîc materiam præbent, tanti res non est, ut simus nimi-

(q) Disp. de fabulis Poet. §. 15. 21. seqq. (r) de qvo ita ille f. 396. *Veteres Poetæ haud unam tantùm, sed plures intentiones, qvas sensus vocarunt, poematibus suis implicuere. Primùm omnium propter vulgarem atqve faciliorem sensum inferendum, tanqvam* corticem exteriorem, *illustrium personarum præclara & memoranda gesta* historia *qvâdam percurrunt.* (s) Sic enim pergit: *Postea* moralem *sensum, vita hominum actuosè conducentem, virtutes extollendo, vitiaqve deprimendo, tanqvam* interiorem corticem, *medulleqve propinqviorem, eadem fabulâ involvunt.* (t) Nam allegoricum sensum, qvo nomine Physicum pariter & Astrologicum complecti solemus, ex duplici triplicem facit his verbis: *Præterea in eodem commento veram aliqvam rerum vel* naturalium, *vel* cœlestium, *vel* divinarum *separatim, vel duorum simul, vel omnium trium conjunctim, intelligentiam tanqvam fructuum* medullas *corticibus circumtectas includunt. Sensus isti* arcani, *medullis seu visceribus proportione qvâdam respondentes,* allegorici *nuncupantur.* (u) Verba ejus dabimus postea lit. ll. in textu, ubi qvicqvid ille circa singulos fabulæ de Perseo sensus commentatur, repræsentabimus.

Digitized by Google

nimium scrupulosi. Non æqvè dissimulandum illud, qvòd ipsos poetas fabulis suis sensûs uno plures implicuisse persvasum nobis cupit, (vv) qvos tamen in historico tantùm illo mentis oculos defixos habuisse compertum habemus. Nux qvævis poetica ut unicum corticem, (fabulam ipsam,) sic unum nucleum (historiam) habet. Qvis ergò non rideat Hæbræorum illum, Græcorum ac Latinorum poetarum intetpretem, qvi nucleum hunc in corticem mutat nobis, eumqve exteriorem (x), illi mox addens interiorem alium & tres insuper medullas (y)? Accedamus nunc ad fabulam de Perseo & Medusa, qvam Leo his verbis enunciat (z). *Perseum Jovis filium* Gorgonem *interfecisse, & voti compotem æthera, partem qvandam cæli reliqvis sublimiorem, advolâsse fabulantur Poetæ.* Eqvidem ipsius fabulæ, si constipare omnia qvis velit, qvæ de Perseo passim ac Medusa memorantur, admodum copiosa est supellex: sed maneat ea per nos etiam his angustiis inclusa. Præstabat interim pro *Gorgonis* vocabulo, toties in seqventibus repetito, vel semel saltem, qvod nuspiam facit Leo, clarum exprimere nomen *Medusæ.* Phorci enim tres filiæ, Stheno, Euryale, & Medusa, Gorgones qvidem omnes fuere dictæ, sed ex his sola à Perseo Medusa interfecta, cæteræ duæ Hesiodo

(w) regredere ad lit. r. (x) verba ejus qvære ibidem.
(y) vide paulò antè lit. s. r. (z) f. 396. post med.

do (a) sunt immortales. Quod ad sensus fabulæ varios attinet, *historicum* polliceri nobis vix aliunde luculentiorem possumus, quàm à Pausaniâ, qui Vossio (b) judice, quicquid penè memorabile Græcia habuit, magno Philologiæ & Historiæ studiosorum bono complexus fuit. Is ergò *Phorci eam* (Medusam) *filiam fuisse* ait (c), *Patre mortuo acceptum ab illo regnum eorum populorum, qui Tritonidem paludem accolunt, tenuisse; solitam in venationes & pugnas exire cum Afrorum, quibus imperabat, manu; quare eium Persei copiis, quas ille lectissimas ex Peloponneso adduxerat, acie occurrisset, noctu per insidias oppressam; mortuæ pulchritudinem admiratum Persem, præcisum caput, ut spectaculo esset, in Graeciam reportasse. At Proclès Carthaginiensis Eucratis filius,* (ita pergit Pausanias,) *veri ferè similiorem historiam literis mandavit: in Africæ desertis bestias gigni multas mirabili specie atque inusitatâ, feros inter eos Viros & fœminas, ac Virum se Romam illinc deportatum vidisse testatur; conjicere itaque se, ex illis fœminis unam fuisse Medusam, quæ cum à suis gregibus aberrans venisset ad Tritonidem paludem, ejus accolas malè mulctarit, usque dum à Perseo est occisa; adjutricem verò Perseo Minervam fuisse idcirco proditum, quòd qui stagnum illud accolunt homines, Miner-*

(a) Theogon. v. 277. 278. (b) lib. II. de Histor. Græc. c. 14. p. 227, (c) in Corinthiacis, sive lib. II. f. 56. ed. Lat. Francof. Anno 1583.

Digitized by Google

*Minervæ sacri sunt.* Nunc Leonem audiamus: *Historica significatio ea esse dicitur, qvòd Perseus qvidam propter heroicas virtutes, ab eo felicissimo planetâ descendentes, Jovis filius, aut reverâ ex aliqvo Regum illorum, qvi vel Cretæ, vel Athenis, vel Arcadiæ imperarunt, & Joves appellati fuere, originem deducens, terrarum* Tyrannum Gorgonem *interfecit*, Gorgon *enim apud Græcos* terram *significat* (*d*). Ne qvidem hic libet omnia rimari curiosè, aut ad trutinam Scriptoris græci, accuratiùs historiam exponentis, revocare. Sed qvis non palpat stupendam hominis, qvam hæ produnt extremæ lineæ, tùm ipsius fabulæ ignorantiam; Facit enim hanc Gorgonem, dum *Tyrannum* eum appellat (*e*), ex fœminâ Virum, non facturus, si vel semel Medusæ nomen ipsi venisset in mentem (*f*), tùm

Aaa insci-

(d) *Unde tum propter hoc maximum beneficium in humanum genus collatum*, (ita pergit Leo,) *tum etiam propter præclaras ejus virtutes à mortalibus in cœlicolarum numerum fuit adscriptus.* Cum his conferenda, qvæ Vossius lib. I. de Orig. Idol. c. 13. f. 53. memorat de Perseo, qvem Argivi pro Numine venerati sint, in stellas receptum Hyginus fab. CCXXIV. dixerit. (e) Bonâ fide verba descripsi Leonis: nisi fortè vitium hoc imputes Typographo, qvi *Tyrannum* scribere debuerit. (f) In tota fabulæ hujus tractatione nuspiam Leo Hebræus *Medusa* vocabulum usurpat, ubiqve *Gorgonis*. Dubites propè, ex ignorantiâ hoc factum, an deliberato consilio, qvòd videlicet nimis Autori placeret ineptissima illa etymologia, qvam in *Gorgonis*, non item in *Medusa*, vocabulo sibi videbatur invenisse.

Digitized by Google

inscitiam Grammaticæ? Ait enim, *Gorgonem* apud Græcos *terram* significare. Atqvi nos novimus, Gorgonem fuisse dictam *ab aspectu truculento, nam γοργὸν truculentum sonat* (g). Putes hîc simile qvid evenisse Leoni, qvod Fulgentio mythologo, qvi Græcæ literaturæ parum & ipse peritus (*b*), *Gorgonem* dictam putat, qvasi *Georgon* (*i*); qvanqvam hîc crassior est imperitia Leonis, siqvidem Gorgoni major est consonantia cum γεωργῷ compositâ voce, [qvæ agricolam notat, *cultorem terræ*,] qvàm cum simplici γῇ, (qvæ nihil præter *terram*). An suspicabimur potiùs, cùm in Latino forte Scriptore aliqvo deprehenderet Leo, Gorgonem sic appellatam à *terrore* (k), (qvem aspicientibus incusserit) cæcutiens ipse visus est sibi *terram* legere pro *terrore*? Qvicqvid sit, nemo Eruditorum non ridebit Literionis hujus tam ineptam etymologiam.

(g) Carol. Steph. Dictionar. sub voce Gorgonia, (p. 985. ed. Genev. Anno 1650) (h) ruditatem Fulgentii in græcis, aut potiùs arrogantiam, castigat Casp. Barthius Tom. III. animadv. in Papin. Stat. p. 449. 450. his verbis: *Hæc Fulgentius*, (loqvitur de inepto ejus etymo, cui Tantalus est, qvasi θίαν θίλων,) *qvem Scriptorem legendo miseratione temporum afficimur: tanta enim jam ruditas à græcâ literaturâ erat, ut sibi arrogantiæ summæ homo omnia scribere licere crederet, modò vel auctores græcos vel vocem ejusdem linguæ per caput pedesqve attrahere posset in medium, & inde suum negotium curare.* (i) lib. I. mythol. p. 133.

(k) Conf. illud in Lexico Buchneri f. 428. ed. Lipsi. Anno 1655. *Gorgones dictæ παρὰ τὸ γοργὸν τῶν ὀφθαλμῶν, id est, à terribili aspectu oculorum.*

Digitized by Google

ām. Interim ea ipsi tantopere placuit, ut in omnibus Fabulæ sensibus reliqvis, (Morali, Physico, Astrologico, Metaphysico,) velut oculos in eam reflectens, *terrena* seu *terrestria* putaverit inculcanda. Verba ejus de singulis hæc sunt: *Sensus* Moralis *hujusmodi erit, qvòd Perseus prudentissimus Vir, Jovis filius, id est, optimis moribus & egregiis virtutibus planetæ illius benignitate excellens, immundis ac* terrenis *vitiis, qvæ* Gorgonis *nomine significantur, profligatis & superatis, ad cœlestes divinasqve ascendit virtutes. Allegoriarum autem primâ &* Naturalis *hæc erit, qvòd mens humana Jovis, id est, Dei filia, debellatâ atqve interfectâ* Gorgonicâ, *hoc est,* terrestri *naturâ, ad res cœlestes, sublimes atqve æternas, in qvarum contemplatione humanam felicitatem & perfectionem Sapientes collocarunt, intelligendas statim evolavit. Secundam autem ex* Astrologiæ *fontibus petitam allegoriam hanc esse dicemus, qvòd cœlestis natura, Jovis progenies, postqvam motu suo continuo mortalitatem atqve interitum istorum inferiorum corporum ac* terrenorum *confecit, illustri maximaqve de ipsis victoriâ reportata, earumqve tetra ac fœda mortalitate derelicta, ad supernus sedes contendit, & immortalitatem suam integram atqve illibatam conservavit. Postrema denique &* Metaphysica (l) *allegoria ea esse con-*



(l) *Metaphysica* hæc allegoria qvintus ille sensus est, qvem cæteris qvatuor adjecit Leo Hebræus. Respice supra ad lit. t. u.

Digitized by Google

*jicitur, qvòd natura Angelica Jove, hoc est, Deo Optimo Maximo, & rerum omnium Creatore prognata, profligata atqve despecta corporea* terrenaqve *materia, qvæ* Gorgonis *nomine designatur, in cælum evasit: Intellectus enim Angelici à corpore atqve materia separati illi profectò existimantur, qvi cælestes sphæras perpetuò circumducunt.* Nimis operosum ac prolixum foret. in his etiam reliqvis qvatuor interpretationibus excutere solicitè omnia, qvæ animadversione indigeant. aut eas vel collidere vel conferre cum tribus aliis, *Physica* unâ, qvâ Johannes Tzetzes (*m*) in Perseo Symbolum Solis agnoscit, vapores consumentis; alterâ *Ethica*, qvâ Natalis Comes (*n*) admoneri nos ait per hanc fabulam, ut Libidinem fugiamus ac Superbiam, id qvod ipse haud inconcinnè declarat è variis commento huic additis coloribus; tertiâ *Politica* Verulamii (*o*), cui Fabula hæc conficta videtur de Belli gerendi ratione & Prudentiâ, prolixè admodùm & ingeniosè illam exponenti. Summa singularum, qvales ad nos transmisit Leo Hebræus, hæc est: Perseum, victâ Medusâ Cœlicolam factum, *Ethica* seu Moralis

(*m*) expos. græc. Hesiod. p. 245. Περσεὺς δὲ ὁ ἥλιος ὁ πρὸς ἑαυτὸν ἕλκων, τὴν ἰκμάδα, ὡς ἀποτέμνων αὐτὴν. Conf. Varin. Lexic, f. 1493. sub voce περσεὺς.

(n) Mythol. lib. II. cap. XI. in fine. (o) de Sapientiâ Veterum cap. 7.

Digitized by Google

ralis interpretatio Scriptoris, cum qvo jam negotium est nobis, exponit de Virô egregiis virtutibus (practicis puta) excellente, atqve ad cœlestes (theoreticas) adscendente; *Physica*, seu Naturalis de mente hominis post debellatam terrestrem naturam ad res cœlestes contemplandas evolante; *Astrologica*, (qvæ qvidem tota nimis tenebricosa,) de cœlesti naturâ, (qvo nomine nescio an Orbes cœlestes, an Stellas, an simul utrumqve, an aliud qvid (p) intelligi cupiat,) immortalitatem suam illibatam servante; *Metaphysica* de Angelis, qvi à corpore separati cœlestes sphæras circumducant. Ex his *Ethicus* aut idem est planè cum *Physico*, aut ab eo perparum distat: in utroqve enim sive Homo, sive (qvod perinde) mens hominis excitatur ad studium Virtutum practicarum & theoreticarum. *Astrologicum* meræ, qvod dixi, occupant tenebræ. Qvæ & *Metaphysicum* non penitus nullæ obscurant, satis alias coactum, & qvo fidiculis torqveri se Fabula possit conqveri. Qvid enim uni Perseo commune cum illis cœlestium sphærarum, qvos huic muneri destinatos qvidam credunt, tot motoribus Ge-



(p) Poterat qvis *cœlestis naturæ* nomine Angelos exaudire, cœli incolas. Sed cœlestia tamen corpora significari potiùs, ex eo persvadeas, qvòd allegoriam hanc Autor *ex ipsis Astrologiæ fontibus petitam* ait, *motumqve continuum* huic naturæ tribuit. Non negabo interim, caligine qvadam hæc involuta manere.

Digitized by Google

niis? Interim omnium qvatuor Sensuum qvasi cardo est *profligatio Gorgonis*, hoc est, *reportata de rebus terrenis Victoria.* Jam terrenis atqve fragilibus cœlestia & æterna esse præferenda, Homini cuilibet innatæ dictant notitiæ. Hos ergò arbitrabimur esse arcanos illos Fabularum Sensus? Superest, ut audiamus, qvid Leo respondeat ad qvæstionem: *Cur antiqui* (Poetæ videlicet, de horum enim Fabulis totum hoc ipsi susceptum negotium est,) *non liberius & manifestius doctrinas suas aperuerint* (q)? Hîc observandum initiò, Qvæstioni huic falsam, (qvæ & in responsiones migrat,) implicari Hypothesin, nimirum qvòd fictores ipsi Fabularum Sensus præter Historicum plures pro scopo suarum fictionum habuerint. Deinde si qvinqve responsa penitiùs intuearis, (Tot enim rationes seu causas numerat Leo, qvibus persvasi Poetæ noluerint suas doctrinas aperire manifestius,) patebit, non uni qvæstioni, sed distinctis qvinqve (affinitate qvidem aliqvâ connexis, sed qvarum nullam uspiam clarè ab eo exprimi reperias, unde nos non pigebit suis locis apponere singulas;) responderi: ut adeò fatendum sit, qvæstionem, qvalem enunciavit Autor, nimis esse superficiariam. Age, veniamus in rem præsentem. Sed qvia plus satis prolixa sunt responsa, nec rarò

(q) Sic enim ipse qvæstionem hanc enunciat f. 397. lin. 11.

Digitized by Google

rarò cramben eandem recoqvunt, aut amplificationibus parùm solidis turgent, his talibus, qvæqve alia illis intricata minusve nervosa miscentur, etiam ubi verba ipsa Leonis describemus (r), omissis, velut in compendia redigemus rationes singulas: qvin & in ipsarum examine parci erimus, nec omnia cribrabimus minutim ad usqve pulvisculos. *Prima* ratio hæc est, (s) qvia res periculosa sit, arcana Dei & Naturæ sic aperire, ut ea & rude vulgus intelligat; in hujus enim mentibus illa vitiari, id qvod testetur Scientiarum omnium per totum orbem corruptio; Veteres ergò ea fabulis texisse, qvas penetrare possent mentes non nisi Scientiarum conservatrices. Responsio hæc de solis loqvitur *Dei Naturæqve arcanis*, atqve sic pertinet ad qvæstionem: *cur Veteres ea rudibus occultaverint?* Non repetam nunc, qvæ huc spectantia alibi (t) disserui; id moneo tan-



(r) Fiet hoc in Scholiis seqvent. *s. w. y.c.* (s) Verba Leonis: *Primùm qvia Naturæ & Divino Numini eorum arcana vulgo prodere aut aperire odiosum esse judicabant: & hoc — rectissimè --: qvia -- profundam Sapientiam diffusius -- pertractare nihil est aliud, qvàm eam cum rudibus --- communicare, in qvorum mentibus non secus ac optimum vinum in dolio infecto -- adulteratur: qvod qvidem adulterium jam inceptum universalis posteà omnium doctrinarum per totum orbem terrarum secuta fuit corruptio. --- -- Ai Veteres illi Sapientia mysteria fabularum corticibus --- circumtegebant, ut --- mentes Scientiarum conservatrices, non autem corruptrices ad ea tantummodò ingredi possent.* (t) In Programmate primis hîc lineis memorato.

tùm, corruptarum Scientiarum culpam non plebejis animabus imputandam esse, qvæ arcana ista vel ignorant planè, vel si qva illis innotescunt, simplici Fide credunt. Hæresium certè tùm articulis fidei, tùm sanè Philosophiæ adversarum natales non indoctis debemus *(u)*, sed Sapientibus hujus mundi. *Secunda* ratio [w]: qvia Fabulæ cujusvis brevitate, doctrinas omnium Sensuum in pauca restringente, consulere voluerint memoriæ. Responderem hîc ego, Poetas ipsos non nisi unius Sensus curam gessisse; [qvâ ratione Fabulam aliqvam Ovidii, suis ornatam coloribus, Historiâ delitescente citiùs prolixiorem, perinde ut Æsopicam (x) sensu morali, qvàm breviorem dixerim;) Ut autem ex uno fieri tàm multi potuerint, inde evenisse, qvia Fabula qvælibet nasus est cereus, in Epimythia varia flexilis;

(u) Notum adagium, qvo designamus indoctum: er wird wol keine Ketzerey anfangen.

(w) Verba Leonis: *Brevitas ipsa secundum locum obtinet, paucis verbis multas sententias comprehendens: Brevitas enim plurimum confert ad rerum memoriam conservandam, --- ut homines -- omnium Sensuum doctrinâ exuberantium, qvi -- involvuntur, statim recordentur.* (x) Similes hâc parte Fabulis Æsopicis esse qvasdam dixeris libri monastici, cui titulus *Gesta Romanorum*, (qvanqvam Autor pro historiis eas haberi voluit,) illam præcipuè qvæ à p. 391. extenditur usqve ad p. 403. (ed. Lugdun. A. 1555.) cùm Sensus ejus moralis à p. 493. non procedat ultra p. 407.

Digitized by Google

flexilis, qvantumlibet etiam absurda, qvale illud, qvo Perseus diffingitur in Angelos cœli rotatores. Talium verò sensuum multitudine & ineptiis affirmaverim plus gravari & excruciari memoriam, qvàm ipsius fabulæ brevitate levari. *Tertia* ratio (y), ut fabellarum jucunditate ac facilitate intellectus ad Scientiam svaviter perducatur. Partem responsionis hujus concedo veram esse, cùm qværitur, *cur Poetæ studuerint fabulis?* nempe hoc ideò fecerunt, ut delectarent. Nam in fabulis & Lactantius (z) venustatem ac leporem, & Augustinus (a) delectandi vim agnoscit. Non item illud concedo, qvòd voluerint ad Scientiam, rerum puta in Ethicis, Physicis, Astrologicis, Metaphysicis sublimium ducere; pro nucleo sola ipsis sufficiebat Historia. *Qvarta* ratio: ut scientiarum mysteria serventur incorrupta. Sed hîc intuenda priùs qvæstio nova: *cur illæ scientiarum occultatrices Fabulæ* (b) *ligato Sermonis genere sint conscriptæ?* Respondet autor [c], qvia versus, utpote certâ



(y) Verba Leonis: *Tertia ratio est, -- ut fabulosa institutio jucunditate cum intelligibili veritate ita permisceatur, ut imbecillis noster intellectus fabularum delectationis atque facilitate delinitus ad Scientiarum veritatem -- svavissimâ qvadam ratione perducatur. -- -- --* (z) Verba ejus qvære supra lit. n. (a) lib. xx. contra Faustum c. 9. (Tom. VI. Oper. f. 365.) *Fabulas -- à Poetis delectandi causâ fictas esse esse asserunt* (Pagani.) (b) *Historias* qvidem Autor hîc vocat, qvas *fabulas* debebat: sed hoc ipsi non insolens. (c) ver-

Digitized by Google

pedum mensurâ adstrictos, corrumpi sit impossibile: Hoc autem posito & Scientias iis absconditas necessariò esse ab omni corruptione tutas. Hîc largiar, minus esse versibus periculi à mendis, qvàm prosæ; Planè nihil periculi, non largiar. An non enim in Poetis etiam nascitur Criticis de verâ scriptione litigandi materia? an non variis Lectionibus Ovidianæ qvoqve scatent metamorphoses? annon & in sacrarum Cantilenarum rhythmos irrepserunt corruptelæ non paucæ (d)? Finge tamen, immunes esse versûs ab omni læsione: num privilegium hoc transibit in scientias iis inclusas? non magis hoc seqvitur, qvàm si qvis putet, Caseum ferreæ cistæ inclusum æqve tutum esse à vermiculatione, qvàm ipsam cistam. Possem plura, sed festinandum est. *Qvinta* ratio (e): ut Sensu Fabularum Historico ingenia imbecillia, Morali robusta, Physico,

ba Leonis: *Qvarta ratio ex rerum intelligibilium deducitur conservatione. -- -- Historia enim, qvibus Veteres scientiarum mysteria complexi fuerunt, propter terminorum suorum certitudinem atqve stabilitatem ne minimam qvidem suscipere possunt mutationem. Qvod ut melius -- assequerentur, Historias illas versibus numerosis, & pedum certâ mensurâ adstrictis descripserunt, ne corrumpi -- unqvam possent: numerosum enim carminum metrum nullum -- corruptelæ aditum -- relinqvit. Unde nec ingeniorum diversitas aut imbecillitas, nec Scriptorum incuria aut error per scientias hoc modo pertractatas adulterare seu corrumpere valet.* (d) De qvibus Jerem. Weber Hymnol. sacr. p. 46. seqq. (e) Verba Leonis: *Ultima ratio est, ut eodem cibo diversis saporibus affe-*

co, Astrologico, Theologico acutissima pascantur. Respondetur ita ad qvæstionem: *cur placuerit Sensus Fabulis qværere non ejusdem generis omnes?* nempe qvia nec ingenia sint ejusdem generis omnia. Hîc mallem ego, inverso qvadantenus ordine, Moralem interpretationem addicere infimo ingeniorum gradui, Historicam medio: Naturales enim notitiæ omnibus ingeniis, adeoqve vel maximè imbecillibus, insculpunt præcepta Moralia, non item Historias. Hæc ergò qvinqve sunt responsa ad qvæstiones totidem. Eas omnes unâ interrogandi formulâ complecti si qvis cupiat, non incommoda, dummodo falsam de Poetis ultra Historias collimantibus hypothesin excipias, hæc erit: *Cur Poeta voluerint abscondere sensûs* (1.) *tam multos*, (2.) *nec unius omnes generis*, (3.) *atqve in his arcanos*, (4.) *fabulis* (5.) *ligato sermone scriptis* (*f*)? Qvis non videt hanc talem qvasi Solis esse præ tenebris illius Leoninæ: *Cur antiqvi non liberiùs & manifestiùs doctrinas suas aperuerint?* Nobis verò, cùm Academicorum graduum petitores

*Eo omnium convivarum gustibus differentibus satisfacerent: imbecilliora enim ingenia Poematum Historias --- tantùm percipiunt; robustiora --- moralem qvoqve detegunt sensum; alia insuper --- acutiora --- in allegoricos sensus non solùm Philosophiæ naturalis, verùm etiam Astrologiæ & Theologiæ, sese insinuant.* (f) Horum qvinqve conceptuum primo respondet ratio secunda, secundo qvinta, tertio prima, qvarto tertia, qvinto qvarta.

Digitized by Google

tores exanimamus, aña planè consvetudo est interrogandi. Qvæstiones nostras nec adulteramus hypothesibus falsis, nec nimium superficialibus loqvendi formulis obscuramus, ne qvidem qvinqve aut plures in unum fasciculum, utut luculentum, complicamus. Qva ratione illud adipiscimur, ut Juvenum Eruditorum responsiones experiamur veras, claras, distinctas, tales omninò, qvæ impetrent illis debita studiis ipsorum præmia. Atqve hoc nomine commendari merentur Candidati primæ laureæ Philosophicæ hi undecim:

Gottfried Christian Rappolt / Lipsiensis.
JOH. CHRISTIANUS BOCCIUS, Grimmensis Misnicus.
GOTHOFREDUS HEYDENIUS, Hormersdorfensis Misnicus.
DAVID CHRISTIAN Dimpel / Spœrâ-Misnicus.
FRANCISCUS Rier / Gitzinensis Bohemus.
CHRISTIANUS HEMPELIUS, Vratislaviâ-Silesius.
GODOFREDUS Edelmann / Marglissâ-Lusatus.
JOHANNES JOHN, Thoruniensis.
CHRISTIANUS Gödick / Vratislaviâ-Silesius.
GODOFREDUS Hahn / Svidnicio-Silesius.
JOHANNES Postel / Hamburgensis.

Cum

Digitized by Google

Cùm enim ipsos more consveto vocaremus ad examen, approbaverunt eos nobis in Artibus Liberalibus progressus suos, ut illius, qvem petebant, honoris titulum decreverimus addicere universis; id qvod fiet actu solenni publico, crastinæ diei horâ octavâ matutinâ inchoando. DEum T.O.M. veneramur submissè, ut qvicqvid hujus est negotii gloriosum sibi esse jubeat! Ab Academiæ autem nostræ Rectore Magnifico, Proceribus item utriusqve Reipublicæ plurimum colendis rogamus enixè, ut splendidâ præsentiâ suâ illustrare hunc actum dignentur. P.P. die 20. Aprilis Anno Christi M DC LXXXIII.

# FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google